ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN II
CONSILIA ET VOTA
EPISCOPORUM AC PRAELATORUM

PARS VI
AMERICA SEPTEMTRIONALIS ET CENTRALIS

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLX

AMERICA SEPTEMTRIONALIS

CANADA

1

Exc.mi P. D. ROSARII BRODEUR

Episcopi Alexandrini in Ontario (Alexandria)

Alexandria in Ontario, die 4 iulii 1960

Eminentissime Princeps,

Cum mea valetudo incommoda nullam responsionem litterae 1 C/59 et 104 bis hactenus permittebat, nunc, ad Commissionem et Eminentiam Tuam Rev.mam, istam mitto.

Inter varia conamina pastoralia hodierna, lingua vernacula saepe saepius permittitur praesertim in administratione Sacramentorum. Ea de causa, optabilis est, ut haec eadem facultas etiam in Missa pro sponsis permittatur, scilicet, ut preces recitandae pro sponsa post « Pater Noster » necnon post « Ite Missa est » in lingua vernacula et alta voce legendae sint.

In administratione omnium sacramentorum vero, Rituale Romanum sequendum est et quidem bene. Tamen, in matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam contrahendis, omnes sacri ritus prohibentur sed permittuntur aliquae ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis. Ad uniformitatem istarum caeremoniarum in variis ditionibus habendam, rituale officiale et specificum hac de re desideratur.

Quod spectat ad Breviarium Romanum, modificatio hymnorum nonnullorum expedit, verbi gratia, ut in festivitate Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. Porro, psalmi et variae lectiones Matutini brevius exprimi poterant.

Desideratur etiam ut, propter penuriam sacerdotum et ad commoditatem fidelium, sive die festo de praecepto aut non, sive in diversis casibus improvisis, detur omnibus sacerdotibus, ex iure communi, facultas duas et tres Missas in die celebrandi.

Interim sensus altissimae venerationis meae Tuae Eminentiae Reverendissimae obtestans, permaneo,

Tuae Eminentiae Rev.mae
Humillimus ac dev.mus servus in Christo

✠ Rosarius Brodeur
Episcopus Alexandrinus in Ontario

2

Exc.mi P. D. CAMILLI A. LE BLANC

Episcopi Bathurstensis in Canada (Bathurst in Canada)

Bathurst, le 13 avril 1960

Eminence,

J'avais écrit un rapport à la Commission Pontificale en relation avec le prochain Concile Œcuménique mais il faut croire que la lettre s'est égarée en cours de route.

Veuillez excuser ce retard que j'apporte à répondre à l'invitation gracieuse que vous avez daigné m'adresser.

Agréez, Eminence Illustrissime, l'expression de ma haute considération en Notre-Seigneur et Notre-Dame.

✠ Camille Le Blanc
Evêque de Bathurst

I. *De lingua vernacula in Missa et Breviario*

In multis locis tractatur de lingua vernacula accommodanda in relatione cum Missa vel Breviario.

De Missa: Admittitur quod lingua vernacula in aliquibus partibus Missae esset magni momenti praesertim pro fidelibus qui Missam tunc forsitan melius intelligerent. Dico forsitan quia in regionibus multis Canadensibus sunt loci multi ubi bilinguismus urget et difficultates possent oriri si prudentia et iudicium non exerceantur. Laici praeminentes vero fovent linguam latinam per Missam totam quia est lingua universalis Ecclesiae.

De Breviario: Quod attinet ad breviarium, videtur quod sacerdotes omnes deberent Breviarium habere in lingua latina. Lingua latina etenim instituit nexum et medium unitatis inter sacerdotes in Ecclesia.

II. *De Sabbato Sancto*

Mutationes allatae in ordine Hebdomadae Sanctae sunt etenim magni momenti. Attamen in hac dioecesi incolae in ruralibus regionibus manent et grave incommodum ferunt ad participandum exercitiis piis Sabbati Sancti in media nocte propter vias publicas quae sunt in statu

lutoso tempore verno. Praeterea notatur quod fideles in genere non favent his caeremoniis in nocte Vigiliae Paschalis sed eas mallent hora vespertina e. g. 8 p. m.

✠ CAMILLUS LE BLANC
Episcopus Bathurstensis in Canada

3

EXC.MI P. D. FRANCISCI P. CARROL
Episcopi Calgariensis (Calgary)

Calgary, die 7 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Nuper accepi litteras Eminentiae Vestrae (Prot. N. 1 C/59-287) ob causam Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico. Respondens ad rogationem Vestram, sequentes animadversiones de quaestionibus quae in futuro Concilio fortasse tractari poterunt, suppliciter propono.

1. Opportunum visum est ut nova ratio tractandi Protestantismum per quam singuli Protestantes ad Ecclesiam Catholicam attraherentur, inveniatur.

Protestantismus contemporaneus non est systema theologicum sed est conglomeratio sectarum numerosarum quae docent doctrinas conflictantes et invicem pugnant, non habentes desiderium unitatis. Generatim adhaerentes his sectis sunt indifferentes ad religionem, omnino ignorantes de rebus religiosis atque sunt Christiani nomine tantum. Sectae Protestanticae, quoad duces earum, sunt anxiae de progressu Ecclesiae Catholicae atque paratae sunt ad repugnandum Concilium generale. Sed ratio nova vel appellatio insueta et benigna a Concilio ad singulos Protestantes, quorum multi sunt inclinati ad securitatem religiosam, potest habere exitum felicem.

2. De applicatione aliquorum canonum pro Ecclesia Orientali.

In hac regione, quae non est regio Orientalis, applicatio aliquorum canonum pro Ecclesia Orientali est nimis difficilis. Istae leges (e. g. circa celebrationem matrimonii, administrationem baptismi, transitum ad alium ritum, etc.) excitant controversiam et repugnantiam atque etiam afferunt detrimentum fidei inter fideles Orientales qui nati sunt et ab infantia adolerunt in hac regione et qui omnino ignorant linguam et mores Orientales. Quaedam familiae Orientales ad tertiam vel quartam generationem in ditione Canadensi pervenerunt. Fortasse applicatio istarum legum miti-

ganda est vel definitio nova adhaerentium diversis ritibus, quae non trahatur ab origine gentis, facienda est.

3. De ratione stipendiorum, taxarum, etc.

Omnis ratio vel disciplina stipendiorum, taxarum, stolae iurum, etc., quae a fidelibus obtinentur pro administratione sacramentorum, Missae applicatione, exercitatione ministerii sacri et etiam pro dispensationibus et gratiis denuo exploranda est. Haec ratio inicit scandalum et admirationem inter fideles atque aliquando usum perversum inter clericos. Fortasse ratio nova ad sustentandos clericos et administrandas curias inveniri potest, v. g., contributio voluntaria a fidelibus per orbem terrarum sicut Denarium S. Petri vel vectigal aut taxatio imposita omnibus dioecesibus.

S. Purpuram reverenter deosculans, maneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae addictissimus
✠ Franciscus P. Carrol
Episcopus Calgariensis

4

Exc.mi P. D. MALCHOLMI A. MacEACHERN
Episcopi Carolinapolitani (Charlottetown)

August 24, 1959

Your Eminence,

Enclosed you will find topics and suggestions to be considered by the Pontificia Commissio Antepraeparatoria Pro Concilio Oecumenico as requested in letter dated June 18, 1959.

With every assurance of prayers and good wishes to yourself and for the success of your undertaking, I remain

Yours sincerely in Christ,
✠ M. Mac Eachern
Bishop of Charlottetown

I. *De nova Ecclesiae doctrinarum redactione expositioneque simpliciore.*

Concilium Oecumenicum proximum, cum sit pastorum Ecclesiae conventus ad iudicandum et statuendum circa doctrinam disciplinamque ecclesiasticam convocatus, optimam videtur praebere occasionem qua

omnes Sanctae Matris Ecclesiae doctrinae tam dogmaticae quam morales conferri atque verbis simplicioribus exponi possunt ac debent.

a) Multa priorum conciliorum decreta atque Sanctae Sedis declarationes nobis videntur exponi ordine neque clara neque logica, verbis autem haud modernis. Medii aevi idiomata et graeca et latina auribus hodiernis archaicum quiddam sonant atque peregrinum. Horatius autem admonet:

> « Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
> Percipiant animi dociles teneantque fideles ».

b) Talia veritatum fidei compendia qualia sunt Catechismus Concilii Tridentini, Symbolus Athanasianus et Symbolus Nicaenus verbis exprimuntur quae, saltem in modernas linguas traducta, rudium ingenio minime accommodantur.

II. *De precum formulis.*

Formulae precum, earum praesertim quae a christifidelibus sua lingua quotidie recitari solent, rudium ingenio accommodandae sunt. Aliud enim est alius populi ingenium. Ex quo fiebat ut nomina adiectiva superlativa atque quidam dulce sonantia, licet quorumdam populorum ingenio accommodata etiam et decora, aliorum tamen peregrina minime convenirent. In omnibus precibus quibus adnexae sunt indulgentiae traducendis, multa magnaque toleranda est copia seu licentia.

III. *De Sacrarum Scripturarum compendio.*

Nobis videtur multum prodesse abbreviata Bibliae Sacrae editio rudium ingenio accommodata. Quae editio praecipuas Canonis Sacrarum Scripturarum partes continens, si haberetur, hisce diebus nostris a pluribus christifidelibus, id quod opinamur, saepius legeretur.

IV. *De necessitate methodoque naturam Ecclesiae exponendi.*

In veritatibus fidei christifidelibus tradendis, magis magisque exponenda est natura Ecclesiae Dei. Iam diu doctrinae Ecclesiae modo potius negativo, scilicet contra adversariorum errores defendebantur, quam positivo exponebantur. Theologia dogmatica etiam et moralis explicanda est verbis quibus, de Mystico Corpore Christi tractantes, utebantur Apostoli et S. Paulus, etiam et eis quae in Patrum Ecclesiae theologorumque (e. g., S. Augustini, S. Thomae Aquinatis) scriptis inveniuntur. Veritates fidei ita expositae modo rudium ingenio accommodato multum efficere possunt ut christifideles maiorem erga sanctam matrem Ecclesiam, quatenus est Mysticum Corpus Christi, concipiant reverentiam.

V. *De festo Dei Patris instituendo.*

Deest in Ecclesiae calendario festum proprium primae Personae Sanctissimae Trinitatis. Cum hisce nostris temporibus « eo plenius ac diligentius evigilandum esset quo plures iuvenibus imperitis faciendi morum pietatisque naufragii occasiones increbrescerent » (*Divini Illius Magistri*) cumque res publica, testante experientia nostra, sibi in dies arrogaret iura quae humani generis Conditor familiae, ac praesertim patri, contulerit, festum Dei Patris institutum magnopere, uti opinamur, efficeret ut pristinae reflorescerent vitae familiaris virtutes utque haberet atque a pueris reciperet pater locum in vita domestica quod iure est suum.

VI. *De Breviario Romano reformando.*

Clare patet editionem nostram Breviarii Romani ad recitationem divini officii in choro esse ordinatam. Cum autem officium divinum et a sacerdotibus saecularibus et saepius a religiosis qui parochorum vicariorumque cooperatorum vices gerunt modo privato plerumque recitetur, tales eius partes quales sunt versicula, lectiones breves et responsoria a Breviario Romano removeri, nostra sententia, possunt ac debent. Fieri autem potest ut duae habeantur editiones, scilicet altera ad usum in choro, altera pro privatim recitantibus. Speramus fore ut lectiones secundi nocturni brevi emendentur.

Asserere non dubitamus officium divinum lingua patria recitandi, saltem extra chorum, petendum atque concedendum esse privilegium. Quo concesso, Dei laudes dignius, attentius ac devotius recitabuntur.

VII. *De usu linguae patriae in Missali Romano.*

Lingua latina, quae in scholis etiam catholicis (proh dolor!) in dies prolabitur, a plerisque intelligi non potest, nam nullius populi est sermo aut quotidianus aut urbanus. In iis paroeciis quarum incolarum sermones multi sunt et diversi, nulla alienior est quam lingua latina; atque de sacerdotibus et laicis eadem utentibus dicere saepissime licet: « Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me » (*Matth.* XV, 8). Quae cum ita sint, optandum est atque petendum ut privilegium sermone patrio saltem in prima Missae parte, scilicet in Missa catechumenorum, utendi concedatur. Quod, si concessum sit, Ecclesiae Dei multum prosit plaudeatque ubique populus christianus.

VIII. *De quarumdam legum disciplinarium interpretatione.*

Cum nullo modo fieri posset ut quaedam leges disciplinares pro aliis conditionibus aliorum orbis terrarum locorum ex sententia ferrentur, decet has leges a Sancta Sede modo generali promulgari, atque postea con-

cilio vel gentis vel regionis proprio, cui potestas interpretandi fuerit a legislatore commissa, pro sua patria vel regione vel etiam coetu ethnico authentice interpretari; e. g., lex ieiunii, quae specialem praebet difficultatem, alio modo pro alia regione interpretari debet: quoad ientaculum seu frustulum matutinum, minima in Italia, sed in ditione Canadensi maior cibi quantitas necessaria est ut quis sua officia convenienter implere valeat.

IX. *De dioecesium et paroeciarum finibus.*

Nimia et dioecesium et paroeciarum finium ratio haberi solebat. Ex quo fiebat ut Ecclesia Dei magnum pateretur detrimentum. Proinde, in beneficiis ordinariis paroeciisque conferendis, horum finium modica tantum habenda est ratio: e. g. Christifideles autem, absque ulla ordinariis parochisque displicendi formidine, iure eligendi locum sui matrimonii celebrationis et sepulturae frui debent.

X. *De nationalismo exaggerato rebusque politicis.*

Cum principium nationalitatis, quod enuntiat unamquamque nationem propriam constituere debere societatem civilem, radices suas et fundamentum haberet in falsa notione naturae humanae et proinde societatis civilis, atque secum ferret destructionem ordinis politici legitime vigentis et ansam praeberet multis magnisque perturbationibus, interdicendum est clericis omnibus ne nationalismo exaggerato se immisceant neve rempublicam seu res politicas attingant. In dubium revocari potest num concordiae seu pactiones de rebus ecclesiasticis inter Status civiles et Sanctam Sedem revera profuerint. Testis historiae de rebus iam peractis multa patefacere potest.

XI. *De quibusdam dispensationibus.*

Ordinarii locorum prius certiores de quibusdam dispensationibus (e. g., ieiunii et abstinentiae), rubricis mutandis aliisque similibus fieri debent quam haec populis totius orbis terrarum radiophonis et ephemeridibus saecularibus, quibus saepius detorquebantur, nuntiata sint.

XII. *De sacramento Confirmationis infantibus administrando.*

Administratio Confirmationis morituris infantibus multas magnasque saepius praebet difficultates; e. g., pueris in viis publicis laesis, monstris, infantibus in tabernaculis oxygenii plenis inclusis, et infantibus premature natis.

✠ MALCHOLMUS A. MACEACHERN
Episcopus Carolinapolitanus

5

Exc.mi P. D. IOANNIS H. MacDONALD
Archiepiscopi Edmontonensis (Edmonton)

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Quantum ad quaestiones antepraeparatorias ad Concilium Generale quod Ioannes XXIII mox convocabit, parum est quod nos possumus suggerere. Quaestiones adsunt, sed forsan nimius locales ut mereantur tempus Concilii Generalis. Pauca exempla dentur:

1. Relationes inter diversos ritus Catholicos, quamvis meliores quam initio huius saeculi, adhuc frequentius obstant saluti animarum. Difficultas transeundi ab uno ad alterum ritum videtur praeter modum magna, maior quam mens Ecclesiae desiderat, praesertim quando superiores inspirentur motivis potius patriis quam religiosis.

Muti sunt qui nati et educati sunt nostris regionibus. Solum scholas nostras et ecclesias frequentabant ubi ecclesiae eorum ritus non aderant. Saepe linguam nostram tantum sciunt loqui. Nescientes eorum ritum et linguam, aliqui volunt fieri sacerdotes vel religiosae Latini ritus, sed eos non possumus accipere sine approbatione eorum episcoporum.

Alii sunt qui ratione frequentandi nostras ecclesias ubi nulla eorum fuit, volunt transire ad ritum Latinum, sed eis non permittitur. Sacerdotes nostri eorum matrimoniis nequeunt assistere. Saepe, post denegationem ob iram matrimonium attentant extra ecclesiam, generatim in ecclesia orthodoxa, sed aliquando coram ministris haereticis. Raro fidei catholicae reconciliantur.

Melius nobis videtur ad pacem et bonum animarum si Catholici rituum Orientalium possent transire facilius ad ritum Latinum nostris regionibus ubi ritus Latinus praestat, et vice versa in illis regionibus ubi ritus Orientalis praestat; saltem quando utilius videtur ad salutem animarum.

2. Novus modus praedicandi haereticis videtur requiri nostris temporibus. Saltem in Canada et in America Septemtrionali fere omnes « Protestantes » sunt potius infideles. Multi non sunt baptizati. Pauci sunt qui sciunt in quod credunt, Ecclesia Lutherana forsan excepta, ubi studia zelanter prosequuntur. Ceteri inter se divisi sunt, uniti solummodo contra Ecclesiam Catholicam et quasdam eius doctrinas. Unitatem desiderant omnes, etiam haeretici, sed unusquisque suo modo, nolentes super omnia accipere auctoritatem Ecclesiae Catholicae.

Fides in sensu vero, his gentibus est parvi valoris. Fides apud eos est aliquid subiectivum, quamvis obiective iudicant in multis rebus, v. g., relate ad leges civiles et militares. Trahuntur autem operibus caritatis, et saepe liberaliores sunt quam nostri. Quaeritur utrum aliquid fieri possit pro eorum conversione, caritate freti aeque cum fide, conducendo eos gradatim ad necessitatem fidei.

3. *Actio Catholica.* Id quod Pius XI vocavit Actionem Catholicam, ad spiritum Apostolatus fovendum et ignorantiam repellendam, est valde utile, sed non sufficienter propagatum in Seminariis. His temporibus, cum res novae fere quotidie proponuntur, cursus in *Actione Catholica* et in *Doctrina Sociali Ecclesiae,* videntur omnino necessarii.

4. *Liturgia.* Quid fieri potest ad cultum Liturgicum promovendum? Fideles nostris regionibus, Missae multo frequentius assistunt quam antea, gratia praesertim Sancto Pio X, sanctae memoriae, et Pio XII nuper gloriose regnante, per variationes factas quibus ieiunium eucharisticum abbreviabatur et Missae postmeridianae permittebantur.

Quamvis non loquar in favorem linguae vernaculae in omnibus partibus Sacrificii Missae, nihilominus ad fideles adiuvandos et cohortandos ad maiorem participationem, maior usus linguae vernaculae indubitanter adiuvaret, praesertim his temporibus quando vel multi sacerdotes linguam latinam tam imperfecte sciunt ut Breviarium vix possint digne et devote recitare.

Me doleret Breviarium habere solum lingua vernacula; sed melius id videretur quam illud latine habere quando tanti sacerdotes in omnibus regionibus illud multo imperfecte intelligunt, et maxima pars sacerdotum non satis bene ut illum fructum hauriant quem facile haberent ex vernaculo. Pauci sunt qui hoc Divinum Officium, praesertim psalmos, qui in se continent totam scientiam spiritualem, tam fructuose legere sciant ut possint ex ipso haurire ad libitum in eorum praedicatione. Minus minusque his temporibus lectiones psalmorum locum habent nostris colloquiis. In reformatione Breviarii statui posset ut unusquisque in qualibet lingua illud recitare possit, dummodo textus approbatus sit a Sancta Sede.

5. *Instituta Saecularia.* Cum libertate qua gaudemus in fere omnibus provinciis Ditionis Canadensis, in scholis praesertim dirigendis, maxime interest habere magistras religiosas; sed propter inopiam vocationum, his ultimis annis, praesertim in congregationibus consuetis, oportet aliquid facere ad Instituta Saecularia magis magisque comprobanda.

✠ IOANNES H. MACDONALD
Archiepiscopus Edmontonensis

6

Exc.mi P. D. NILI N. SAVARYN

Episcopi Edmontonensis Ruthenorum (Edmonton)

Edmonton, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Grato animo litteras aestimatissimas Eminentiae Vestrae Reverendissimae die 18 iunii 1959 datas Prot. N. 1 C/59-470, a me acceptas esse confirmo easdemque respondere honori mihi duco.

Quodsi in Concilio Oecumenico impendente Hierarchae orientales, in quorum numero etiam disuniti, prouti spei aura affulget, participes fuerint, rara occasio et idonea opportunitas sese praeberet quasdam quaestiones omnium orientalium communes deliberandi.

1. *Quaestio calendarii ecclesiastici.*

Aliter ac in Ecclesia latina in Ecclesiis particularibus orientalibus, saltem in plurimis earum, adhuc calendarium Iulianum in usu est. In quibusdam Ecclesiis particularibus, ut in Ecclesia ucraino-catholica trans Atlantem, quaedam paroeciae permissu Hierarcharum calendario Gregoriano utuntur, aliae vero calendarium Iulianum adhuc retinuerunt. Haec conditio inter fideles contentiones et dissensiones provocat aliquando implacabiles. Nonne huius rarae occasionis momento Patres orientales Concilii Oecumenici quaestionem unius calendarii in tota Ecclesia orientali excutere ac promovere possent?

2. *Quaestio ieiuniorum et temporum sacrorum.*

Aliter ac in Ecclesia latina dies ieiuniorum et temporum sacrorum in Ecclesiis orientalibus iure particulari praescripti sunt et usu recepti. In comparatione cum disciplina latina praxis ieiuniorum et temporum sacrorum Ecclesiarum orientalium multo rigidior est.

Hierarchae orientales, specialiter trans Atlantem, continuo dispensationibus super ieiunio et tempore sacro molestantur et aliquando, dispensatione tributa, animos offendunt fidelium qui natu maiores sunt atque strictam observationem utriusque legis patrocinantur. Nonne huius rarae occasionis momento Patres Concilii Oecumenici orientales disciplinam ieiuniorum et temporum sacrorum in tota Ecclesia orientali uniformem et praesenti leviorem excutere et promovere possent?

3. *Quaestio dierum festorum qui in dies negotiorum cadunt.*

In Ecclesiis orientalibus cursu anni ecclesiastici dies festi pro foro celebrandi praescribuntur non pauci qui in dies negotiorum cadere possunt, ex. g. in Ecclesia ucraino-catholica Synodo provinciali Leopoliensi plus quam viginti. In theoria hi dies festi vigent, in praxi observari non possunt quia fideles hisce diebus festis potestati civili et aliis confessionibus alienis a suo labore vacare non possunt.

Nonne hi dies festi communi Patrum Concilii Oecumenici orientalium deliberatione et conventu ad numerum pauciorem redigi possent? Nonne alio quodam modo consultum esse posset huic conditioni quae tam sacerdotum quam fidelium animos conturbat?

4. *Quaestio officiorum divinorum.*

Officia divina orientalia quorum apparatus et spiritus, devotionem provocat hac unica exceptione laborant quod nimis longa sunt. Fideles saepe saepius conqueri audiuntur sui ritus officia divina diu durare ac sub hoc praetextu breviora officia divina latina aliquando frequentare malunt ubi inter latinos vivunt. Nonne sperandum esset ut Patres Concilii Oecumenici orientales etiam hanc quaestionem excutere et officia divina orientalia, S. Liturgiis non exceptis, per omissionem repetitionum in eorum textibus scatentium abbreviare consentiantur et curent?

Has quatuor quaestiones quas ego, Hierarcha in territorio orientali, in Concilio Oecumenico tractandas et solvendas toto animo cuperem Eminentiae Vestrae Reverendissimae suggerere audeo.

S. Purpuram venerando, me Eminentiae Vestrae Reverendissimae famulum in Christo Domino addictissimum esse affirmo.

✠ NILUS N. SAVARYN, O. S. B. M.
Episcopus Edmontonensis Ruthenorum

7

EXC.MI P. D. IOSEPHI R. GAGNON
Episcopi Edmundstonensis (Edmundston)

1. *De nova Ecclesiae doctrinarum redactione expositioneque simpliciore.*

Concilium oecumenicum proximum, cum sit pastorum Ecclesiae conventus ad iudicandum et statuendum circa doctrinam disciplinamque ecclesiasticam convocatus, optimam videtur praebere occasionem qua

omnes Sanctae Matris Ecclesiae doctrinae tam dogmaticae quam morales conferri atque simpliciori modo exponi possunt.

2. *De necessitate methodoque naturam Ecclesiae exponendi.*

In veritatibus fidei christifidelibus tradendis, magis magisque exponenda est natura Ecclesiae Dei. Iam diu doctrinae Ecclesiae modo potius negativo, scilicet contra adversariorum errores defendebantur, quam positivo exponebantur. Theologia dogmatica etiam et moralis explicanda est verbis quibus, de Mystico Corpore Christi tractantes, utebantur Apostoli et S. Paulus, etiam et eis quae in Patrum Ecclesiae theologorum scriptis inveniuntur. Veritates fidei ita expositae modo rudium ingenio accomodato multum efficere possent ut christifideles maiorem erga sanctam matrem Ecclesiam, quatenus est Mysticum Corpus Christi, conciperent reverentiam.

3. Ecclesia una, sancta, catholica, apostolica.

Unum ovile et unus pastor. Media ad obtinendam istam unitatem.

4. De festo Dei Patris instituendo.

5. De devotione erga B. M. Virginem.

De Maternitate Spirituali B. M. Virginis.

6. De necessitate perfectionis in sacerdotibus et de mediis ad eam assequendam.

7. De zelo animarum et de vigilantia pastorali.

8. De mediis ad obtinendam maiorem efficaciam in ministerio hodierno sacerdotum, in catechetica institutione et in praedicatione verbi divini.

9. De mediis ad fovendas vocationes sacerdotales, religiosas et missionarias ex parte familiae, ex parte scholae, ex parte Seminariorum, ex parte sacerdotum.

10. De mediis ad adiuvanda Opera Missionaria Pontificalia.

11. *De Sacramento Confirmationis.*

Facultas conferendi confirmationem in periculo mortis concedenda non tantum parochis sed etiam vicariis et cappellanis.

12. *De Sanctissima Eucharistia.*

Hisce ultimis annis mirabilia vidimus cum Missis vespertinis et novis regulis circa ieiunium eucharisticum. Attamen mihi videtur quod ampliores concessiones essent valde utiles.

De ieiunio eucharistico. Nulla differentia inter potum et cibum solidum et nulla differentia inter sacerdotes et fideles quoad tempus ieiunii eucharistici servandi. Consequenter qui recipiunt sacram communionem deberent servare ieiunium eucharisticum per unam horam ante communionem quoad cibum solidum et quoad potum non alcoholicum.

Idem pro sacerdotibus, qui deberent servare ieiunium eucharisticum per una horam ante communionem (et non ante initium Missae).

13. *De tempore Missae.*

Facultas celebrandi Missam quacumque hora diei pro omnibus sacerdotibus; facultas celebrandi Missas vespertinas pro omnibus sacerdotibus.

14. *Facultas bis litandi quotidie* quando iudicio Ordinarii hoc est necessarium vel valde utile ad pietatem fidelium.

15. *Facultas ter litandi* diebus dominicis aliisque festis de praecepto ob penuriam sacerdotum.

✠ IOSEPHUS R. GAGNON
Episcopus Edmundstonensis

8

EXC.MI P. D. EDUARDI Q. JENNINGS
Episcopi Arcis Gulielmi (Fort William)

Fort William, die 30 augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Indulgentia permagna mihi est habere facultatem humiliter proponendi sequentia ut res quae in Concilio Oecumenico a Sua Sanctitate convocato tractari possent:

I. Novae et definitivae declarationes de rebus quae iam in doctrina Ecclesiae continentur:

1. Vita gratiae, per doctrinam et merita Redemptoris Nostri Iesu Christi ut unicum fundamentum spei hominis uniuscuiusque necnon unionis omnium hominum.

2. Ratio honoris Beatae Mariae Virgini et Sanctis redditi, et fines extensionis huius cultus.

3. Iura et officia eorum qui laborant et eorum qui administrant in mundo productionis oeconomicae.

4. Iura et officia populorum et eorum qui super eos administrationem civilem gerunt, et coetuum qui ad liberationem luctantur in ditionibus insuper ubi populi quasi aborigines desiderio se declarandi et gubernandi moventur.

5. Divortium. Conceptionis cohibito. Abortum sic dictum legale ad populationis augentum restringendum.

6. Continuatio variorum rituum Ecclesiae in regionibus praesertim temporibus recentioribus incultis ubi unus ritus multitudine superat.

II. Consideratio de sequentibus:

1. Agitatio ab aliquibus coetibus pro Missa linguis vernaculis celebranda, saltem in parte, ad finem asservandi linguam Missae ita ut nunc est et ad evitandam confusionem periculosam conversionis in linguis multis.

2. Agitatio ab aliquibus coetibus pro Divino Officio linguis vernaculis recitando, saltem in parte, ad finem asservandi linguam Officii ita ut nunc est, et ad evitandam confusionem conversionis in linguis multis.

Visis permultis occupationibus in vita sacerdotum his nostris temporibus, forsitan perpendenda est contractio Divini Officii in partibus principalibus (psalmis et lectionibus). Ita, ut multis videtur, spiritualis consolatio Officii conservata esset et quaestio de lingua soluta.

Cum omni qua par est reverentia, me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
Addictissimum in Domino

✠ Eduardus Q. Jennings
Episcopus Arcis Gulielmi

9

Exc.mi P. D. PAULI BERNIER
Archiepiscopi Ep. Gaspesiensis (Gaspé)

Gaspé, Qué. (Canada), le 30 décembre 1959

Eminence Révérendissime,

Je m'honore de Vous transmettre sous ce pli les observations et les vœux que nous invitait à formuler, le 18 juin dernier, la Commission Antepréparatoire que préside Votre Eminence.

Le travail pastoral des mois d'été et d'automne et les nombreuses affaires ecclésiastiques qui récemment m'ont retenu hors du diocèse, m'ont empêché de Lui faire tenir plus tôt ce modeste mémoire.

Avec l'assurance renouvelée de mon entier dévouement, je vous prie d'agréer, Monseigneur, l'expression de la vénération profonde avec laquelle, S. Purpuram deosculando, j'aime me redire

de Votre Eminence Révérendissime
le très affectionné serviteur in Christo

✠ Paul Bernier
Archevêque-Evêque de Gaspé

* * *

I. *Doctrinae capita.*

1. *De Episcoporum auctoritate.* Insistendum praeprimis mihi videretur super divinam, eamque hierarchicam, Ecclesiae Christi constitutionem. Et super munus magisterii, sacerdotii et regiminis, quod sub suprema Romani Pontificis auctoritate, Episcopis, « qui in Apostolorum locum successerunt » (Concilium Tridentinum, Sessio 23, de reformatione, caput 4), iure divino competit. Quod quidem munus Pius XII b. m. tam apte tamque feliciter Sacrorum ipsis Antistitibus illustravit in binis Allocutionibus sollemnibus, diei scil. 30 iunii et 2 novembris 1954 (*A.A.S.*, XLVI, 1954, pp. 313-317 et 670-677).

2. *De benedictionibus reservatis.* Ut benedictiones quascumque, ne exceptis quidem illis quae in Rituali Romano (tit. IV, cap. XI) « propriae nonnullorum Ordinum regularium sive congregationum religiosarum » vocantur, Episcopus, sive residentialis sive titularis, impertire possit et valeat, salva dumtaxat Benedictione Apostolica, aliave quam Romanus Pontifex sibi soli reservaverit.

3. *De religiosorum exemptione.* Ut, exclusa in posterum religiosorum exemptione, sola maneat distinctio inter religionem iuris pontificii et religionem iuris dioecesani.

4. *De negotiis Episcopos inter et religiosos dirimendis.* Ut non quidem a Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum proposita, sed potius a Sacra Congregatione Concilii ea omnia negotia dirimenda sint, quae inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt; aut melius adhuc a novo Dicasterio cui res illa competeret sicut olim Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium.

5. *De nonnullis indultis religiosorum.* Ut privilegia ceteraque indulta quae etiam populi christiani disciplinam afficiunt, ut ecce, publica Missae celebratio in nocte Nativitatis Domini, praecepti paschalis satisfactio et similia, ne Religiosis concessa intelligantur nisi cum clausula: de consensu Ordinarii loci.

II. *De disciplina cleri et populi*

6. *De officio divino.* Ut, choralis cantus seu recitationis obligatione integra manente, onus privatae Officii divini recitationis ita allevietur ut necessitatibus et conditioni sacerdotum, praesertim illorum qui curam animarum gerunt, melius accommodetur.

7. *De veste ecclesiastica.* Ut, pontificia constitutione, ubique terrarum

vigente, usus vestis talaris soli Missae celebrationi aliisque sacris functionibus deinceps reservetur. De cetero, ecclesiastica vestis (can. 804, § 2) seu habitus clericalis (can. 136, § 1), secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta determinandus maneat.

8. *De abstinentia et ieiunio.* Ut lex ecclesiastica de abstinentia et ieiunio (cann. 1250-1254) iam non de praecepto sed solum de consilio esse declaretur ubique terrarum.

III. *De actuositate qua hodie Ecclesia tenetur*

9. *De Actione Catholica et laicorum apostolatu.* Ut totius Actionis Catholicae et Laicorum Apostolatus configuratio seu ordinatio denuo instauretur, iuxta mentem Pii XII b. m., in sollemnibus allocutionibus diei 14 octobris 1951 (*Discorsi e radiomessaggi,* XIII, pp. 293-301) et diei 5 octobris 1957 (*A.A.S.,* XLIX, 1957, pp. 922-939) tam luculenter apertam.

IV. *De Sacra Liturgia*

10. *De librorum liturgicorum revisione.* Ut omnes libri liturgici, praesertim Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum, ad normam *Codicis Iuris Canonici* recentiorumque legum liturgicarum denuo edantur.

11. *De eorum historica expurgatione.* Ut Martyrologii Romani praeconia necnon et lectiones Breviarii Romani iuxta scientiarum historicarum placita prudenter expurgentur.

12. *De Rubricarum Missalis codificatione.* Ut tam Rubricae generales Missalis quam sic dictae Additiones et Variationes in unum redigantur et codificentur, ratione habita novissimarum regularum a Sacra Rituum Congregatione, die 25 martii 1955, edictarum.

13. *De privata Missae ferialis celebratione.* Ut in privata Missae ferialis Quattuor Temporum celebratione lectio unica et unica collecta, ultima scilicet, legi possit.

14. *De tono vocis in Missa lecta.* Ut in Missa lecta omnia clara voce dicantur, ita scilicet ut a circumstantibus audiri possint, sublata iam distinctione inter illa quae clara voce illaque quae secreto nunc dicenda praescribuntur (Rubricae Generales Missalis, XVI).

15. *De usu linguae vernaculae.* Ut tam in Missae celebratione quam in aliorum Sacramentorum sive Sacramentalium confectione, sacer minister linguam vernaculam usurpare possit, iuxta tamen translationem officialem, auctoritate Nationalis Episcoporum Coetus seu Conferentiae exaratam, et a Sancta Sede probatam.

V. *De ceteris negotiis*

16. *De constitutione Sacrae Romanae Rotae.* Ut, sicut lex S. R. Rotae propria, a sancto Pio X, die 29 iunii 1908, promulgata, statuerat (art. 1, § 2), Auditores Sacrae Romanae Rotae laurea doctorali saltem in theologia et iure canonico praediti esse debeant, derogato quoad hoc praescripto can. 1598, § 2.

Quae omnia sane Commissionis Antepraeparatoriae maturiori examini eiusque sapientiori iudicio, qua par est reverentia, omni tamen libertate et sinceritate, proponuntur.

✠ PAULUS BERNIER
Archiepiscopus Ep. Gaspesiensis

10

EXC.MI P. D. GERARDI COUTURIER
Episcopi Sinus S. Laurentii (Golfe St-Laurent)

Hauterive, die 13 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Illo nuntio, quo significabatur Summum Pontificem esse Consilium Oecumenicum convocaturum, cum tota Ecclesia et universo orbe maximum in Domino gaudium percepi. Statim obsecrationes effudi supplicationesque pro felici huius Consilii eventu mandavi: quaque die dominica, tempore praedicationis cuiusque Missae, Pater et Ave semel recitanda sunt in eamdem intentionem simul ac pro incremento Unitatis Christianae.

Cum munus Episcopi nuper susceperim, permulta in illo Conventu mihi, ut patet, discenda et accipienda erunt. Attamen, ut desiderio Augusti Pontificis et Eminentiae Vestrae invitationi rescribam, aliaque exponere consilia audeam:

1. Meam vocem iungo humilem cum illa Episcoporum qui rogaverunt ut universalis Beatae Mariae Virginis Mediatio utpote dogma declararetur.

2. Cum ex Spiritualibus Excercitiis per triginta dies effectis fructus inaestimabiles a Nostris Sacerdotibus capiantur — fateor meipsum feliciter ea secutum esse, mense ianuario nuper elapso — mecum ipse quaero annon hoc consilium examinari valeat, quod talia Exercitia maioris Seminarii curriculo contineatur aut intra primam sacerdotii decadem habeatur.

3. Hodierna die, societate magis magisque « cosmopolitana » pastoralis curae gratia necnon utilium vi rationum suggeram ut vestitus « clergyman » dictus, ab omni clero sive Ordinis sive Congregationis vel societatis usu regulari ferri possit extra familiarem domum.

Obsequens ac sacram purpuram osculans, humili summoque obsequio Eminentiam Vestram prosequor.

✠ Gerardus Couturier
Episcopus Sinus S. Laurentii

11

Exc.mi P. D. AMATI DECOSSE
Episcopi Gravelburgensis (Gravelbourg)

Gravelbourg (Sask), die 4 februarii 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Propter claudicantem lectionem litterarum E. V. (Prot. N. 1 C/59-554), die 18 iunii 1959 datarum, de animadversionibus ab Episcopis faciendis in praeparatione Concilii Oecumenici, mente nullum responsum comprehendi necessarium fore, nisi aliquis Episcopus reipsa quaedam vota Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae deferenda habuerit.

Attamen, lectis nonnullis diaris de laboribus Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae, percepi quod responsum ab unoquoque Episcopo desiderabatur; itaque, etiam ista tardiore hora, aliquas audeo observationes subicere.

Duas tantum animadversiones facio.

Quoad disciplinam cleri et populi:

1. *De choreis.*

Num possit Concilium Oecumenicum (vel Sacra Congregatio Consistorialis) actionem Episcoporum diversarum nationum, praesertim in America Septentrionali ad uniformitatem reducere circa usum chorearum « modernarum » in aedibus paroecialibus?

De facto, v. g. in regione Canadensi, in dioecesibus ab Episcopis linguae Anglicae rectis, choreae « modernae » in paroecialibus aedibus generatim permittuntur, dum in dioecesibus ab Episcopis gallicae linguae rectis, eaedem prohibuntur iuxta Decretum SS. Pp. Benedicti XV (*A.A.S.*, vol. VIII, 1916, pp. 147-148) necnon Declarationem super eumdem Decretum (*A.A.S.*, vol. X, 1918, p. 17).

Haec contradictio in observatione Decreti magnam confusionem gignit in mente fidelium, praesertim cum dioeceses fines communes habeant.

2. *De Actione Catholica.*

Num fieri possit codex legum circa constitutionem necnon temperationem (« organisation ») Actionis Catholicae?

Cum reverenti animi sensu, Purpuram Romanam Eminentiae Vestrae deosculor,

✠ AMATUS DECOSSE
Episcopus Gravelburgensis

12

EXC.MI P. D. IOSEPHI G. BERRY
Archiepiscopi Halifaxiensis (Halifax)

Halifax in Nova Scotia, die 12 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Responsum invitationi factae a Commissione Pontificia pro Consilio Oecumenico praeparando his litteris damus.

Inter actus Sanctissimi Papae hodie fel. regn. Ioannis XXIII eminet iam oecumenicum Concilium convocatum. Ecclesiae his temporibus in terra militanti minus violens et etiam minor est oppositio ex parte Protestantium, sicuti erat verum in annis 1869-70 dum *Vaticanum* praeparabatur et locum habuit. Hodie saltem ideologice indifferentismus et aliqua deificatio ipsius status civilis et politici forum invaserunt et impetum fecerunt alii inimici.

1. Votorum a Sanctissimo Papa emissorum in primis litteris encyclicis *Ad Cathedram Petri* commentaria offerri volumus.

Si generationem actualem clericalem et maxime futuram praeparare volumus ad diffundendam Ecclesiae Sanctae doctrinam, intensivior debet esse instructio in seminariis in toto apparatu technico-diffusivo nostris temporibus valde elaborato. Nonnisi partialiter hoc fieri potest ante theologicum cursum, non vero totaliter. Verum solida instructio in sacris disciplinis minime per annos seminarii negligi potest; e contra ut responsum praebeatur erroribus modernis, instructio magis abundans requiritur. Errores antiquitatis in libris manualibus restringendi et viam aperiendi ad positivum aspectum votum habemus. Spes nobis venit quod Ecclesia uti Corpus Mysticum praesentetur studentibus; catechismus ple-

nus exemplis et dictis Christi potius quam formulis theologicis pro fidelibus.

Clerici ita bene instructi et insuper competentes in arte technico-diffusivo (radio, televisio, cinema, microphone) decuplum fructum in agro Domini percipere poterunt.

Laici frequenter periti in omni isto technico proximi adsunt et adiutorium praestare parati sunt, si invitentur.

Insuper alii laici multum bonum et non solum apud exteras missiones, praestare poterunt, utendo iisdem mechanicis modis (cinema, tape recording) in adiutorio cleri et sub eius vigilantia. Ita fieri poterit quod fidei propagatio rapidior et magis universalis evaderet.

2. Renovandi sunt habitus populi christiani.

...« ut ad rectam christiani populi morum renovationem deveniatur, utque ecclesiastica disciplina ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accomodetur » (*Ad Petri Cathedram, A.A.S.,* vol. LI, p. 511).

Christiana familia in pluribus saeculo isto ineunte ab industriali congerie impugnabatur; hodie multa ex bellorum sequelis et ex rapida urbanizatione, ita ut multa et alia problemata exorta sint. Mobilitas populorum ita est notabilis et multae familiae nova fundamenta longe a regione natali proiciunt et nova auxilia requiruntur. Si Papa Pius XI laborantes in industria moderna in Europa nimis alienatos esse ab Ecclesia lugebat, nobis inest obligatio istos in alienas partes ineuntes vitam novam auxilium praestare. Una methodus est incessanter promulgare et reiterare doctrinam socialem Ecclesiae.

Mihi persuasum est quod declaratio publica e Concilio emanans et puncta religioso-socialia continens de familia posset parentibus omnibus claram spem afferre. Ad minimum reiterandum erit ius naturale familiae contra malthusianos et extollenda valde contra syntheticas inventiones a socialistis propositas, naturalis cellulae totius societatis excellentia.

In genere, aspectus socialis doctrinae Christianae saluti populi favebit,

In praxi, *a*) promoveatur in Missa sacra participatio adsistentium secundum nova decreta iam promulgata.

b) Cum lingua latina progressive a paucioribus comprehenditur videtur quod Missa catechumenorum tantummodo in lingua vernacula accipi posset.

c) Disciplina de hora vespertina servanda sed non amplianda.

d) Adiuvaret sacerdotes saltem in ministerio positos Ecclesia si lingua vernacula uti in recitando Breviario eis permitteret, eo quod lin-

gua latina minor in dies evadit apud nos. Attamen pars aliqua, ut v. g. horae diurnae, in lingua Ecclesiae recitetur.

Quoad Concilii praxim:

Revelata sunt post Vaticanum Concilium schemata pro patribus praeparata et etiam modificationes publici iuris factae sunt durante Concilio, etsi obligatio secreti servandi imposita erat (cf. Alban Butler, O. S. B., *The Vatican Council,* vol. II, cap. XXVIII). Immo videtur quod vendita sunt et in manus alienorum pervenerunt antequam patres ipsi eadem recepissent.

Forsan melius erit publici iuris facere regulariter summaria puncta pro ephemeridibus et etiam pro alis mediis sicut radio et televisione. Ita evenerit quod si errores et calumnia emittantur, responsio erit clara et rapida.

Perfectio adhuc desiderabitur sine dubio etsi talia fiant, sed saltem homines bene dispositi veritatem videre poterunt.

Ita Ecclesia cum votis et consiliis episcoporum totius mundi bene perpensis et in Concilio apertis, ad munus suum magnificum apud omnes nationes in dies progredi poterit et Regnum Christi advenerit.

✠ IOSEPHUS G. BERRY
Archiepiscopus Halifaxiensis

13

EXC.MI P. D. IOSEPH F. RYAN
Episcopi Hamiltonensis (Hamilton)

Hamilton, die 6 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Tuis litteris 18 iunii, Prot. I C/59-580 rescribendo, dicerem, apparere, quaestionem de appellatione pro Unitate Christiana in Regione Canadensi et in Statibus Septemtrionalibus dextere esse tractandam. Nostris diebus pauci non-catholici sunt qui quaestionem de Una, Sancta, Catholica et Apostolica Ecclesia amplectendam parvi vel nihil considerent.

1. In hac Regione Canadensi protestantismus in tres partes dividitur:

a) Ecclesiae quae initium ex tempore reformationis capiunt. Hae ecclesiae quasdam definitas religiosas opiniones habere videntur. Quaedam unitatem inter se desiderant, sed Ecclesiam Catholicam cum suspicione tuentur. Interdum magna voce asseverant se auctoritatem ac praesertim infallibilitatem Summi Pontificis numquam agnituras esse.

b) Recentioribus annis ortae multae novae sectae, quae parum quoad fidei doctrinas credunt et quae v. g. Jehovah Testes (Jehovah's Witnesses) religioni, quam ipsae vocant religionem constitutam (organized religion), magnopere resistunt. Eae videntur perpetuo dividi in parvissimas congregationes. Istae sectae argumenta theologica nihil faciunt.

c) Demum, datur tertius ac maior coetus qui sese christianum vocat, tamen nullius ecclesiae est. Constat multos huius classis esse bonae voluntatis, sed isti magna ex parte probabilius non fuerunt baptizati. Multi ex nostris conversis ad Ecclesiam ex hac classe proveniunt. Forsitan, clara et moderna expositio de Unitate et Apostolicitate Ecclesiae Catholicae istis multis offensioni esset ita ut isti originem Divinam Ecclesiae primo cognoscerent et intelligerent.

d) Generatim, appareret, quaestionem de Unitate esse fundamentaliter, ex non-catholicorum parte, suam negationem et recusationem auctoritatis magisterialis Ecclesiae.

2. *Codicis Iuris Canonici* revisio hac in re peritis melius relinquenda est. Tamen, oportet eniti ut Ius Canonicum Ecclesiae Occidentalis et Ius Canonicum Ecclesiae Orientalis concorda fiant in quaestionibus connexis, v. g. matrimonii, baptismi, mutationis ad alterum ritum etc., in quibus, ut nunc est, difficultates sine fine fuerunt.

3. *a*) Leges communes ieiunii et abstinentiae ad totum orbem terrarum non amplius applicentur. Praestat concedere Ordinariis Potestatem hac in re leges pro sua quaque Regione ferendi aut a seipsis aut in Conciliis Provincialibus.

b) Interea, Ordinariis libet si ipsi de dispensationibus a legibus ieiunii et abstinentiae certiores fiant priusquam notitia de his ex aedibus Vaticanis prodita sit. Ultimis paucis annis, Ordinari de proviso primam notitiam de his ex quotidianis ephemeridibus excipere solebant.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam Reverendissimam prosequor atque me profiteor

Tibi in Domino Addictissimum

✠ IOSEPHUS F. RYAN
Episcopus Hamiltonensis

14

EXC.MI P. D. IOANNIS M. O'NEILL

Episcopi Portus Gratiae-Granfallensis (Harbour Grace-Grand Falls)

1. *Officium Divinum.* — Clare patet editionem nostram Breviarii Romani ad recitationem in choro esse ordinatam. Pro recitatione privata, tales partes ac lectiones breves, responsoria, versicula et aliae partes ad recitationem in choro ordinatae tolli possunt et debent. Matutinum unum tantum nocturnum habere debet et lectiones, praesertim officiorum sanctorum in secundo nocturno, emendatione indigent.

Maxime promoveretur pietas clericorum et cognitio Sacrae Scripturae, praesertim psalmorum pro sacra praedicatione, si Sacrum Officium recitari posset lingua patria.

2. *Matrimonia mixta.* — Praecamur ut Sancta Sedes omnino tollat dispensationes pro matrimoniis mixtae religionis et disparitatis cultus. Legislatio praesenter vigens imponit onera intollerabilia conscientiis episcoporum. Certitudo moralis in multis casibus haberi non potest. Insuper, rationes canonicae pro talibus dispensationibus fere numquam habentur. Ratio in omnibus casibus est desiderium matrimonium contrahendi.

Insuper, matrimonia mixta frequenter ducunt ad perversionem partis catholicae et prolis, maxime favent indifferentiae religiosae quia proles ab adolescentia frequentare solent societatem hereticorum et domo vita religiosa non existit, et viam late aperiunt aliis matrimoniis mixtis. Si fideles scirent *ab initio* talia matrimonia non esse possibilia, non inciperent familiarem societatem cum acatholicis quae normaliter ducit ad matrimonium.

3. *Indulta.* — Magnum incommodum tolleretur episcopis si omnia indulta facultatum Sacrarum Congregationum concederentur pro quinque annis tempore Visitationis ad Limina. Quando indultum pro uno, duobus vel tribus annis conceditur, ut frequenter accidit, est difficile recordare *tempore opportuno* necessitatem petendi prorogationem.

4. *Confessarii.* — Pro eadem ratione ac in praecedenti, maxime faveret episcopis si possent nominare confessarios religiosorum et religiosarum pro quinque annis et non pro tribus annis ut existit nunc.

5. *Religiosi et Religiosae.* — Exemptiones religiosorum et religiosarum tolli desiderandum est. Personae religiosae magis sub iurisdictione ordinariorum locorum subici deberent.

Omni quo par est obsequio
✠ IOANNES M. O'NEILL
Episcopus Portus Gratiae-Granfallensis

15

Exc.mi P. D. LUDOVICI LÉVESQUE
Episcopi Hearstensis (Hearst)

Hearst, die 8 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Infrascriptus Episcopus Hearstensis Eminentiam Tuam certiorem facere desiderat de acceptis litteris Tuis diei 18 mensis iunii 1959, titulo Praesidis Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

« Animadversiones, consilia et vota », vere particularia seu personalia, praeter ea quae a Sancta Sede in documentis praesertim recentioribus, attentis nostrorum temporum argumentis, tractata fuerunt, sincere non habeo, et absolute certus sum, ad me quod attinet, quod ea quae mihi videntur « Ecclesiae animarumque bono profutura », in proximo Concilio exposita et enucleata erunt.

Sacram Tuam Purpuram, Eminentissime Domine, humiliter deosculans,

✠ Ludovicus Lévesque
Episcopus Hearstensis

16

Exc.mi P. D. IOSEPHI A. O'SULLIVAN
Archiepiscopi Kingstoniensis (Kingston)

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras tuas diei 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-687, accepi. Mihi videtur quod nos invitationem ad unitatem Christianam appropinquare debemus novo et moderno modo. Permulti Christiani haeretici conceptionem claram de necessitate essendi membrum Unius, Apostolicae et Catholicae Ecclesiae perdunt.

1. His locis, Protestantismus dividi potest in tres parte principales:

a) Sunt sectae quae originem a « Reformatione » ceperunt et adhuc superstitant. Inter quas permulti doctrinas definitas habent et multi re vera unitatem inter se desiderant, sed omnes scopum et intentiones Ecclesiae Catholicae suspicantur. Omnes auctoritatem et praesertim Summi Pontificis infallibilitatem accipere nolunt.

b) His annis novae sectae ortae sunt quae nullas doctrinas definitas habent et quae contra « religionem organizatam » fanatice agunt. Parvae

catervae sunt, saepe sine ulla relatione inter se, a promotoribus pecuniam tantum quaerentibus fundatae, quae sine ullo unitatis desiderio, potius ad catervarum multiplicationem tendunt. Omnia argumenta theologica usitata pro eis inutilia esse videntur.

c) Illi tamen qui tertiam et fortasse maximam partem Protestantismi constituunt, se Christianos vocant, sed de facto nulla cum ecclesia sese identificant. Eorum maior pars bona voluntate agunt, permulti tamen ne quidem baptizati sunt.

Mutiplicatio sectarum religiosarum eos in perturbationem deicit et animos eorum deprimit. Se tamquam individuos Deo servire posse sentiunt. Ex his venit, bene est notandum, maior numerus eorum qui singillatim ad veram Ecclesiam se convertunt. Nova emphasis et moderna ad cognoscendam Unitatem, Apostolicitatem et Catholicitatem Ecclesiae, eos forsan commovere possit ut divinam Ecclesiae originem denique tandem agnoscant.

2. Videtur quod emendatio Codicis Iuris Canonici expertis canonistis bene referri potest ita ut, ante Concilii convocationem, episcopi totius mundi schemam a canonistis praeparatum considerare et meditare possint.

Ius Canonicum Ecclesiae Occidentalis et Orientalis, quoad fieri poterit, concordare debemus. Exempli gratia, in his locis, kalendarium pro festis Nativitatis D. N. I. C. et Paschae unificare optemus, ut difficultates in rebus scholasticis et commercialibus aboleantur.

Leges communes ieiunii et abstinentiae iam universaliter non obligent. Ordinarii singularum nationum, sive singillatim, sive in conciliis provincialibus congregati, leges his in rebus condere possint.

3. Videtur quod Concilium Officium modernum de relationibus publicis (vulgo « public relations department ») habere debeat, cuius munus erit notitias auctoritativas de Concilii progressu et de eius diudicationibus edere. Quaestiones omnes de emittendo vel non-emittendo tales notitias de deliberationibus cautissime determinari debent antequam Concilium convocatum sit. Leges de hac re iam bene determinatae urbi et orbi proclamari debent. Aetate nostra communicationis facilis et universalis, omnino necessarium est ut evitemus repetitionem de rumoribus et falsis auditionibus, quibus Concilium Vaticanum circumdatum fuit.

Haec dum Tecum communico, impensos meae aestimationis sensus Tibi obtestor permanens,

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus
✠ IOSEPHUS A. O'SULLIVAN
Archiepiscopus Kingstoniensis

17

EXC.MI P. I. IOANNIS C. CODY
Episcopi Londonensis (London)

Die 1 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Prot. N. 1 C/59 a Pontificia Commissione Antepraeparatoria Pro Concilio Oecumenico, die 18 iunii 1959 nobis inscriptas suo tempore debite accepimus.

Quapropter honor mihi est transmittere ad Eminentiam Vestram Rev.mam quasdam animadversiones hisce alligatas quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Sacram purpuram reverenter deosculans, ea qua par est devotione permaneo

Eminentiae Vestrae Rev.mae et Ill.mae
addictissimus in Christo
✠ IOANNES C. CODY
Episcopus Londonensis

1. Optanda est quaedam officialis sententia exponens mentem Ecclesiae circa emendationem kalendarii universalis.

Determinatio diei immobilis pro Dominica Paschatis ut simplicior ordo festorum in Missale et Breviario Romano reddatur, perutilis erit tum pro sacerdotibus tum pro fidelibus.

2. Conferentiae Episcoporum iam in pluribus nationibus peculiari Sanctae Sedis Decreto legitime erectae, utilitati Ecclesiae favere multo videntur; quapropter Codex Iuris Canonici de eis tractare deberet.

3. Nemo non negat versionem in lingua vulgari Sacrae Bibliae permagnum auxilium esse ad progressum spiritualem fidelium, ad rem liturgicam bene intelligendam et ad christianam educationem fovendam: quapropter optandum est ut quaevis natio suam obtineat versionem Sacrae Bibliae a Sancta Sede approbatam. Uniformitas textus maximae utilitatis erit.

4. Ad Ecclesiae administrationem faciliorem reddendam, ad aequandum passus incrementi populorum catholicorum orbis, ad sublevandas necessitates plurium nationum recentium, ad praestandam Patribus Cardinalibus opportunitatem amplioris electionis cum ad eligendum novum

Summum Pontificem Romam petunt, optandum est ut numerus eorumdem Patrum Cardinalium ad *centum* accedat.

5. In aedificatione Corporis Mystici Christi maximi momenti est ut quis clare intelligat quid « Actio Catholica » et « Apostolatus Laicus » implicent: ideoque natura et finis « Actionis Catholicae » et « Apostolatus laicorum » incorporari deberent in Codice Iuris Canonici.

6. Una ex praecipuis causis Catholicorum inertiae procul dubio eorumdem est ignorantia quoad fidelium officium in Ecclesia. Nonne perutile videretur compendium aliquid Codicis Iuris Canonici fideles directe attingens in vulgari sermone editum? Hoc compendium tractare breviter poterit de Apostolatu laicorum, de Liturgia et Missa, de praecepto paschali, de oratione in coetu familiae peragenda, de educatione catholica, de matrimonio et divortio, de rebus socialibus, de societatibus prohibitis, de usu Sacrae Bibliae, de obligatione solvendi tributum pro ecclesiae sustentatione, de exercitiis spiritualibus pro laicis, de relatione inter Ecclesiam et Statum, de vocationibus ad statum clericalem et religiosum.

Praefatum compendium una cum catechismo in scholis et domi tradendum, pretiosum et practicum directorium erit.

7. Cooperatio inter clerum saecularem et regularem omnino necessaria est ad bonum spirituale Dioecesis. Quapropter quaestiones disputatae de relatione inter Instituta religiosa et paroecias a Codice Iuris Canonici definiri deberent. His in quaestionibus insuper officium Pastoris et rectoris gregis ad Ordinarium loci spectans in lucem clarius et efficacius trahi oportet.

8. Ad dioecesana et religiosorum seminaria tam maiora quam minora quod attinet, saepe notatur difficultas servandi optimum curriculum studiorum et optimum regimen disciplinae. Nonne opportuna videretur erectio associationis internationalis seminariorum ad perfectius exsequenda mandata Sanctae Sedis, ad disceptandum meritum textuum in curriculis adhibendorum, ad permutationem voluntariam professorum, si opus sit, expediendam et ad similia negotia pertractanda?

9. Si methodus praesentandi candidatos ad episcopatum a Sancta Sede approbata pro Canada, Statibus Foederatis Americae Septemptrionalis aliisque in nationibus ubi desit concordatum inter Apostolicam Sedem et Gubernium optima Sanctae Sedi videatur, tractari deberet in Codice Iuris Canonici.

10. Experientia docet amovibilitatem parochorum bono Ecclesiae magis proficere. Cum doctrina una tantum esset ex qualitatibus requisitis ad officium parochi, cumque e tabulario in Seminario servato iam notitiam de profectu studiorum candidati habere possimus, nulla videtur

ratio clericum examini iterum subiciendi antequam ad officium parochi promoveatur.

11. Caeremonias pastoralis visitationis ad normam canonis 343 *C.I.C.* peragendae breviores in aliquibus circumstantiis reddendi perutile erit.

Cum, e. g. numerus confirmandorum magnus est, brevis et conveniens oratio pro defunctis substituere poterit cantum « Libera me Domine ».

Proponimus insuper ut cum Episcopus in Ecclesia ingreditur et crucifixum osculatur, recitare praecipiatur clara voce sive latino sive vulgari sermone, « Adoramus Te Christe et benedicimus Tibi » cui parochus et fideles respondebunt: « quia per Sanctam Crucem Tuam redemisti mundum ».

Antequam cantet orationem ex Missale, proponimus denique ut Episcopus altare in medio osculetur et ad populum reversus canat « Pax vobis » et chorus (seu populus) respondeat « et cum Spiritu tuo ».

12. Optamus ut in administratione Sacramenti Confirmationis paramenta Sacra quae adhibentur uti pluviale, velum humerale pro minoribus ministris etc. rubri potius sint quam albi coloris. Si Episcopus insuper sedens confirmet, gremiali rubri coloris utatur ne sanctum oleum paramenta tingeat.

13. In distributione Sacrae Communionis, permagno numero fidelium ad S. Synaxim accedente, proponimus ut Sacerdoti bis praesertim vel ter Sacrum facienti fas sit breviori uti formula v. g. « Corpus Christi » vel « Corpus Christi custodiat te ». Hoc maxime adiuvabit praesbyterum provectae aetatis vel morbo cardiaco affectum.

14. Optandum est ut facultas Ordinarii loci delegandi proprios sacerdotes ad stationes Viae Crucis erigendas eisque indulgentias consuetas adnectendas a Codice Iuris Canonici concedatur, non vero ab Indulto peculiari a Sancta Sede obtinendo ad tempus. Dioeceses enim magna stipendia quotannis mittunt ad subveniendas ecclesias et institutiones in Terra Sancta.

15. Leges ieiunii eucharistici attingentes aegrotos qui morbo sic dicto « diabetico » laborant clarificentur ita ut ipsi aliquid cibum solidum per modum medicinae sine scrupulo sumere possint immediate ante Communionem.

16. Ad praecavendam confusionem quae orta est in recenti conclavi, proponimus ut in futuro crux electrica adhibeatur loco fumi albi coloris ad significandam electionem novi Summi Pontificis.

✠ IOANNES C. CODY
Episcopus Londonensis

18

Exc.mi P. D. IOSEPHI E. LIMOGES

Archiepiscopi Episcopi Montis Laurei (Mont-Laurier)

Monte Laureo, die 25 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Litteras quas dignatus es Nobis dare die 18 iunii 1959 et quarum responsionem urges in litteris diei 21 martii 1960, ab Ill.mo et Rev.mo Mons. Pericle Felici subsignatis, verecunde accepimus.

De retardatione meae responsionis me excusans, Tibi nunc propono sequentes quaestiones, quae, consultis viris ecclesiasticis peritis et prudentibus, mihi videntur opportune tractandae in Concilio Oecumenico.

I - *In re dogmatica*

Notio theologica de Episcopatu.

II - *In re morali*

A) Praecisio de obligatione sanctificandi diem Dominicam, sive positiva sive negativa. Specialiter optandum est quod regulae practicae dentur de operibus servilibus proscribendis aut tolerandis hac die. Quidam fideles propensi sunt ad operam dandam diebus dominicis laboribus physicis ab eorum quaestu differentibus, sive quia in hebdomada non habent tempus istos labores perficiendi, sive per modum ludi. Plures sunt qui, in Nostram montanam et sylvestrem dioecesim e magnis civitatibus venientes, se dant, sabbato et die dominica, constructionis domus ruralis ubi possint cum familia venire omnibus hebdomadarum finibus (week-ends).

Videtur opportunum his recentibus problematibus solutionem recentem dare.

B) Datis undique pluribus ac pluribus veritatis virtuti offensionibus, utile videretur theologiam de mendacio revocare.

III - *In re canonica*

A) Optatur dilucida determinatio iurium Ordinarii Episcopi erga domus religiosas tam virorum quam feminarum, tam de iure pontificio quam de iure dioecesano, tam exemptorum quam non exemptorum.

B) Optatur quoque, pro Ordinario, facultas sacerdotibus aliis ac

parochis delegandi potestatem Confirmationem ministrandi pueris in periculo mortis constitutis in absentia istorum parochorum. Exempli gratia Vicario Foraneo pro illius vicariatu. Item extensio illius potestatis in favorem adultorum in mortis periculo constitutorum qui forsan confirmati nondum fuerint.

C) Absolutionis formulam abbreviari in casu puerorum nondum censuris aut excommunicationibus subiectorum nonne opportunum est?

D) Institutio cuiusdam ritus pro acceptione professionis fidei adolescentium post completum cursum instructionis religiosae.

IV - *In re liturgica*

A) Optaretur specialis praefatio pro tempore Adventus D. N. I. C.

B) Quidam parochi optarent processionem Rogationum semel tantum fieri et, cum in nostra regione processio non possit fieri sub divo, omissionem obligationis duplicandi invocationes Litaniarum.

C) Institutio Missae cum una epistola pro Sabbatis IV Temporum, ubi non habetur Ordinatio.

D) Facultas utendi lingua vulgari in administratione Sacramenti Extremae Unctionis et in caeremoniis sepulturae infantium.

Interdum me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum servum in Christo

✠ IOSEPHUS EUGENIUS LIMOGES
Archiepiscopus Episcopus Montis Laurei

19

EM.MI P. D. PAULI A. CARD. LÉGER
Archiepiscopi Marianopolitani (Montréal)

Montréal, le 17 août 1959

Eminence Révérendissime,

J'ai bien reçu votre lettre N. Prot. 1 C/59-39 par laquelle vous communiquiez les dispositions prises par la Commission Pontificale Antipréparatoire au Concile Œcuménique.

Je voudrais bien que cette réponse renfermât les réponses aux principales questions énumérées dans le document précité. Mais il est assez difficile durant le temps des vacances d'entreprendre une telle étude car

les conseillers auxquels nous pourrions nous adresser sont absents du diocèse.

Aussi, Eminence Révérendissime, je vous demanderai la faveur de porter avec moi à Rome ces travaux qui nous ont été confiés, lors de ma visite « ad limina ». J'espère en effet pouvoir recueillir, d'ici-là, certaines observations que j'aurai élaborées au sein de comités formés « ad hoc ».

En baisant Votre pourpre sacrée, veuillez agréer, Eminence Révérendissime, l'expression de mes sentiments respectueux et soyez assuré de mon entier dévouement en Jésus et Marie.

De Votre Eminence le dévoué serviteur

✠ PAUL EMILE Card. LEGER
Archevêque de Montréal

L'ORDINAIRE DU LIEU ET L'EXEMPTION DES RELIGIEUX

L'importance de l'Evêque dans la vie des religieux et des religieux dans la vie du diocèse, motive les nombreuses dissertations, les nombreux articles de revues et commentaires sur cette question: *les relations des « exempts » à l'Ordinaire d'un diocèse.* Notons bien ici, que la majorité de ces articles ou commentaires, étant écris par des religieux, ont tous une tendance bien marquée à protéger et défendre les *droits des « exempts »* et des religieux en général, au détriment de ceux de l'Evêque et, par conséquent, au détriment aussi des principes et de l'esprit de hiérarchie et d'unité de l'Eglise. C'est d'ailleurs ce qui rendra difficile la citation des sources et d'autorités dans ce *travail de remarques.*

* * *

Le canon 500, au paragraphe premier, énonce: « *Subduntur quoque religiosi Ordinario loci, iis exceptis qui a Sede Apostolica exemptionis privilegium consecuti sunt, salva semper potestate quam ius etiam in eos, locorum Ordinariis concedit* ».

Ce canon *gouverne* les relations des religieux (exempts ou non) avec l'Evêque. Il met bien en valeur ce principe: *Les religieux sont soumis à l'Evêque.* Il précise que les exempts ne sont pas soumis en autant qu'ils sont exempts. En effet, ce paragraphe du canon 500, a trois parties, clairement divisées: le principe, l'exception, le retour au principe. On insiste cependant plus souvent sur la dexième partie, l'exception, que sur le principe lui-même. On laisse tomber comme conséquence négligeable

la troisième partie, *qui fait le retour au principe de soumission pour les exempts.* Ce qui est une fausse interprétation de ce paragraphe parce que de fait, la troisième partie et surtout la première partie ont autant d'importance et de conséquences pratiques que la deuxième partie, qui retient pourtant l'attention des commentateurs. On pourrait étudier ici tout l'équilibre exigé entre ces trois parties mais il n'y a pas lieu de le faire dans ce travail. Notons toutefois que la troisième partie du paragraphe parle de soumission ou sujétion des « exempts » à l'Ordinaire. Notons aussi qu'en replaçant le canon 500 dans son contexte, son véritable sens s'éclarcit: il s'agit de *gouvernement* des religieux.

Cette sujétion des religieux, même des exempts en certains points, à l'Ordinaire du lieu, est bien aussi la *pensée de l'Eglise précisée par les saints Pontifes.* Nous pourrions ici citer plusieurs textes des papes relatifs à la mentalité, à l'esprit à attacher à l'exemption « late vel proprie dicta » des religieux. Ainsi, Pie XII, dans une allocution au Congrès International des Religieux: « *L'exemption des ordres religieux n'est pas en oppositions avec les principes de la constitution donnée par Dieu à l'Eglise... En effet, d'après le Droit canonique, les religieux exempts sont sous la dépendance de l'Evêque du Lieu autant que le réclame l'accomplissement de la charge épiscopale et la bonne organisation de la charge spirituelle des âmes* » (*A.A.S.*, t. 43, 1951, p. 28). Le législateur veut donc cet esprit de soumission. Jean XXIII, dans une allocution aux supérieurs des branches franciscaines (Ordres exempts): « La Sainte Règle, approuvée par le pape Innocent, outre la pauvreté, donne aussi une grande importance à *l'obéissance à l'Evêque, particulièrement à l'Evêque de Rome... L'Histoire de l'Eglise, étudiée sans parti pris, fournit les preuves les plus convaincantes que l'obéissance pure et simple à la Sainte Eglise fut un très grand élément de succès dans la vie des Ordres religieux, tandis que ceux qui, isolément ou collectivement, s'engagèrent dans les voies de l'insubordination et de l'indiscipline eurent à déplorer amèrement de lourdes pertes ...* » (*L'Osservatore Romano,* 18 avril 1959).

Il y a donc, une présomption de soumission des religieux envers l'Ordinaire; les canons 615 et suivants expliciteront l'exemption de cette sujétion et préciseront, avec plusieurs détails, l'extension des différentes exemptions. Mais, tout en précisant, la loi ne changera pas ce terme d'« *exemption* » pour celui d'« *immunité* ». C'est-à-dire, la loi ne fera pas de l'*exemption,* qui suppose un état préexistant de soumission obligatoire, une *immunité* qui ne suppose pas de soumission comme c'est le cas du Saint-Père qui a cette immunité vis-à-vis tout autre autorité ecclésiastique.

Les canons 615 et suivants précisent donc l'exemption. De ces canons et surtout des numéros 630, 631, 617, *il résulte que les religieux, même exempts, sont soumis à l'Ordinaire du Lieu dans les choses d'Apostolat.* Une telle conclusion n'apport pas immédiatement des canons ci-haut mentionnés, seulement une minutieuse analyse nous la fait découvrir. Voilà donc la lettre et la loi: les religieux sont plus ou moins indépendants de l'Evêque dans leur vie religieuse, selon leur plus ou moins grande exemption; ils sont soumis à l'Evêque dans les choses de l'Apostolat. *Mais ce qui importe surtout dans la pratique et l'application de ces lois, c'est d'établir l'esprit qui doit gouverner ces lois.* Pour trouver cet esprit, il faut se tourner du côté de la théologie de l'Evêque du diocèse.

L'Evêque, par le droit divin, est le chef d'un portion *territoriale* de l'Eglise: le diocèse. Il est le chef, le pasteur, le docteur, le père de l'Eglise diocésaine (cf. Mgr Guerry, « l'Evêque »). A cette Eglise diocésaine, doivent (et non seulement peuvent) collaborer tous les religieux du diocèse (du territoire), même les exempts, pour demeurer dans cet esprit d'*évangélisation des hommes sous la hiérarchie.*

Or, l'esprit que supposent ces vérités, est souvent absent des communautés de religieux, surtout chez les exempts (proprie dicta) qui, entourés de leurs privilèges, se sentent et se disent *indépendants* de l'Evêque. Celui-ci n'est pour eux qu'un *étranger* à leur vie de chrétien et de religieux, un peu comme l'est le souverain d'un autre pays pour nos citoyens. En effet, ils se prévalent comme société indépendante de l'Evêque. Certains auteurs prétendent qu'un institut de religieux n'est pas « *dans* » le diocèse, mais qu'il est une société spéciale imparfaite « *en dehors* » du diocèse (cf. Creusens, s. j.- « En marge de la hiérarchie » dans N. R. Th., t. 55, 1928, p. 492 ss.).

Cette proposition peut être soutenue en autant que l'Institut est poly-diocésain et que l'Institut est considéré comme tel. Mais les religieux, les maisons qui sont dans le diocèse, font partie du diocèse et doivent s'intégrer « *dans* » le diocèse et agir sous son chef. Mais ils évitent, bien souvent, cet esprit de soumission en reprenant toute remarque par un recours à Rome, à leur Général. Ils disent se suffire. Qu'ils aient le droit de recourir à Rome à certains moments lorsque l'intervention de l'Evêque du Lieu risquerait de déformer la structure de leur communauté, *passe encore;* mais qu'en toute occasion de défendre leurs privilèges et leurs droits, ils recourent à une autre autorité, ce n'est pas certainement là l'attitude à prendre vis-à-vis du père du diocèse.

De plus, l'Evêque devrait être plus à l'aise dans ces domaines.

Il devrait sentir la possibilité de bouger dans tout ce qui regarde l'Apostolat de son diocèse, sans craindre de blesser les religieux et les voir recourir à Rome. D'ailleurs, n'est-ce pas l'Evêque qui voit les besoins de son diocèse? *L'Apostolat est sa chose.* Or, tout ce qui touche à l'Apostolat, devrait aussi lui être soumis.

De plus, une brève enquête dans leurs maisons de formation, nous amène rapidement à constater que l'on ne parle pas assez de l'Evêque avec lequel ils sont appelés à collaborer toute leur vie dans quelque champ d'Apostolat qu'ils travaillent. *Le rôle de l'Evêque, avec qui tout leur apostolat (partie importante de leur vie) devrait s'unir, devrait être bien souligné et travaillé.*

Ils ont fait vœu d'obéissance à leurs supérieurs internes (plusieurs discutent si le vœu d'obéissance oblige ou non vis-à-vis des supérieurs externes). Ces vœu d'obéissance fait-il disparaître la vertu d'obéissance et l'esprit de fils de l'Eglise vis-à-vis la hiérarchie? Cet esprit d'obéissance resterait-il dans l'écho lorsqu'il s'agit des rapports avec l'Evêque, le père du diocèse? (*Il faut pourtant remarquer que ce ne sont pas tellement les religieux comme individus qu'il faut réformer, mais les religieux comme communauté ou ordre ou société*). En effet, c'est de la société que vient l'esprit.

Des exemptions trop nombreuses et trop larges et surtout cet esprit d'exemption risquent de provoquer une désagrégation de la structure ecclésiale, comme ce fut le cas dans le temps où le Concile de Trente réagit contre les abus de l'exemption et contre les exemptions qui n'avaient plus leur raison d'être.

L'Evêque, comme nous le disions, est le chef de l'Apostolat dans son diocèse, et point n'est besoin d'insister sur cette mentalité de l'Eglise de « cadrer » l'action apostolique d'abord sur le territoire (c. 215). L'Evêque est le père des âmes de tous ses diocésains; un père ne peut laisser approcher ses enfants par qui que ce soit sans y être intéressé. Il devrait donc pouvoir entourer et protéger ses diocésains selon ce qu'il juge être le bien commun du diocèse. Si le *père* a pleine autorité, s'il est consulté avant tout action sur les âmes de ses diocésains, si le *chef de l'Apostolat* du diocèse peut décider, de lui-même, de la valeur de l'apostolat ou de la Vie chrétienne *plus engagée* sans qu'aussitôt il ne s'agisse de juridiction de la Congrégation des Religieux, *le bien des âmes sera certainement accru.*

En conclusion, nous proposons à l'étude des canonistes les points suivants:

1. Développer les lois qui traitent de la soumission des « exempts » à l'Evêque, dans les choses de l'Apostolat; non pas dans leurs détails,

mais dans leurs généralités, en insistant sur les principes pour créer ou développer chez les religieux, cet *esprit d'union à l'Evêque.*

2. Eliminer certaines exemptions ou privilèges, accordés à cause de circonstances historiques n'existant plus, ou dont le besoin ne se fait plus sentir et ainsi *favoriser davantage l'esprit de dépendance à l'Evêque.*

3. Permettre à l'Evêque une plus grande *aisance* dans l'approbation et la conduite des formes nouvelles d'*Apostolat consacré,* sans immédiatement le soustraire à son autorité et en faire un « institut » de religieux.

4. Favoriser, dans les maisons de formation des religieux, surtout « exempts », *l'esprit de collaboration à l'Apostolat de l'Evêque.*

Suggestion pour aider les Protestants a mieux comprendre l'Eglise Catholique

En préparant ce mémoire pour répondre à la demande de Votre Eminence, je me suis efforcé d'avoir toujours présentes à l'esprit les barrières et les pierres d'achoppement, qui me semblaient telles au moins et que j'ai dû vaincre avant d'être admis dans l'Eglise catholique; mes amis, qui sont encore Protestants, et plusieurs sont même engagés dans le ministère protestant (surtout chez les Anglicans), continuent à les considérer comme des obstacles et des causes d'irritation.

Quelques-unes proviennent de préjugés, d'incompréhension et d'idées fausses au sujet des dogmes de notre sainte foi. D'autres proviennent de points de discipline ou de pratiques de dévotions que le Protestant, habitué à regarder la Sainte Ecriture comme la seule règle de foi et la seule autorité, trouve éloignés de la mentalité de la Chrétienté primitive et considère avec suspicion.

Malheureusement, beaucoup de controverses entre les Catholiques et les Protestants sont rendues inutiles, par le fait que chacun argumentes à partir de prémisses que l'autre n'accepte pas, ou peut-être même ne comprend pas parfaitement. Les divisions les plus importantes, naturellement, portent sur la nature même et sur l'autorité spirituelle de l'Eglise, sa divine fondation, son enseignement infaillible, ses notes essentielles d'unité, de visibilité, de catholicité. Le Protestant verra plutôt dans l'Eglise une assemblée humaine réunissant des individus baptisés en Christ et rachetés par Christ, en vue de l'exercice communautaire du culte, du témoignage, de l'enseignement, avec le Christ dans le Ciel comme unique tête, et avec la Bible, interprétée par l'Esprit Saint,

comme la seule autorité. L'anglicanisme, il est vrai, se tient à mi-chemin entre le concept protestant d'Eglise et le concept catholique, mais à l'intérieur de la communion anglicane, il y a une gamme très variée dans la croyance à l'Eglise.

En exprimant ce que je crois être une ligne d'approche favorable à une meilleure compréhension de l'Eglise catholique par les Protestants, comme Votre Eminence me le demande, et pour établir une atmosphère de réconciliation entre Chrétiens baptisés, j'ai groupé sous deux chefs les obstacles qui empêchent les Protestants d'accepter l'Eglise: doctrine et pratique.

I. *Doctrine*

1. *Autorité*:

Sans doute beaucoup de Protestants éprouvent de la répulsion pour ce qu'ils considèrent l'autoritarisme indu de l'Eglise catholique, centralisé dans le Saint-Siège, autoritarisme qu'ils opposent à tort à la liberté chrétienne. (Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberavit vos. *Io.*, VIII, 31-32). On se méprend grandement sur la nature et l'extension de l'infaillibilité pontificale. Le prochain Concile général ferait beaucoup pour dissiper ces malentendus en orientant ses délibérations sur les matières suivantes:

a) *Relations de la Papauté au Corps ou Collège des Evêque.*

Le Concile du Vatican a bien défini les relations de la Papauté au Concile Général, mais il fut prorogé avant d'avoir réaffirmé la position et l'autorité de l'Episcopat. Des délibérations qui continueraient ce travail tireraient certainement au clair les divergences de vue des Eglises orthodoxes schismatiques de l'Est et pourraient aussi conduire à une meilleure entente avec les Anglicans qui (malgré la non-validité de leurs ordres) se cramponnent à l'Episcopat monarchique, comme étant, au moins en théorie, le siège de l'autorité dans l'Eglise. De telles délibérations placeraient aussi l'enseignement de l'Eglise sur l'infaillibilité dans un contexte plus large et plus compréhensif.

b) *Nature de l'obéissance.*

L'insistance des Protestants sur la liberté leur rend généralement incompréhensible la vertu d'obéissance, et l'obéissance catholique à une légitime autorité spirituelle en matière spirituelle leur semble quelque chose de servile. Présenter l'obéissance catholique comme l'obéissance intelligente d'enfants qui reconnaissent leurs devoirs et expriment leur amour plutôt que comme l'obéissance servile d'esclaves, serait de nature à calmer les appréhensions des non-Catholiques (Iam non dicam

vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos. *Io.,* XV, 15).

c) *Tolérance religieuse.*

La doctrine de l'Eglise catholique sur la tolérance religieuse est pour les Protestants un dilemme sans solution. Dans les pays « démocratiques » qui donnent une assez complète liberté religieuse, quand les Catholiques sont en minorité, l'Eglise fait appel à la Constitution de ces pays pour revendiquer ses pleins droits et privilèges. Dans les pays à majorité catholique, d'autre part, elle recourt à ses propres formules (« la vérité et l'erreur ne peuvent avoir des droits égaux ») et on prétend qu'elle refuse à la minorité protestante ses droits et ses privilèges.

Repenser l'enseignement catholique sur la tolérance qui est due à la conscience individuelle des personnes, revoir le *Syllabus errorum* du Pape Pie IX en fonction des conditions qu'imposent au vingtième siècle les matières de relations Eglise-Etat et de tolérance religieuse, contribuerait à éclaircir le problème et à convaincre les Protestants de notre sincérité. Ce dilemme tracasse aussi beaucoup de Catholiques.

2. *Définitions dogmatiques*:

Dans les domaines où les différences entre les Protestants et les Catholiques sont le plus accentuées se trouvent plusieurs points de doctrine qui sont *de fide catholica* et sont acceptés universellement et sans réserve par les Catholiques, mais qui n'ont pas encore été définis formellement comme *de fide definita.* Sans même vouloir sembler d'aucune façon suggérer qu'on fasse des compromis au sujet de ces doctrines de foi ou qu'on les minimise, on peut affirmer que les Protestants auraient plus de difficultés à admettre ces doctrines, si elles faisaient l'objet de définitions du Magistère infaillible du Pape, sans que ces définitions soient nécessités par des discussions entre Catholiques. Une politique générale de « non-opportun » pendant quelques années permettrait aux non-Catholiques d'accepter plus facilement l'infaillibilité papale; ils comprendraient mieux que la fonction principale de l'infaillibilité pontificale en est une de dernier ressort pour régler les disputes dans l'Eglise et pour censurer les hérésies.

Un exemple en particulier: beaucoup de Protestants par ailleurs bien disposés à l'égard de l'Eglise soupçonnent d'exagération la dévotion à la Bienheureuse Mère de Dieu. Avoir une prudente réserve pour le moment au sujet d'autres définitions mariales diminuerait leurs craintes. Cela leur donnerait le temps de nous rejoindre dans une pleine

compréhension des implications du Concile d'Ephèse (que les Anglicans et plusieurs Protestants admettent) sur le sujet. Tandis que d'autres définitions les feraient réagir vivement, non seulement contre l'Eglise, mais même contre la dévotion à la Mère de Dieu qui, au moins de façon élémentaire, augmente sans cesse dans les cercles de la Haute Eglise Anglicane et aussi chez beaucoup de Luthériens.

Ainsi, à la longue, une politique de réserve aiderait à promouvoir l'amour de Notre Dame, que tous les Catholiques désirent voir répandu par tout le monde.

Les anathèmes qui accompagnent les définitions de foi se réclament d'une grande antiquité dans l'Eglise, et s'adaptent évidemment très bien aux condamnations spécifiques d'hérésie formelles. Toutefois, dans les conditions présentes, quand il n'est pas question de condamnation d'hérésie, cette pratique blesse les non-Catholiques (et peut-être aussi quelques bons Catholiques); elle manifesterait une approche plus négative que positive à la divine vérité.

3. *Présentation de la foi*:

Non seulement les Catholiques et les Protestants argumentent à partir de prémisses non acceptés par les autres, mais souvent ils parlent un langage théologique incompréhensible à l'autre. Le Protestantisme prétend (à tort du reste) être fondé sur la Bible, et sur la Bible seule.

L'Anglicanisme, qui est plus traditionnel dans sa théologie, en appelle en plus aux Pères, et en pratique (bien que non dans leurs formules officielles) aussi aux premiers Conciles Généraux de ce qu'il appelle « l'Eglise indivise ». Mais aux deux cependant, le langage et le raisonnement syllogistique de la théologie scolastique, et de saint Thomas d'Aquin en particulier, sont étrangers et incompréhensibles. Après trois siècles de séparation, les Catholiques et les Protestants d'aujourd'hui parlent à peine le même langage. Deux façon de faire le pont:

a) Les Séminaires, surtout ceux qui sont situés dans des communautés mixtes et servent des communautés mixtes, pourraient bien, avec les précautions voules, inclure dans leur programme des cours sur la théologie et la vie protestantes, afin de supprimer les idées fausses très répandues chez certains prêtres catholiques sur ce que les Protestants croient et enseignent, de la même façon que les séminaires missionnaires, comme le Séminaire de la Propagande, à Rome, donne des cours sur les religions non-chrétiennes des régions où leurs prêtres sont envoyés. Tous les cours de dogme dans les séminaires catholiques comportent, il est vrai, la réfutation des hérésies spécifiques enseignées par « les premiers réformateurs », mais cela ne donne pas une connaissance adé-

quate des croyances protestantes d'aujourd'hui, croyances qui sont souvent très éloignées de celles de leurs premiers fondateurs.

b) De même que le Père Ricci en Chine, et le Père de Nobili dans l'Inde reçurent l'approbation du Saint-Siège dans leurs essais d'expression de la doctrine catholique dans un langage compréhensible aux adeptes des philosophies et des façons de penser Confucianistes et Brahmanes, la souplesse et la vraie catholicité de l'Eglise pourraient très bien se manifester de façon très fructueuse par des efforts pour exprimer la doctrine catholique dans un langage non-scolastique, qui serait mieux compris des Protestants.

Par exemple: les Occidentaux expliquent la doctrine de transsubstantiation en termes scolastiques de substance et d'accidents. Les Orientaux maintiennent avec autant de constance la doctrine de la Présence réelle du Christ dans les éléments eucharistiques, et croient aussi fidèlement qu'ils sont changés au Corps et au Sang du Christ, mais sans utiliser la même méthode d'explication. De même le langage scolastique est étranger aux Anglicans, ce qui n'empêche pas leur Catéchisme officiel inséré dans le *Book of Common Prayer* d'aller jusqu'à dire (en dépit des contradictions qu'on trouve ailleurs dans ce livre) que le Corps et le Sang du Christ sont « vraiment et en réalité » reçus par les fidèles.

4. *Révélations privées*:

Beaucoup de Protestants s'inquiètent sans raison de certaines révélations privées faites à certains serviteurs de Dieu en particulier, et de certaines dévotions dont elles sont la source. Cela provient en grande partie du fait qu'ils ne distinguent pas ce qui est simplement approuvé par l'Eglise et qui *peut* par conséquent être cru en toute sûreté, et ce qui est défini par l'Eglise et *doit* être cru.

Une réaffirmation forte et répandue à grand renfort de publicité sur le fait que la révélation divine de la foi nécessaire au salut est terminée avec la mort du dernier des Apôtres, ferait beaucoup pour dissiper ces idées fausses.

II. *Pratique*

1. *Approche*:

Les appels exprimés en termes généraux et invitant à « se soumettre » et « à retourner à l'unique vrai bercail « peuvent souvent faire plus de mal que de bien, quand il sont adressés aux Protestants de bonne foi, dont la conscience (quelqu'erronée qu'elle soit) et la sincérité seraient violées, s'ils acceptaient une invitation qui est contraire à leurs convictions. Des délibérations discrètes et patientes entre les théologiens

protestants font connaître plus efficacement la foi catholique aux Protestants et créent une atmosphère plus favorable aux conversions.

2. *Liturgie*:

Un des *imponderabilia* des conversions: c'est souvent plus ce qui est *fait* dans l'Eglise qui impressione les non-Catholiques que ce qui y est enseigné. Dans les choses extérieures, l'Anglicanisme reste médiéval, et l'Eglise catholique apparaît à l'Anglican plus comme le produit de la contre-réforme continentale que comme la continuation de la « vieille religion », et par conséquent semble étrange et étrangère. Le culte liturgique anglican dans ces services de prière du matin et du soir est « Catholique », car ces services sont des condensations des offices du Bréviaire que Cranmer adapta à partir d'une revision suggérée par le Cardinal franciscain Quignonez en Espagne, et traduite en anglais. Le service anglican de Sainte Communion n'est certainement pas la Messe catholique, mais sa structure s'en rapproche, et les laïcs sont habitués à la pleine mesure de participation active.

A cause de cela le mouvement liturgique, qui encourage de plus en plus la messe dialoguée, bien que moins avance en Angleterre que dans d'autres parties de l'Eglise, à déjà fait beaucoup pour rendre le culte catholique plus accessible aux Protestants, et stimulé des conversions.

Continuer dans cette ligne, et aussi utiliser davantage la langue maternelle là où le Saint-Siège le juge opportun, augmenteraient certainement chez les non-Catholiques la compréhension et l'amour du culte catholique.

3. *Mariages mixtes*:

La politique de l'Eglise catholique d'accorder des dispenses pour mariages mixtes mais de n'en pas permettre la solennité dans les églises, comme c'est l'habitude dans beaucoup de diocèses, semble au Protestant être une humiliation non nécessaire et non logique. Ces mariages, quand le Protestant est validement baptisé, sont des sacrements valides de l'Eglise catholique. Dans les instructions prénuptiales, on a répété cela au parti non-catholique. Accomplir ces cérémonies dans la sacristie ou dans le parloir des presbytères lui semble manquer de révérence pour le sacrement et impliquer à peine une demi-reconnaissance du mariage.

Dans les cas particuliers où, pour de bonnes raisons et avec les dispenses nécessaires, les mariages mixtes ont été célébrés (sans la messe) dans les églises catholiques, le parti non-catholique est presque toujours mieux disposé à l'égard de l'Eglise, et le semblant de contradiction disparaît. Reconsidérer cette politique semble opportun.

4. *Baptême sous condition*:

Il est certainement vrai que dans beaucoup de sectes protestantes le baptême est administré sans beaucoup de soin, quand il n'est pas complètement négligé. Cependant, l'anglicanisme fait certainement exception. Le service baptismal du *Book of Common Prayer* ne pourrait pas être plus valide, quant à la matière et quant à la forme, s'il avait été composé par un Catholique, et les Anglicans s'en tiennent à cette formule. Il y a beaucoup d'exagération dans les légendes qui disent le contraire.

La politique de rebaptiser tout le monde indistinctement *sub conditione,* même dans les cas où l'on a une preuve moralement certaine du baptême, n'est pas seulement extrêmement irritante pour les Anglicans, qui accusent l'Eglise de « semi-donatisme » en cette matière, mais est aussi contraire à la volonté du Saint-Siège exprimée plusieurs fois. La réponse du Saint-Office à certains *dubia* relatif aux *baptêmes méthodistes* en Océanie en 1872 est particulièrement significative. (*Acta Sanctae Sedis,* XXV, p. 246).

5. *Exceptions au célibat dans le ministère*:

Les dispenses récentes permettant à un petit nombre de pasteurs luthériens allemands convertis d'être ordonnés prêtres tout en conservant leur femme ont fait une impression profonde et très favorable chez les Anglicans; étendre prudemment cette politique à d'autres pays faciliterait certainement d'autres conversions de ministres, et chacune de ces conversions entraîne d'habitude à sa suite une moisson de conversions chez les laïques.

La possibilité de faire revivre un diaconat permanent dans l'Eglise, et d'accorder une dispense plus générale du célibat dans ses rangs, pourrait être étudiée davantage non seulement comme un moyen de soulager les prêtres de beaucoup de fonctions administratives (c'est la destination initiale de l'institution du diaconat) mais aussi pour utiliser la vocation des prêtres mariés convertis.

6. *Observateurs au Concile*:

Presque tous les Protestants, à l'exception de quelques extrémistes, verraient d'un très bon oeil que des observateurs non-catholiques soient invités au prochain Concile Général; cela aurait un très bon effet sur eux. Le Conseil Mondial des Eglises a déjà mis sur pied un comité *in potentia* chargé des invitations qui pourraient être reçues. Je sais personnelle-

ment que l'Archevêque de Canterbury non seulement serait heureux de cette démarche, mais qu'il a déjà choisi des délégués éventuels.

Si on considérait comme odieux de faire des distinctions entre les très nombreuses sectes non-catholiques, l'invitation à envoyer un nombre déterminé d'observateurs pourrait être remise au Sécrétaire du Conseil Mondial des Eglises qui partagerait le nombre des délégués à sa discrétion entre les différentes sectes.

Une telle reconnaissance *de facto* de l'existence de ce corps pourrait difficilement être considérée comme compromettante pour la position et les revendications du Saint-Siège.

Si l'on invite des observateurs, il est de la plus haute importance qu'ils soient traités avec la plus haute considération, le plus grand respect, et la meilleure volonté, et qu'on leur fournisse toutes les facilités et une hospitalité généreuse durant leur séjour à Rome. La bonne volonté personnelle de ces observateurs serait ensuite un de ces *impondérables* de grande importance pour créer un climat de relations plus iréniques entre Catholiques et non-Catholiques.

7. *Relations publiques*:

Sur le point particuler de l'amélioration des relations avec les Protestants, il est très important que les relations publiques, la publication régulière de véritables bulletins de nouvelles, un contrôle qui empêche les communications non-officielles et illicites (comme celles qui ont créé tant de malentendus après le Concile du Vatican) soient, au prochain Concile, entre des mains compétentes et expertes. Les organes responsables de la presse profane aussi bien que les publications catholiques devraient avoir toutes les facilités voulues pour faire rapport sur toutes les matières qui pourraient prudemment être livrées au public. Le Concile Général est tout d'abord l'affaire de l'Eglise catholique seule, mais les yeux de tous les Chrétiens seront fixés sur Rome durant toutes ces assises.

8. *Corps œcuménique de conseillers*:

Il est de suprême importance que le Saint-Siège, spécialement le Saint-Office et les autres services intéressés, puisse avoir recours à des conseillers dignes de confiance, prudents et solides, qui aient une connaissance spéciale des groupements non-Catholiques et des questions œcuméniques. Dans plusieurs provinces de l'Eglise, les Ordinaires des lieux recourent à de tels conseillers. Un corps officiel de conseillers pris dans toutes les nations, corps qui aurait la reconnaissance officielle et la confiance du Saint-Siège, serait d'une inestimable valeur. Cela empêche-

rait aussi les Protestants de craindre que leur position ne soit pas adéquatement comprise à Rome.

En ce qui regarde la présentation de la foi catholique et les revendications de l'Eglise catholique aux non-Catholiques, il serait utile que dans chaque province de l'Eglise, dans tous les endroits où existent des groupements non-catholiques, orthodoxes ou protestants, la Hiérarchie catholique avec l'approbation du Saint-Siège établisse des groupes de solides et prudents théologiens qui pourraient s'occuper, officiellement ou semi-officiellement, des relations avec les groupes non-catholiques au niveau des discussions théologiques, et aussi promouvoir sans controverse la coopération dans le domaine de l'action purement sociale.

Ces discussions basées sur des principes solides et bien définis, le Saint-Siège les a déjà encouragées dans une certaine mesure par le Saint-Office, dans son Instruction aux Ordinaires « Sur le mouvement œcuménique » publiée dans l'*Osservatore Romano,* mars 1, 1950. Une circonspection exagérée dans les permissions à donner aux discussions qui se feraient dans ces conditions provoque chez les Protestants des idées grandement exagérées de l'éloignement et de l'intransigeance des Catholiques.

Le Bréviaire Romain

Le Bréviaire est essentiellement composé de trois éléments que tout projet de réforme devrait laisser intacts: le Psautier, des Lectures tirées de l'Ecriture et de la Tradition, et des Oraisons.

Le Bréviaire doit être l'infra-structure spirituelle de la journée, ayant son point d'appui dans la Messe et soutenant tant la prière subjective que l'activité apostolique du clergé. Tout projet de réforme doit viser à la beauté esthétique et à la solidité organique de cette infra-structure, et non à sa simple réduction au nom de principes issus de l'activisme.

Si le Bréviaire a été en passe de devenir le parent pauvre de notre liturgie, c'est qu'il s'est détaché graduellement de la Messe jusqu'à présenter une entité indépendante sans rapport pratique avec elle. La plupart des prêtres ne sont nullement préoccupés d'harmoniser entre eux les deux éléments essentiels de leur prière liturgique; la Messe et le Bréviaire. Les Heures sont le plus souvent distribuées n'importe où au hasard des temps libres, avec la seule intention de satisfaire l'obligation avant le terme fixe. Un des premiers efforts d'une réforme au Bréviaire doit être de veiller non seulement à la lettre, mais surtout à l'esprit des Heures. Il faudrait que les rubriques elles-mêmes rendent obligatoire la récitation du Bréviaire à certaines heures précises. On

viterait ainsi d'en faire un instrument de remplissage des moments creux.

Mais ceci ne va pas sans une autre réforme. Il est clair que les nécessités pastorales du monde contemporain ne permettent pas qu'on se lève la nuit ni même qu'on s'arrête à neuf heures du matin ou trois heures de l'après-midi pour réciter une partie du Bréviaire. Une nouvelle répartition de l'Office s'impose. Les projets ne manquent pas. Parmi ceux qui retiennent le plus l'attention, il y a celui qui réduirait l'Office à trois parties: Vigile, Laudes et Vêpres, à réciter en-dedans de certaines heures. Passé le délai fixé, l'obligation disparaitrait. Les Petites Heures seraient remplacées par l'obligation ascétique, non juridique, de se recueillir à certains moments déterminés. En résumé: moins d'Heures, mais à leur heure et plus de spontanéité dans certaines prières.

Certains éléments perdent toute leur valeur esthétique en dehors de la récitation chorale et deviennent des non-sens liturgiques dans la récitation privée. Les répons bref, par exemple, qui, par l'alternance des mêmes groupes de mots, produisent un heureux effet esthétique au chœur, ne donnent plus qu'un rocailleux entre-choc de bouts de phases à la lecture. Les antiennes incomplètes (fêtes simples) au début des psaumes, déjà peu élégantes au chœur, peuvent bien servir à donner le ton à une assemblée, mais deviennent inutiles et peu intelligibles pour le prêtre qui est seul. Les hymnes sans leur musique sont assez pauvres; si on ajoute à cela la difficulté, parfois prétentieuse, de leur latin, il faut bien convenir que plusieurs d'entre elles devraient disparaître. Le Cardinal Quignonez avait demandé la suppression de toutes les parties du Bréviaire qui supposent la présence de la communauté.

On a tout dit à propos du deuxième nocturne. L'unanimité est faite: notre siècle est trop avide de vérité et le clergé a trop de respect pour son Bréviaire pour y laisser traîner des légendes fantaisistes et des miracles plus que douteux. On demande que le deuxième nocturne soit vrai.

Il ne faut pas oublier cependant que la légende possède sa façon propre d'exprimer certaines vérités, et ce serait verser dans le cérébralisme que faire disparaître impitoyablement certains récits savoureux de la vie des saints qui nous disent ce qu'ils étaient mieux qu'une longue biographie critiquement contrôlée. Il ne fait aucun doute cependant qu'un assainissement s'impose et qu'il faudra éliminer nombre de récits.

La vérité historique doit aller encore plus loin et planer encore plus haut au-dessus des détails. Tous les détails d'un deuxième nocturne peuvent être vrais et cependant l'ensemble manquer de vérité. Les le-

çons qui insistent sur la naissance noble du saint, les signes indubitables donnés dès l'enfance de sa sainteté future, ses miracles éclatants avant et après sa mort, ses jeûnes effrayants et ses mortifications extrêmes, la prédication par lui-même du jour de sa mort, les fastes de sa canonisation et l'évolution de son office au Bréviaire, nous donnent une fausse idée de la sainteté. Tous cela est inimitable. Ce n'est pas cela que nous attendons de la lecture d'une vie de saint. Si on est vraiment soucieux de vérité historique, il faudra parler de l'évolution souvent lente et pénible, de la sainteté dans la vie du saint. La première vérité historique à sauver, c'est que ce saint a été un homme.

Le troisième nocturne a peut-être fait couler moins d'encre, mais il a quand même besoin d'une profonde réforme. Notre tradition patristique est trop riche et certains écrits des saints sont trop beaux pour que nous nous contentions de lire et relire toujours les mêmes choses. l'homélie de Saint Grégoire sur le « sint lumbi vestri praecincti » pour les confesseurs non pontifes revient beaucoup trop souvent, par exemple. Une plus grande variété s'impose. Et un meilleur choix aussi. Certaines leçons ne sont pas authentiques; d'autres ne sont pas représentatives du génie de leur auteur. Les élucubrations mathématiques de saint Augustin ne sont pas nécessairement le meilleur de son œuvre. Les leçons du troisième nocturne devraient être choisies parmi les chefs-d'œuvre de notre littérature chrétienne. Dieu merci, il n'en manque pas. Pour donner plus de latitude à ceux qui auraient à faire ce choix, il serait souhaitable que la lecture du troisième nocturne ne fût plus nécessairement rattachée à un passage de l'Evangile.

Le Bréviaire doit être un résumé des Saintes Ecritures. C'est ainsi que l'a conçu toute la tradition. La présence du Psautier dans son intégrité est déjà un élément important, mais qui ne suffit pas.

Dans le Bréviaire actuel, l'Ancien Testament est largement représenté par les trois leçons du premier nocturne. Les leçons propres de certaines fêtes brisent cependant trop souvent le cours normal de la lecture.

Le Nouveau Testament, au contraire, est assez maltraité. Le « et reliqua » du troisième nocturne ne remplacera jamais une vraie lecture; il suppose même parfois une mémoire des textes évangéliques qui n'est plus le fait de notre génération. Quant aux Epîtres, elles ne font que de trop rares apparitions. Une réforme du Bréviaire devra restituer sa place au Nouveau Testament.

Supposant un Office à trois parties (Vigile, laudes, vêpres), la lecture des Ecritures pourrait être ainsi distribuée. Une page de l'*ancien testament à vigile*: cette Heure convient admirablement à cette période non encore illuminée par le Christ. *A laudes,* une page de l'*Evangile,* avec l'ap-

parition de la lumière. *A Vêpres,* une page des *Epitres* ou de l'*Apocalypse* qui nous préparent au dernier soir de la parousie. A Laudes et Vêpres, les lectures pourraient être insérées là où se trouve actuellement le capitule: c'est leur place de droit. La lecture tirée de l'Ancien Testament devrait continuer d'avoir comme maintenant un certain rapport avec le Temps liturgique. Le découpage du Livre lu ne devrait avoir cependant rien de mécanique, mais être commandé surtout par le besoin qu'a le prêtre de trouver là une source de vie spirituelle.

Enrichi d'une lecture plus suivie de l'Ancien Testament et de textes plus abondants du Nouveau, le Bréviaire risque de devenir passablement plus long. Or, les nécessités pastorales exigent le contraire. Il semble que l'adoption du principe milanais du Psautier réparti sur la quinzaine au lieu de la semaine serait une excellente solution. Si l'office de chaque jour comportait dix psaumes, le Psautier serait lu dans son entier tous les quinze jours. Chaque semaine aurait moins de psaumes, mais plus d'Ecriture, et le Bréviaire conserverait son caractère psalmique tout en se voyant restituer son rôle de résumé de l'Ecriture.

Il serait à souhaiter que chaque psaume fût lu comme une unité, c'est-à-dire sans insertion de « Gloria Patri ». Cette prière, qui est très belle à la fin du Psaume, ne fait que briser l'élan de la pensée losqu'on le trouve au milieu. Dans la récitation chorale, elle offre une occasion de reprendre le psaume en rajustant le ton, mais cette utilité disparaît dans la récitation privée. Les dix psaumes à lire chaque jour ne seraient donc pas dix *parties* de psaumes. Seul le psaume 118 offrirait quelque difficulté à cause de sa longueur exceptionnelle; une main discrète pourrait le ramener à une longueur normale pour son usage liturgique.

Les psaumes devraient rester invariables pour chaque jour, quelle que soit la fête; sauf pour quelques exceptions où certains psaumes s'imposent. Les grandes fêtes devraient donc être soulignées autrement que par l'emploi des psaumes du dimanche ou de psaumes propres qui parfois ne sont guère appropriés.

Le psaume 94 devrait être réintégré au Psautier et le long invitatoire actuel remplacé par un appel concis à louer Dieu.

L'ensemble des remarques qui précèdent conduit à peu près au projet suivant. Trois Heures seulement seraient retenues.

Vigile à trois nocturnes composés chacun de deux psaumes et d'une lecture, tirée de l'Ancien Testament pour le premier nocturne, de la vie des saints pour le second, et de la tradition chrétienne écrite pour la troisième.

Laudes avec deux psaumes et une lecture de l'Evangile.

Vêpres avec deux psaumes et une lecture des Epîtres ou de l'Apocalypse.

Chaque psaume serait encadré d'une antienne complète.

Chaque heure débuterait par un petit invitatoire et se terminerait par une oraison, celle de Vigile étant celle de la Messe du lendemain.

Les textes bibliques du Bréviaire (sauf les Psaumes) sont actuellement lus dans le latin de la Vulgate. Cette traduction porte de graves lacunes et il serait souhaitable qu'on l'améliorât ou qu'on permît aux prêtres de lire ces textes dans leur langue.

La nouvelle traduction du Psautier, excellente en soi, a provoqué certaines anomalies dans le Bréviaire. Puisque la traduction des antiennes est déjà faite, on devrait pouvoir l'utiliser dans la récitation privée, même si les textes musicaux pour le chœur ne sont pas encore prêts. Parfois aussi la nouvelle traduction a rendu tel psaume complètement inutilisable dans le sens accommodatice que permettait la Vulgate. Ainsi au psaume 138, le « mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum » s'appliquait facilement aux Apôtres; mais l'actuel « mihi autem quam ardua sunt consilia tua, Deus, quam ingens summa eorum » est absolument désespéré dans le même sens. Pourtant, nous continuons à lire ce psaume aux fêtes des Apôtres. Un raccordement s'impose.

Au point de vue technique et simplement pratique, il faudra, tôt ou tard, faire disparaître la lamentable confusion actuelle dans la numérotation des psaumes et revenir, même pour le texte latin, à la numérotation de l'hébreu. Si le Bréviaire adoptait cette numérotation de l'hébreu comme il a adopté une traduction plus fidèles au texte original, un grand pas serait fait vers l'uniformisation des systèmes.

Les remarques qui précèdent restent dans la ligne de la plupart des projets de réforme présentée en Allemagne et en France ces dernières années. Pour une grande partie, elle ne sont donc guère originales. Quelles que soit leur valeur, il reste que, réduit et mieux équilibré dans le choix de ses textes, le Bréviaire deviendrait un meilleur instrument de prière pour mieux aider le clergé à sauvegarder « l'âme de tout l'apostolat ».

Les Clubs sociaux

Il existe dans notre ville des Clubs sociaux dont les membres sont tous des canadiens-français catholiques. L'une ou l'autre de ces formules est évidemment conforme aux exigences de lois de l'Eglise, v. g. le Club Richelieu, le Club du Premier Vendredi du Mois.

Mais avant que ces formules n'aient été suscitées, des clubs neutres, v. g. Club Kiwanis, Club Kinsmen, Club Lions, etc., avaient compris que le mélange des catholiques avec les protestants de différentes dénominations posait des problèmes pratiques assez délicats. Aussi les autorités de ces groupes sociaux dit « neutres » avaient-ils fondé des cellules qui étaient réservées aux seuls canadiens-français catholiques, v. g. Club Kiwanis St-Laurent, Club Kinsmen Alouette.

Ces groupes sociaux consistent dans des réunions hebdomadaires et les membres de ces clubs sont très généreux pour les œuvres qui sont adoptées par leurs officiers. C'est ainsi que le Club Kiwanis a soutenu des camps de vacances et que d'autres clubs soutiennent des œuvres pour l'enfance malheureuse.

De plus en plus les clubs, composés de canadiens-français, demandent pour prononcer une petite causerie lors de leurs réunions hebdomadaires, un catholique: laïc, prêtre ou même une religieuse, parce que d'autres clubs, comme le Lions, le font.

Quelques Ordinaires des lieux considèrent ces groupes comme l'antichambre de la Franc-maçonnerie. D'autres les trouvent plutôt anodins.

Quelle attitude devons-nous prendre lorsque ces clubs subventionnent des œuvres catholiques et invitent des personnalités catholiques à exposer des problèmes qui sont propres à notre Eglise?

Sujet: Directeur spirituel pour pèlerinages

Etant donné que la plupart des pèlerinages organisés par des agences de voyages, n'en n'ont que le nom. Ce n'est pas parce qu'un groupe visite Lourdes, Rome, Ars et Lisieux que l'on accomplit un pèlerinage. Pour la plupart, ce pèlerinages n'offrent qu'un prêtre qui accompagne le groupe sans programme spirituel précis et au surplus sans connaître son monde.

Etant donné que l'annonce qu'un prêtre participe à un voyage trompe beaucoup de parents qui y envoient leurs enfants les croyant plus en sécurité alors que l'influence du prêtre est limitée dans son action.

Etant donné l'impossibilité pour l'Ordinaire du lieu de contrôler les prêtres religieux qui accompagnent ces groupes et quelques scandales malheureux qui se répètent parfois annuellement.

Etant donné le rôle ridicule auquel est réduit le présumé directeur spirituel:

il doit dire sa Messe trop tôt au début de journée harassante de visites pour que les personnes puissent assister au Saint Sacrifice,

mis à part le voyage en mer ou en avion (can. 883), il ne possède

pas juridiction pour confesser ces personnes qui ne sont pas, pour la plupart, ses paroissiens ou même diocésains,

aucune conférence ou entretien spirituel n'est prévu.

Que l'on donne des directives sur le sens véritable du pèlerinage chrétien pour que les pèlerinages diocésains soient préparés, organisés et dirigés selon cet esprit.

Que les pèlerinages avec Directeurs spirituels soient organisés par les Ordinaires du lieu ou avec leur approbation.

Que les Religieux ne puissent aller en Europe sans la permission de la Sacrée Congrégation des Religieux.

Que des Directives ou mises en garde soient données aux Supérieurs des Communautés sur ce problème.

Loi du jeûne et de l'abstinence

Au cours des siècles, l'Eglise consciente de la nécessité de la pénitence et de la mortification dans la vie de ses enfants, promulgua des lois positives à ce sujet. C'est ainsi que l'abstinence et le jeûne furent définis canoniquement.

La vertu de pénitence, toujours aussi réelle et nécessaire dans la vie de l'Eglise, a subi avec les âges des modifications profondes. Les temps austères des pécheurs publics vêtus de sac et couverts de cendres ont été remplacés par des pénitences moins ostensibles. L'Eglise s'est toujours adaptée à l'époque par une règle du jeûne et de l'abstinence plus conforme aux mœurs.

Nous sommes aujourd'hui en présence d'une situation qui commande une nouvelle attitude en face de ce problème.

Dans un grand nombre de cas, ce n'est plus précisément la vertu de pénitence qui inspire la pratique du jeûne et de l'abstinence, mais plutôt l'obéissance à une loi dont on ne voit plus bien le sens, en présence surtout des exceptions et des dispenses générales qui en sont si souvent données. De plus, parce qu'elle est impraticable à un grand nombre de nos chrétiens du XX siècle, la gravité morale attachée à son inobservance manque de proportion. Alors qu'au temps de la Réforme, la loi du jeûne et de l'abstinence pouvait être un signe de catholicisme vrai et fort, dans notre société actuelle, elle est occasion de scandale, d'incompréhension et d'éloignement de la part des non-catholiques et de conscience faussée da la part des catholiques.

Attendu que la loi du jeûne et de l'abstinence est impraticable pour nos ouvriers catholiques, obligés d'apporter un repas froid sous forme

de sandwich ou qui mangent dans des caféterias d'usine où on n'offre pas de repas maigre,

Attendu que la vie sociale avec les non-catholiques est chose courante et que le jour de banquet et de réception est dorénavant le vendredi et qu'il en résulte ou impossibilité d'observer la loi ou un coût plus élevé pour un repas à la fois maigre et gras,

*Attendu qu'*avec l'avion, l'espace n'existe plus dans notre monde moderne et que les catholiques comme les non-catholiques constatent que cette loi varie parfois d'un pays à l'autre à cause d'indult ou de bulla,

Attendu que cet état de chose, loin d'aider à l'accomplissement d'un précepte de l'Eglise, fausse les consciences et porte les catholiques à identifier et confondre les points doctrinaux essentiels et la discipline ecclésiastique,

Attendu que les péchés mortels matériels ou formels sont multipliés forcément à moins que les dispenses trop fréquentes ne viennent suspendre l'effet d'une loi pourtant considérée comme grave dans l'Eglise,

Attendu que les dispenses occasionnelles accordées pour tout le monde chrétien, bonnes par ailleurs, viennent subitement troubler une coutume et bouleverser économiquement toute l'industrie du poisson à la toute dernière minute, occasionnant des pertes d'argent énormes et une sévère critique pour l'Eglise.

Attendu que le rapprochement avec les non-catholiques doit être facilité en leur présentant « le vrai visage de l'Eglise dans toute sa pureté », selon les mots de Notre Saint-Père, en insistant de plus en plus sur la doctrine, seule raison d'être d'une discipline adaptée,

Le Cardinal Archevêque de Montréal et les membres du Conseil d'Administration de la Conférence Catholique Canadienne espèrent:

1. Une uniformité dans le monde entier de la loi du jeûne et de l'abstinence qui se réduirait à ceci:

Abstinence aux seuls vendredis,

Jeûne, au mercredi des cendres et aux vendredis du carême.

2. Que toutes ces dispositions deviennent exhortatives seulement et non plus préceptives.

✠ PAUL E. CARD. LÉGER
Archevêque de Montréal

20

Exc.mi P. D. VILFRIDI E. DOYLE
Episcopi Nelsonensis (Nelson)

Nelson, die 15 augusti 1959

Illustrissime Domine,

Litteras tuas diei 18 iunii huius anni accepi, quibus nomine Augusti Pontificis opiniones seu sententias meas de rebus in proximo Oecumenico Concilio tractandis rogavisti.

Liceat igitur mihi has sequentes animadversiones patefacere, in tria divisas capita:

I. *De conversione acatholicorum*: In Canada et in Civitatibus Unitis Americae Septemtrionalis, complures acatholici sunt nomine tantum protestantes. Multi ne baptismum quidem receperunt. Ecclesia seu « denominatio » cui nomen dederunt minimum influxum in vita et actibus eorum exercet, adeo ut, etiamsi illa ecclesia seu « denominatio » unionem cum Ecclesia Catholica foveret, membra eiusdem minime afficerentur. Ipsae ecclesiae acatholicae doctrinae tam longe ab Ecclesia Catholica distant, ut fere nulla spes eluceat eorum in gremium Ecclesiae reditus.

Inde mihi videtur invitationem ad huiusmodi reditum dirigendam esse acatholicis *singulis* et *individuis,* quibus illustrandae essent disunio christianitatis et Sanctae Matris Ecclesiae praerogativa.

II. *De catholicis lapsis*: Perdurante tempore praeparationis proximi Oecumenici Concilii, perplures conscientiam habebunt de unitate Ecclesiae. Tempus exinde opportunissimum esset quo Episcopi, clerus atque fideles omnes, viribus unitis et concordatis, Catholicos a praxi religionis lapsos invitent et revocent ad investigationem iurium et praerogativarum Fidei Catholicae.

III. *De ritibus orientalibus in Canada*: Inter Canadenses perplexitas et difficultates oriuntur propter diversitatem rituum Latini et Graeco-Ruteni (Ucraini). Perplures Graeco-Ruteni baptismum necnon totam instructionem (educationem) iuxta ritum Latinum acceperunt. Hoc autem necessitate compulsi, propter paucitatem cleri orientalis, specie ante novarum Eparchiarum anno 1948 institutionem.

Maior pars iuvenum Graeco-Rutenorum linguam maternam seu nativam (ucrainam) non pollent. Saepe saepius credunt seipsos ritui Latino pertinere. Quando denique quaestiones de matrimonio, vel de prolis baptismo et confirmatione, oriuntur, delusi aegre notitiam accipiunt de difficultate obtinendi permissum ut haec sacramenta ritu Latino admini-

strentur. Frequentissime accidit ut desiderio pulsi quo Latini viderentur, translationem de ritu in ritum quaerant. Hac translatione impossibili aut difficillima inventa, illi tantum qui fidem fortem habent fideles permanent. Multi sentiunt se in Ecclesia Catholica non gratos esse, quia, desiderio essendi Latini decepti, Ecclesiam cum ritu Latino confundunt. Reale periculum adest ne ad ecclesias acatholicas, quibus semper comiter accipiuntur, pervertantur, aut Missae praecepto et Sacramentis recipiendis non amplius vel minus fideliter adsistant.

His quae mihi muneris erant omni quo par est obsequio expositis, impensos animi sensus tibi profiteor, meque subscribo

Addictissimum in Domino
✠ Vilfridus E. Doyle
Episcopus Nelsonensis

21

Exc.mi P. D. IOSEPHI A. MARTIN
Episcopi Nicoletani (Nicolet)

Nicolet, die 26 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Tuas recepi litteras, ad me missas die 18 iunii huius anni, quibus annuntiasti mihi Summum Pontificem fel. regn. in Festo Pentecostes instituisse Commissionem antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico et Augustum Pontificem desiderare agnoscere opiniones et sententias Exc.morum Episcoporum atque Praelatorum qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur (can. 223).

Non potui mittere responsionem ante diem primum septembris propter visitationem ad limina, cum non fuit mihi facile durante peregrinatione elaborare ea omnia quae mihi videntur proponenda in futuro Concilio Oecumenico. Mihi non videtur utile et necessarium exponere cum omnibus explicationibus dictu necessariis, sed tantum proponere argumenta generalia et propositiones quae ad bonum animarum, progressum Ecclesiae et disciplinam cleri et fidelium debentur argumentari, scilicet:

I. *Quoad theologiam dogmaticam*:

a) Constitutionem elaborare dogmaticam de Episcopatu, tum quoad potestatem ordinis cum quoad potestatem ordinariam iurisdictionis, non

solum relate ad potestatem pontificiam sed etiam relate ad actionem catholicam quae est participatio ad apostolatum hierarchiae.

b) Tractare de Ecclesia ut corpore mystico Christi et quasi prolongatione Incarnationis Christi.

c) Exponere doctrinam Ecclesiae relate ad evolutionismum quae satis agitatur hisce temporibus, ita ut evidenter et clare stabiliantur ea quae sunt de fide et ea quae sunt liberae opinionis quoad originem primi hominis et interpretationem primorum capitulorum Geneseos.

d) Tractare de interpretatione Sacrae Scripturae et de Theologia biblica, etiam de usu Sacrae Scripturae in Ecclesia ad instructionem fidelium. Haec valde important propter conatus innumerarum sectarum quae adlaborant in regionibus catholicis et rectam fidem impugnant cum quodam successu apud fideles.

e) Studere et elucidare quaestionem valde complexam de oecumenismo seu de relationibus cum confessionibus dissidentibus, ita ut Ecclesia sit in quodam statu apostolatus quoad dissidentes.

f) Cum in hisce temporibus quaestiones de Eschatologia et de notione historiae disputentur, tractare de theologia historiae et de munere Christi et Ecclesiae in sanctificatione temporis et historiae, ita ut doctrina clara opponatur conceptioni marxistae historiae.

g) Studere quaestionibus valde complexis de progressu scientifico et technico et etiam de labore operariorum, ita ut delineetur theologia laboris ut participationis ad opus creationis Dei et ad gloriam Dei contra marxismum.

II. *Quoad theologiam moralem*:

a) Quoad necessitatem exaltandi valores temporales ut dicunt, « Il fut réhabiliter les valeurs terrestres », argumentare de relationibus inter spiritualia et temporalia, praesertim ad sanctificationem temporalium.

b) Studere relationibus inter spiritualitatem et psychologiam experimentalem.

c) Elaborare spiritualitatem matrimonii, ita ut purgentur falsae opiniones circa fines matrimonii.

d) Studere quaestioni de impedimentis matrimonii, supprimere omnia impedimenta matrimonii quae non sunt probabiliter dirimentia ex iure naturali, vel saltem de impedimentis dirimentibus facere impedimenta prohibentia, servare fortassis ut dirimens impedimentum criminis « uno vel utroque machinante », sed ab illo numquam dispensare. Quoad vitium consensus regularizare et convalidare matrimonium per consensum vitae communis pacificae per unum annum.

e) Servare in tractatu de poenis, censuras ab homine et ferendae sententiae et simpilficare totum tractatum.

f) Tractare de communismo, de socialismo et de capitalismo, sed ita ut non ferantur condemnationes categoricae sed ut elucescat veritas doctrinae socialis Ecclesiae ad profectum quaestionis socialis et ad bonum operariorum.

g) Inculcare principia quae relationes inter Statum et Ecclesiam regunt. Explicare rationes iustificantes interventus Ecclesiae etiam in quibusdam circumstantiis ordinis politici et spectantibus religionem.

h) Tractare de quibusdam quaestionibus moralibus (ut freudismus, psychanalisis, sterilizatio, foecundatio artificialis et amplexus reservatus).

i) Tractare de problematibus Moralis Internationalis, ut de bello, armis atomicis, de consequentiis belli quoad populationes civiles, etc.

III. *Quoad disciplinam cleri et fidelium*:

a) Videre an sit opportunum et necessarium reorganizare congregationes romanas, ut clare pateat competentia uniuscuiusque, ita ut in una tantum congregatione tractentur quaestiones pertinentes ad unum subiectum, v. g. matrimonium, liturgiam, etc.

b) Stabilire normas generales et speciales ita ut non sit semper necessarium recurrere ad indulta pro administratione dioecesium, consideratione facta de evolutione rapida modorum vivendi in hodiernis conditionibus.

c) Exponere doctrinam et normas generales spiritualitatis cleri saecularis, relate ad perfectionem vitae spiritualis et statum perfectionis.

d) Studere quaestioni usus Breviarii apud clerum ad meliorandam vitam spiritualem personalem per recitationem Breviarii.

e) Studere quaestioni de abstinentia et ieiunio in qua sunt multae dispensationes, etc.

IV. *Quoad vitam liturgicam Ecclesiae*:

a) Studere quaestioni ieiunii eucharistici praesertim quoad cleros binantes et trinantes et quoad aegrotos.

b) Videre an sit possibile et utile determinare maiorem participationem activam fidelium ad vitam liturgicam Ecclesiae praesertim in Missa. Usus linguae vernaculae in prima parte Missae ad eruditionem fidelium valde agitatur.

c) Quaestio reformationis diaconatus disputatur. Studere an sit possibile renovare ordines minores et maiores secundum votum Concilii Tridentini.

d) Stabilire clare et enucleate quod ritus orientales non sunt ritus

minores sed habere iura in Ecclesia latina, ita ut orthodoxi sentiant se posse redire ad Ecclesiam romanam sine periculo latinizationis pro suis ritibus.

V. *Quoad vitam religiosam*:

a) Exponere doctrinam de vita religiosa et necessitatem vocationum religiosarum in Ecclesia ut manifestetur perfectio vitae evangelicae.

b) Studere toti quaestioni de exemptione religiosorum et statuere principia et normas generales quoad relationes inter episcopum et concongregationes religiosas, et etiam cum clero saeculari, praesertim ad id quod attinet ad exemptionem canonicam et participationem religiosorum ad apostolatum dioecesanum.

c) Cum in religionibus laicis multae sint dispensationes votorum perpetuorum, videre an sit possibile statuere ut nemo possit etiam vota temporaria ante vigesimum quartum annum emittere.

VI. *Quoad Actionem Catholicam*:

a) Statuere principia de Apostolatu laicorum et de « sacerdotio regali laicorum », praesertim quoad Actionem Catholicam.

b) Elaborare theologiam sacerdotii regalis ita ut clare distinguatur a sacerdotio ministeriali.

VII. *Quoad Ecclesiam Orientalem*:

a) Studere quaestioni de praeeminentia patriarcharum orientalium, secundum traditiones primorum conciliorum, et stabilire quaestionem de praecedentia, ita ut Ecclesiae Orientales dissidentes sentiant se nihil perdere per reunionem ad Cathedram Petri, servata praeeminentia iurisdictionis et honoris Summi Pontificis.

His expositis cum summa reverentia et veneratione ad Commissionem antepraeparatoriam futuri Concilii Oecumenici, sensus gratitudinis et venerationis ex corde profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae, cui a Domino precor quaeque fausta.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus in Domino

✠ IOSEPHUS A. MARTIN
Episcopus Nicoletanus

22

Exc.mi P. D. MARIAE IOSEPHI LEMIEUX
Archiepiscopi Ottaviensis (Ottawa)

Ottawa, le 12 septembre 1959

Eminence Révérendissime,

Je vous apporte les suggestions demandées par la Commission Pontificale préparatoire au prochain Concile. Je dois en premier lieu m'excuser d'être en retard dans l'expédition de ce document qui aurait dû être au Vatican pour le premier jour du présent mois. Les consultations, la rédaction et la traduction ont pris plus de temps que je n'avais tout d'abord prévu.

J'ai exprimé en toute simplicité et sincérité ce que le souci pastoral et le désir de sauvegarder et de développer la doctrine catholique m'ont inspiré. J'espère avoir satisfait ainsi aux demandes de Votre Eminence.

Je vous prie de croire, Eminence Révérendissime, en l'expression de mes sentiments religieux et dévoués dans le Christ.

✠ Marie J. Lemieux
Archevêque d'Ottawa

I. *Suggestiones quae ad doctrinam spectant pro meliore mysterii Ecclesiae intelligentia*

Schema « De Ecclesia », in Concilio Vaticano Episcopis distributum, notionem *Corporis mystici* tamquam fundamentum doctrinae catholicae de Ecclesia considerabat. Idem textus a plerisque Concilii Patribus benigne acceptus est, sed propter temporis adiuncta publica discussio eius impossibilis facta est; proinde, nonnisi primatus iurisdictionis ac infallibilitas Summi Pontificis sunt definita.

Exinde plures litterae encyclicae, praesertim *Mystici Corporis* et *Mediator Dei,* aptissime ad oculos posuerunt elementa supernaturalia et mystica Ecclesiae, quae habetur quasi prolongatio Christi. Nunc vero tempus adesse videtur maximum momentum doctrinae de Corpore mystico uberius exponendi: iamvero haec explanatio interioris mysterii Ecclesiae duplicem eumque faustum secumfert, adducit nempe fideles ad altiorem Ecclesiae cognitionem et insimul novo lumine collustrat principales manifestationes vitae contemporaneae Ecclesiae: renovationem

biblicam atque liturgicam, apostolatum laicorum, expansionem missionum, voluntatem unionis quae apparet inter christianos.

1. De opportunitate completioris synthesis.

Doctrina de Corpore mystico non solum clare et indubitanter invenitur in Scriptura et Traditione sed etiam aptissima est ad exprimendos duos principales aspectus Ecclesiae utpote quae est et communitas fidelium et institutio seu ordo mediorum salutis a Christo conditorum.

Tractatus classicus de ecclesiologia, elaboratus tamquam reactio contra errores qui structuram Ecclesiae hierarchicam impugnabant, extollebat potestatem ac functiones hierarchicas potius quam alias res et elementa Ecclesiae, etsi non minoris momenti, quae de societate fidelium corpus animatum et vivens faciunt. Qua in materia proinde locus est synthesis completioris elaborandae; penes Concilium est huius synthesis delineare principia, affirmando nempe — secundum intentionem anno 1870 iam manifestatam — Ecclesiam imprimis esse Corpus Christi mysticum, cuius varia elementa, etiam exteriora et sensibilia, ultimam significationem invenire in hac intima et transcendentali natura Ecclesiae.

2. De Corpore mystico et renovatione biblica ac liturgica.

Talis declaratio novum impulsum dare potest renovationi biblicae atque liturgicae, quarum unicus scopus est omnes credentes Christo incorporare et sic ducere eos ad Deum. Tota Revelatio, et illa quae ad Christum praeparat et illa quae data est mundo per ipsum Salvatorem, tendit ad efficiendum ex omnibus hominibus unum Corpus, cuius Caput est Christus. Quod valet etiam de Liturgia, per quam communitas vitae inter Caput et membra huius Corporis reapse efficitur.

Si verum est renovationem biblicam et liturgicam non parum adiuvare fideles, ut Ecclesiam quasi denuo inveniant, aeque certum apparet altiorem (uberiorem) cognitionem Corporis mystici utilissimam fore ad adducendos credentes, ut abundantius hauriant in divitiis Scripturae et Liturgiae.

3. De Corpore mystico et apostolatu laicorum.

Laici prout membra Corporis mystici participes sunt actuum vitae ipsius, et insimul collaboratores constituuntur in exsequenda eiusdem Corporis missione, quae per Ecclesiam fit. Totum omnino Corpus est subiectum vitae in Christo, ad totum Corpus pertinet, ut per actionem apostolicam incrementum suum continuet. Iam S. Paulus dixit illud ad Ephesios scribens (IV, 16), et Pius XII adhortabatur quondam laicos « ut semper clarius sibi essent conscii se non tantum esse de Ecclesia (pertinere ad Ecclesiam) sed se esse Ecclesiam, scilicet communitatem illam fidelium in terra existentem sub regimine capitis communis, nempe

Papae, atque Episcoporum qui sunt in communione cum Summo Pontifice ».

Locus laicorum et pars eorum activa in Ecclesia definiuntur ergo dignitate membrorum quam habent in Corpore mystico, atque notio iusta participationis laicorum in variis muneribus Ecclesiae emanat necessario ex doctrina de Corpore mystico.

4. De Corpore mystico et expansione missionum.

Summi Pontificis saeculi nostri haud per ambages supranationalitatem Ecclesiae affirmaverunt; Pius XII verbis expressis characterem hunc intulit ex facto Ecclesiam esse Corpus Christi mysticum (Nuntius radiophonicus in Nativitate Domini, a. 1945). Propter eamdem causam, alia vice, declaravit, « Ecclesia catholica cum nulla identificatur cultura; sua ipsius essentia illud prohibet. Attamen parata est relationes habere cum omnibus culturis. Quidquid in his culturis naturae non est contrarium, Ecclesia illud agnoscit et servat. Iamvero in unamquamque praeterea introducit veritatem et gratiam Iesu Christi, conferendo sic omnibus et singulis altam similitudinem: quo modo agendo Ecclesia efficacissime paci in mundo conservandae adlaborat ».

5. De Corpore mystico et unitate christiana.

Concilium futurum, secundum vota Summi Pontificis, debet esse invitatio ad omnes missa, ut unio requiratur. Quae Voluntas adlaborandi ad unionem restaurandam solidissimum fundamentum habet in doctrina de Corpore mystico. Scissio inter christianos facta est, quoniam quidam se gerebant ac si non essent idem Corpus cum aliis (alter alterius membra, Rom. 12, 5) sub eodem capite visibili quod locum tenet Capitis invisibilis.

Quam ob rem investigatio sincera unionis fundatur in firma persuasione omnes christianos, cum Dei consilium sit omnes homines coadunare in *una* Ecclesia quae est Corpus Christi, sese considerare debere uti membra ad invicem. Accepta prius hac persuasione ac convictione, differentiae doctrinales et alia obstacula unionem impedientia multo facilius tollerentur. Porro, Concilium optime de unione mereri potest, pro certo affirmando illas veritates ecclesiologiae, quae retinere queant attentionem fratrum nostrorum separatorum, adhuc saepius erronee iudicantium de catholica notione Ecclesiae. Quibus ita factis, primo mentes et corda propius admovebuntur, ut deinde restauratio plenae communionis in fide ac vita sacramentali perficiatur.

II. *Suggestiones quae ad actionem pastoralem spectant*

a) De formatione cleri diocesani.

Sollicitudini traditionali Ecclesiae circa formationem clericorum apprime consentaneum videtur, ut personis, quae in Seminariis Maioribus navant operam clericis educandis, praebeatur Directorium continens sequentia:

1) normas circa studium, discretionem culturamque vocationum;

2) regulas fundamentales disciplinae essentialis pro formatione sacerdotali et apostolica;

3) dispositiones quoad adaptationem proximam studiorum ecclesiasticorum ad instruendum populum christianum, et, modo generali, quoad praeparationem concretam iuniorum sacerdotum ad sacrum ministerium.

b) De vita sacerdotali et actione pastorali.

Ut sacerdotes, tam in omnibus muneribus pastorum obeundis quam in vita spirituali propria exercenda, ad « sentire cum ecclesia » efficacius moveantur, congruens ac valde utile videtur dare eis Directorium comprehendens summam antiquarum ac recentium dispositionum quas Ecclesia clericis suis hucusque largita est:

1) indicans sacerdoti media essentialia ad vitam propriam spiritualem conservandam et augendam;

2) ducens illum in materia pastorali, in memoriam revocans principia immutabilia apostolatus revera supernaturalia;

3) in materia sociali edocens sacerdotes de modo agendi in huius temporis quaestionibus, quae non parvi momenti sunt in vita religiosa hominum.

c) De habitu clericali.

Nonne expedit modificare disciplinam vigentem quoad vestem talarem portandam? Vestis talaris permaneret obligatoria in functionibus sacris obeundis, sed extra ecclesiam, et specialiter in itinere, habitus clericalis consistere posset solum in collari romano vel in quodam alio signo distinctivo, quod omnes sacerdotes absque incommodo deferre possunt.

d) De Liturgia.

Novissimis annis Sedes Apostolica linguam vernaculam largius in Liturgiam admisit concedendo Rituale in duabus linguis exaratum, et permittendo, peracto prius cantu latino, lectionem Epistolae et Evangelii in lingua fidelium.

Aliae quoque dispositiones, uti novus Ordo Hebdomadae Sanctae ac

Decretum Sacrae Rituum Congregationis (1955) de rubricis ad formam simpliciorem redigendis, populo christiano aditus ad Liturgiam multo faciliores reddiderunt. Optamus, ut ulteriores emendationes ex eadem sollicitudine pastorali procedentes compleant hucusque factas, quo certius vita liturgica coetuum paroecialium novum accipiat incrementum.

Hic erit probabiliter optimus modus praestandi nutrimentum solidum et substantiale pietati populi christiani simulque retrahendi eamdem pietatem a quibusdam « devotionibus » quae quandoquidem superstitionem redolent.

e) De diebus festis de praecepto.

Obligatio Missam audiendi diebus festis de praecepto (aliis quam dominicis) onerosa est praesertim operariis manualibus quando labori consueto vacare tenentur. Quoniam visum est necessarium permittere opera servilia plerisque his diebus festis, conveniens videtur Nativitas et Circumcisio Domini tantum retinenda esse tamquam festa de praecepto cum duplici obligatione Missam nempe audiendi ac abstinendi ab operibus servilibus. Quapropter fideles tenerentur Missam audire solis diebus dominicis et his duobus festis, ceteris omnibus tamquam festis de praecepto suppressis.

f) De lege abstinentiae et ieiunii.

Legislatio circa abstinentiam et ieiunium multo efficacior fieret, si digesta esset eo modo, ut a plerisque, si non prorsus ab omnibus, observari posset. Vitae modernae difficultas dispensationes tam frequentes imposuerunt, ut multi sint qui illarum legum observantiam sibi impossibilem putent; unde ipsamet fundamentalis obligatio poenitentiae non leve accipit detrimentum.

g) De Actione Catholica et Apostolatu laicorum.

Cum Actio Catholica in dies maioris momenti ac ponderis fiat, militantes suggesserunt mihi, ut Congregatio Romana specialis instituatur quae progressui huius methodi apostolatus invigilet atque omnes conatus apostolicos laicorum dirigat et coordinet.

Peculiari modo curandum censemus, ut directores spirituales Actionis Catholicae formentur:

— per praelectiones de Actione Catholica habitas in Seminariis Maioribus et Scolasticatibus;

— per studia pastoralia versantia circa conditiones particulares locorum in quibus Ecclesiae ministri apostolatum sacerdotalem exercitare debere praevident.

✠ Maria Ioseph Lemieux
Archiepiscopus Ottaviensis

23

Exc.mi P. D. GULIELMI I. SMITH

Episcopi Pembrokensis (Pembroke)

August, 26th, 1959

Your Eminence:

I have the honour to transmit to Your Eminence, as President of the Preparatory Pontifical Commission for the Oecumenical Council, the enclosed suggestions for the Oecumenical Council.

With prayerful good wishes, and much respect, I remain, Your Eminence,

Devotedly yours in Christ,

✠ William Joseph Smith
Bishop of Pembroke

1. Optandum est ut legislatio de institutis saecularibus et piis unionibus determinetur praesertim de sacerdotibus et seminaristis ad institutum saecularem pertinentibus et etiam de eorum obligationibus quoad Ordinarium loci.

2. Status iuridicus cappellanorum militum in ditione Canadensi definiri debet, etiam eorum obligationes quoad Ordinarium loci.

3. Ut facultas confirmandi in periculo mortis concedatur omnibus sacerdotibus in absentia episcopi.

4. Ad Ecclesiae administrationem faciliorem reddendam, ad aequandum passus incrementi populorum catholicorum orbis, ad sublevendas necessitates plurium nationum recentium, ad praestandam Patribus Cardinalibus opportunitatem amplioris electionis cum ad eligendum novum Summum Pontificem Romam petunt, optandum est ut numerus eorumdem Patrum Cardinalium ad centum accedat.

5. Mutationes sequentes in Breviario Romano humillime petuntur:
   1) Unicum Nocturnum ad Matutinum.
   2) II Laudes aboleantur.
   3) Recitare Breviarium Romanum in lingua vulgari.

6. Ut facultas Ordinario loci concedatur permittendi suis sacerdotibus die dominica Sacrum ter eadem die litare (etiam pro festis de praecepto), et aliis diebus Sacrum bis litare ubi necessitas urget ob cleri penuriam, e. g. primis feriis sextis mensis, occasione Matrimonii vel Missae exequialis, etc.

7. Ut Liber V Codicis Iuris Canonici ad formam simpliciorem reducatur.

8. Caeremonias pastoralis visitationis ad normam canonis 343 *C.I.C.* peragendae breviores in aliquibus circumstantiis reddere perutile erit. Cum, e. g., numerus confirmandorum magnus est, brevis et conveniens oratio pro defunctis substituatur cantui « Libera me, Domine ».

9. Ut legislatio matrimonialis ecclesiastica inspiciatur ut casus matrimoniales reducantur et modus hos casus resolvendi simplificetur, e. g. privilegium fidei, et normae clariores de validitate matrimoniorum acatholicorum constituantur.

10. Leges ieiunii eucharistici attingentes aegrotos qui morbo sic dicto « diabetico » laborant vel qui stomachos debiles habent clarificentur ita ut ipsi aliquid cibum solidum per modum medicinae sine scrupulo sumere possint immediate ante Communionem.

11. In aedificatione Mystici Corporis Christi maximi momenti est ut quis clare intelligat quid « Actio Catholica » et « Apostolatus Laicus » implicent; ideoque natura et finis « Actionis Catholicae » et « Apostolatus laicorum » incorporari deberent in Codice Iuris Canonici.

12. Una ex praecipuis causis Catholicorum inertiae procul dubio eorumdem est ignorantia quoad fidelium officium in Ecclesia. Nonne perutile videretur compendium aliquod codicis iuris canonici fideles directe attingens in vulgari sermone editum? Hoc compendium tractare breviter poterit de Apostolatu laicorum, de Liturgia et Missa, de praecepto paschali, de oratione in coetu familiae peragenda, de educatione catholica, de matrimonio et divortio, de rebus socialibus, de societatibus prohibitis, de usu Sacrae Bibliae, de obligatione solvendi tributum pro ecclesiae sustentatione, de exercitiis spiritualibus pro laicis, de relatione inter Ecclesiam et Statum, de vocationibus ad statum clericalem et religiosum.

Praefatum compendium una cum catechismo in scholis et domi tradendum, praetiosum et practicum directorium erit.

✠ Gulielmus Ioseph Smith
Episcopus Pembrokensis

24

EXC.MI P. D. BENIAMINI I. WEBSTER

Episcopi Peterboroughensis (Peterborough)

18 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Quaestiones concernentes futuro Concilio Oecumenico discussae fuerunt cum peritis sacerdotibus istius dioeceseos; cum nihil particularis momenti exortum sit quod posset submitti Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, nullum responsum dedimus epistolae die 18 iunii 1959 editae.

Addictissimus in Domino

✠ BENIAMINUS I. WEBSTER
Episcopus Peterboroughensis

25

EXC.MI P. D. LAURENTII MORIN

Episcopi Principis Albertensis (Prince Albert)

31 augusti 1959

Eminentissimo ac Reverendissimo Domino,

Abhinc solum tres menses nominatus episcopus Principis Albertensis, iam notavi quod inter plurima problemata in dioecesi perspecta existit unum gravius cuiusque solutio non a nobis pendet, scilicet matrimonium catholicorum mixti ritus.

Propterea his litteris annexa est relatio de obicibus quibus adimpletio legum canonicarum impeditur.

Eminentiae Vestrae
humillimus in Christo

✠ LAURENTIUS MORIN
Episcopus Principis Albertensis

MATRIMONIA CATHOLICORUM MIXTI RITUS

Ex disciplina instaurata, tam in Codice latino quam in Codice orientali super matrimoniis ritus mixti, prodierunt in quibusdam partibus regionis occidentalis Canadensis difficultates quae de die in diem accrescunt.

A) *Natura difficultatum*

1. Vi Codicis latini praescribitur matrimonium coram sponsae parocho celebrandum esse, dum vi codicis orientalis prescribitur matrimonium coram sponsi parocho. Quando vero sponsi petunt ut matrimonium in paroecia sponsae celebretur multae permissiones sunt petendae quae ob ingentia viae spatia celebrationi matrimonii moram afferunt.

2. Cum saepe in mente fidelium confusionem gignit haec disciplina, fidelibus detrimentum affert quandoque scandalum dum e iure bonum spirituale fidelium tueri ut obiectum habere deberet.

3. Exinde observantia omnium legum disciplinarium, speciatim circa permissiones ab Ordinariis vel a Delegatione Apostolica obtinendas, difficilior evenit, quia vel omnia ad nuptias sunt parata vel matrimonio ipso moram affert, sic damnum materiale ipsis sponsis causans.

4. Immo saepe saepius sponsi, ob moras ac difficultates quae eis non intellectae manent, matrimonium coram ministris acatholicis attentant, sic sibi gravius damnum spirituale afferentes.

5. Ob eas causas multi catholici a sua fide defecerunt et indifferentismo indulserunt vel alcui religioni acatholicae adhaeserunt.

B) *Causa historica difficultatum*

1. Orientales qui ab initio in regionem Canadensem migraverunt suo ritui attente studere volebant. Ob tamen perpaucos sacerdotes ritus orientalis, sensim ritum latinum adsciverunt; eorum autem filii, quia a prima aetate consuetudinem cum latinis fecerunt et ita vixerunt et educati sunt, ecclesias ritus latini semper frequentarunt et inde linguam ritumque orientales omnino nesciunt.

2. Ex his sequitur ut sponsi nolunt, ob solam causam matrimonii, ad ecclesiam orientalem ire quia linguam ritumque prorsus ignorant.

C) *Solutio proposita*

1. Ut Ordinarii proprii sponsorum, sive latini sive orientales, pro suo prudenti iudicio, permissiones et dispensationes huiusmodi dare possint, salvo iure Delegati Apostolici in casibus particularibus decernendi.

2. Ut facilius ad alium ritum transeundi venia obtineri possit, sive de ritu latino ad ritum orientalem sive de ritu orientali ad ritum latinum.

✠ Laurentius Morin
Episcopus Principis Albertensis

26

EXC.MI P. D. MAURICII ROY
Archiepiscopi Quebecensis (Québec)

Québec, le 11 janvier 1960

Eminence Révérendissime,

J'ai l'honneur de soumettre à Votre Eminence les suggestions qu'Elle a bien voulu me demander de Lui communiquer pour la préparation du prochain Concile Œcuménique.

Je prie Votre Eminence d'agréer les sentiments de respectueux dévouement avec lesquels je suis

De Votre Eminence Révérendissime
le fils humblement soumis en Notre-Seigneur

✠ MAURICE ROY
Archevêque de Québec

1. Protestantes multi ab Ecclesia avertuntur quia erronee putant eam diversa docere quae revera ab eius doctrina omnino aliena sunt. Idcirco optandum videtur ut denuo sollemniter proponantur articuli fidei catholicae qui a Protestantibus recipiuntur (v. g. de inspiratione S. Scripturae) ita ut facilior reddatur via ad unitatem fidei.

2. Mundo universo tunc attente audienti Concilium praebet optimam occasionem proclamandi caritatem Ecclesiae Catholicae erga omnes filios Dei, non omissis illis qui extra Ecclesiam nati sunt.

3. Olim tantummodo pauci praeter theologos documenta Magisterii legebant; doctrina vel disciplina in illis proposita populo christiano mediante praedicatione communicabatur.

Hisce vero temporibus ipse textus constitutionum Concilii a periodicis certo tradetur rudibus haud secus ac doctis.

Dum necessarium semper manet uti vocabulario theologico, maxima cum prudentia avertendae erunt locutiones quae nimis difficile intelliguntur vel quae ansam praebent aequivocationi.

Meminisse iuvabit locutiones quae Graecis et Latinis sat clarae videntur non semper ita bene aptari menti Anglo-Saxonum vel Orientalium.

QUAESTIONES CONSIDERANDAE

4. De Revelatione divina et Fide catholica utpote luce salvifica et vinculo unitatis in universa familia hominum.

5. De S. Scriptura:

a) de inspiratione;

b) de Scriptura vero fonte fidei cum Traditione;

c) prudens lectio Bibliae commendanda fidelibus;

d) summa regularum interpretationis recenter a S. Sede propositarum confici posset a Concilio;

e) optandum ut apertius dicatur systema scientificum evolutionis materiae inorganicae vel etiam animalium fidei contrarium non esse, salvis definitionibus Magisterii de creatione materiae a nihilo, de speciali creatione primi hominis, etc.

6. De vero conceptu Tolerantiae: salvis omnibus quae ad doctrinam catholicam pertinent de obligatione credendi veritati revelatae et non cooperandi propagationi haereseos, apertius affirmetur sensus Ecclesiae de fide per vim non imponenda necnon de sinceritate agnoscenda in multis qui nondum ad plenam notitiam veritatis devenerunt.

7. De ordine supernaturali omnino distinguendo ab ordine naturali (v. g. spectatis confusionibus quae apparent in scriptis P. Teilhard de Chardin et aliorum).

8. De obligatione procurandi, quantum fieri potest, etiam beatitudinem temporalem humanitatis; de iustitia et caritate erga nationes in egestate laborantes.

9. Cum ea quae in Syllabo Pii IX de libertate et progressu docentur ab adversariis Ecclesiae saepe sensu strictissimo et falso interpretentur, apte synthesis detur doctrinae catholicae de dignitate personae humanae, de vera libertate tuenda et de procurando authentico progressu totius societatis humanae.

10. De Christo unico Mediatore; de munere Beatae Mariae Virginis et Sanctorum sub Christo Mediatore.

11. De cultu Beatae Mariae Virginis utpote Matris Dei et, divina ordinatione, Matris nostrae.

12. De S. Ioseph.

13. De Sacramentis: opportune ritus quidam vel caeremoniae non essentiales omitti vel mutari possent (v. g. oscula) quia iudicio medicorum non sunt commendanda vel iuxta traditiones multarum nationum difficilius recipiuntur.

14. De Peccato: Salvis omnibus quae medicina et psychologia experimentalis recte docent de dispositionibus quae liberum minuunt, iterum proponenda videtur traditionalis notio de imputabilitate et de peccato.

15. De ministro Confirmationis:

Ne ullus privetur hoc sacremento, optandum videtur ut, sicut

omnis sacerdos facultatem habet absolvendi in periculo mortis, ita sit delegatus ad confirmandum in eodem periculo.

16. De essentia sacrificii Missae.

17. De opportunitate permittendi concelebrationem Missae ubi multi sacerdotes adunantur, v. g. occasione exercitiorum spiritualium vel congressus eucharistici.

18. De constitutione Ecclesiae:

Acatholici saepissime et haud raro etiam Catholici imperfecte et erronee de constitutione Ecclesiae Catholicae sentiunt, non distinguendo inter essentialia et accidentalia; inter ea quae sunt peculiaria sive Ecclesiae Occidentali sive Orientalibus et ea quae sunt omnibus Catholicis communia.

Optandum est ut ea quae pertinent ad constitutionem Ecclesiae clarius proponantur, principia Iuris occidentalis et orientalis in unum redigantur, ut sic eluceat Ecclesiae Catholicae unitas et pulchritudo.

19. De potestate Archiepiscopi:

De opportunitate aliquantulum augendi Archiepiscopi potestatem in Suffraganeos ad favendum coordinationi apostolatus in tota provincia ecclesiastica: v. g. suffraganei ad quosdam actus maioris momenti non procederent nisi audito Archiepiscopo vel etiam obtento eius Nihil obstat, salvo recursu ad Sanctam Sedem.

20. De potestate Episcopi:

a) in Sacerdotes saeculares: facilius possit Episcopus procedere ad amotionem beneficii cum in periculum vergit salus animarum, salva obligatione procurandi ea quae necessaria sunt ad decentem sustentationem sacerdotis;

b) in Religiosos: Praecavenda videntur quaedam gravia incommoda exemptionis vi cuius, etiam in regionibus ubi valde insufficiens est copia sacerdotum, saepe deest necessaria coordinatio apostolatus.

21. De opportunitate instituendi quamdam formam vitae religiosae sub auctoritate Episcopi, ita ut possibile sit presbyteris dioecesanis viam consiliorum eligere servata dependentia a proprio Episcopo.

22. De Actione Catholica: De auctoritate Episcopi et parochi; de munere proprio Laicorum.

23. De opportunitate conferendi Diaconatum aliosque Ordines inferiores etiam illis qui ad Sacerdotium non destinantur, attamen Presbyteros multum adiuvare possent ut in primaeva Ecclesia.

De opportunitate non imponendi caelibatum istis ordinatis non presbyteris, saltem in regionibus ubi sacerdotes pauci sunt fideles autem indolis sunt valde labilis, uti patet apud Indos Americae.

24. De Matrimonio:

a) De praeparatione: De opportunitate providendi ut, praeter canonicam investigationem, instructio doctrinalis magis completa de dignitate Matrimonii, de obligationibus sponsorum, de educatione prolis, etc., detur nupturientibus. Talis praeparatio in variis dioecesibus magno cum fructu iam traditur.

b) De celebratione: Magis eluceat in celebratione Matrimonii propria indoles et dignitas huius sacramenti, v. g. permittatur ut conficiatur intra Missam; ritus sollemnior sit possibilis.

25. De Ieiunio et Abstinentia.

Desideratur uniformitas legum per universam Ecclesiam; in multis regionibus vix subsistit obligatio ieiunii et abstinentiae dum alibi lex stricte interpretatur.

26. De Delictis et Poenis: Optandum ut titulus ille Iuris Canonici brevius et facilius reddatur.

✠ MAURICIUS ROY
Archiepiscopus Quebecensis

27

EXC.MI P. D. MICHAËLIS C. O'NEILL
Archiepiscopi Reginatensis (Regina)

Regina, Sask., 14 aprilis 1960

Eminentia Vestra Reverendissima,

Litteris Eminentiae Vestrae respondere cupiens, sequentia subiecta a Commissione Antepraeparatoria Pro Concilio consideranda submittere desidero:

1. Ut Concilium sub patronatu Dominae Nostrae a Perpetuo Succursu constituatur.

2. Ut provideatur mutationi Ritus per condiciones minus rigidas, speciatim quando supplices non noverunt Ritum vel eius linguam, ad quem iuxta ius canonicum pertinent.

3. Ut detur concessio generalis lingua vernacula utendi in Rituali Romano. Haec concessio extendatur etiam ad recitationem idiomate vulgari precis: « Passio » ... etc. post absolutionem in Sacramento Poenitentiae.

4. Ut permittatur usus linguae vernaculae in privata recitatione Breviarii Romani.

5. Ut multa indulta, quae nunc in usu habentur, in unum corpus redigantur cum editione renovata Codicis Iuris Canonici.

6. Ut instructiones ad disciplinam pertinentes a S. Sede editae mittantur ad Ordinarios locorum per Delegatum Apostolicum, quae eodem die divulgari possent pro prelo, quando Romae publicantur.

7. Ut provideatur translationibus processuum Concilii simul factis, quae praesto sint omnibus, qui in Concilio intersunt.

Omni quo par est obsequio.

✠ MICHAËL C. O'NEILL
Archiepiscopus Reginatensis

28

EXC.MI P. D. CAROLI EUGENII PARENT
Archiepiscopi S. Germani (Rimouski)

Die 28 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Postulante Eminentia Tua Reverendissima in littera diei 18 iunii ultimi data (Prot. N. 1 C/59-M 15) de rebus tractandis in proximo Concilio Oecumenico, sequentes propositiones humiliter offero:

A) *In re dogmatica*

Omnia praecipua puncta quae importat *mediatio Beatae Mariae Virginis universalis* a fere omnibus hodiernis theologis tenentur sufficienter revelata ut haec doctrina possit ab Ecclesia definiri. Etenim revelatio satis testatur Angelum a Maria requirere consensum a Deo requisitum ad nostram redemptionem et ipsam respondere: « Ecce ancilla Domini »; Mariam cooperatam fuisse sacrificio Crucis et Christo fuisse consociatam in distributione gratiarum; Mariam esse christianorum Matrem, ut testatur tota oeconomia catholica et traditio, constanter Mariam cum Eva conferendo. Proinde, tum sacerdotes, tum etiam laici nostrae dioecesis definitionem huiusce veritatis exoptant, hac spe fulti talem definitionem confidentiae necnon amori erga B. M. V. valde profuturam esse.

B) *In re disciplinari*

Plura sunt de instauratione *diaconatus* ultimis annis scripta, et videtur huic quaestioni in dicto Concilio studendum esse. Mea ex parte, existimo hanc instaurationem immaturam esse in illis praesertim regio-

nibus ubi sacerdotum numerus ministerii necessitatibus sufficere potest. His in locis problema de cleri peraequatione imprimis urgeret. Dum in regionibus missionum ac in dioecesibus quae subsidiorum angustia premuntur, diaconi mirabilis utilitatis fructus praebere possent.

De *lege abstinentiae et ieiunii* tempore Quadragesimae. Constat hanc legem (can. 1252, § 3) minus minusque observari ratione debilitatis physicae fidelium ac climatis potius frigidi. Non parum momenti hic rerum status addidit ad minuendam aestimationem circa vim obligatoriam legis. Reductio ieiunii ad duos tantum dies in hebdomada redderet legem ieiunii efficaciorem apud maiorem partem fidelium.

Dum Purpuram Romanam osculor, Eminentiae Tuae Reverendissimae me profiteor addictissimum famulum in Christo,

✠ CAROLUS E. PARENT
Archiepiscopus S. Germani

29

EXC.MI P. D. MAURICII BAUDOUX
Archiepiscopi Sancti Bonifacii (Saint Boniface)

A) PRINCIPIUM GENERALE

Ut cura unitatis essentialis i. e. ultra temporum ac locorum contingentias ad exemplar multiformis unitatis quae in Deo et in creatione apparet, in omnibus Concilii operibus propositum praecipuum ac finis conatuum sit.

B) DE SUBIECTORUM TRACTANDORUM ORDINE

I. De doctrina; II De disciplina ecclesiastica; III De liturgia pastorali.

C) SUBIECTA CONSIDERANDA

I. *De doctrina*

Articuli clarificandi et reaffirmandi secundum finem in Concilio exsequendum.

1. Ecclesia est Corpus vivens, medium divinitus constitutum extra quod homines non possunt perficere sui progressionem supernaturalem

immo ac naturalem. Hoc contra eos qui tenent factum pertinendi ad Ecclesiam:

a) exigere sacrificium ac limitationem personae incrementi praesertim quoad scientiam, artes, ac evolutionem socialem;

b) non importare influxum in totam vitam sed tantum in aliquibus actibus aut aliquibus modis actuum.

2. Emineat praesertim aspectus vitalis potius quam aspectus iuridicus in muneribus ecclesialibus praecipue in duobus capitibus sequentibus:

a) potestas paterna episcopi ac adiutorum eius quae ponit conditiones ad prosecutionem boni communis supernaturalis;

b) laicorum responsabilitas quoad opera apostolica ac munera tam administrativa quam oeconomica quae exigitur a bono communi Ecclesiae.

3. Compleantur constitutiones « De Ecclesia Christi » ac « De Fide Catholica » ad manifestandum munus magisterii ordinarii Ecclesiae quoad quaestiones suscitatas causa evolutionis constantis institutionum humanarum, praecipue perviae faciantur in vita quotidiana Ecclesiae fontes doctrinae:

a) per suppressionem cuiuscumque impedimenti quoad communicationem liturgicam textuum Scripturae ac Traditionis ad eruditionem constantem fidelium secundum rythmum vitae cultualis;

b) per renovationem regularum quoad interpretationem ac professionem Scripturae Sacrae;

c) per diffusionem celerem, latam atque efficacem mentis Ecclesiae quoad recentes inventiones atque interpretationes in re scripturali;

d) per recensionem constantem mentis Ecclesiae quoad libertatem virorum doctorum in scientiis naturalibus atque historia.

4. Formula professionis fidei atque iuramentum antimodernisticum simplici sermone emendetur ita ut melius interpretetur atque corde accipietur.

5. Sine remissione continuantur conatus ut vitalitas Ecclesiae fontem sumat in convictu clericorum et fidelium cum Sacris Scripturis et Liturgia.

6. Suadeantur theologi ut Ecclesiam ostendant in sermone minus scholastico et apologetico, id est, in sermone quo potius explicentur divitiae positivae revelationis atque traditionis quam argumenta contra errores temporis pristini ac praesentis.

7. Cum magna subtilitate determinentur, ex una parte, gradus quibus incorporantur Christo omnes eius fratres secundum carnem atque societas quae per hoc instituitur inter eos et Ecclesiam visibilem Christi;

ex altera parte, bona quae fluunt pro omnibus ex participatione vitae totali vel plenariae Ecclesiae quae est Corpus mysticum Christi.

8. In eo quod attinet specifice ad communitates christianas separatas:

a) praeponentur articuli quibus congruunt cum Ecclesia;

b) reiteretur expressio summae reverentiae quam fovet Ecclesia erga vires christianas atque manifestationes vitae ecclesialis quae apud eas existunt;

c) explicetur comprehensio Ecclesiae quoad quaestiones concretas reditus illarum communitatum;

d) manifestetur voluntas Ecclesiae quam maxime expediendi accessum omnium in ovile Petri.

9. Quoad conditiones positas pro reditu fratrum separatorum determinetur:

a) hoc solum regulam esse quod est essentiale, v. g., primatus Petri, successio apostolica, validitas ordinationum;

b) definitive ut accessorium considerandum esse id quod est tale, v. g., ritus proprius cum sermone particulari, coelibatus sacerdotum;

c) Retineri fas esse apud illos christianos qui his utuntur ea quae in decursu saeculorum admissa sunt in Ecclesia ut materia vel forma valida sacramentorum v. g. baptisma per aspersionem.

10. Conetur Ecclesia formulare firmam ac certam mentem suam quoad constantem augmentum populationis atque quoad limitationem prolis secundum conditiones praesentes scientiarum medicalium ac socialium et oeconomicarum; atque, ad demonstrandam Ecclesiae invariabilem doctrinam in his articuli consentaneam esse naturali legi atque protegere iura, quae ex ea lege defluunt in bonum hominum quoad finem terrestrem simul ac quoad vocationem supernaturalem.

11. Definitio contritionis a Concilio Tridentino data, per verba « cum intentione illud reparandi » magis completa fiat.

II. *De disciplina ecclesiastica*

A) *Orientatio*:

In reformatione disciplinae ecclesiasticae, Concilium zelo constanter dirigatur uberioris ex legibus proventus ad efficaciorem et expeditiorem apostolatum tum apud catholicos quum apud acatholicos.

B) *Principium generale*:

Sit occasio Concilium codificationis funditus renovatae, excludentis nempe omnes leges ecclesiasticas quae non communiter per totam Ecclesiam latinam in usu veniunt vel quarum observantia practice ob

numerosa obtenta indulta deficit, et incorporantis leges novas Ecclesiae expansionis positive in plano verticali et horizontali promovendae destinatas.

C) *In specie suggeritur*:

I. Ad Librum primum *C.I.C.*

12. Fiat promulgatio legum et decisionum S. Sedis consideratione habita mediorum modernorum communicationum, tempore opportuno, servato ordine hierarchico et amoto omni erroris periculo. Ad hunc effectum possint Episcopi de hisce certiores reddi tempore ad eorum exsecutionem curandam sufficienti et antequam officia « agences de nouvelles » dicta, his, cum periculo communi eorum sensus authentici deformandi, potita fuerint. Hoc fieri posset servitio confidentiali S. S. ad suos in omnibus nationibus repraesentantes et de iisdem ad Ordinarios. (Tit. I).

13. Studeat S. Sedes favere calendarii universali adoptioni, secundum quod die dominica inciperent et annum ipsum et mensis quisque vel semestre, et in quo non amplius haberetur nunc vigens mobilitas aliquorum festorum: hoc optandum est ut melius coordinentur ad invicem vita religiosa et vita civilis necnon ut radicitus et facilius simplificentur missale et breviarium et ut in die dominica permanenter constituentur dies festi de praecepto non universaliter feriati. (Tit. III).

14. Revocentur nec interum in futurum concedantur indulta quae disciplinam enervant et renovationi pastorali nocent. (Tit. IV).

II. Ad Librum secundum *C. I. C.*

15. Diversitas legum ex rituum diversitate fluentium legi supremae salutis animarum cedat, quoties id, iudicio Episcopi, exigant conditiones particulares locorum et personarum (can. 98).

16. Ut sacerdotibus auxiliares numerosiores et ad hoc idoneos dare possit, Episcopo facultas sit utendi clericis ordinis inferioris ad mundum legitime reversis, atque promovendi ad tonsuram, ordines minores et diaconatum viros propositum accedendi ad sacerdotium non habentes (cann. 108, 3; 132, 2; 136, 3; 973, 1).

17. Afferant omnes dioeceses mundi, pro ratione redituum, contributionem pecuniariam omnibus necessitatibus Curiae Romanae ita ut diversa eiusdem organa modernizari et constanter meliorari possint ad efficaciam maximam obtinendam, et ut Acta et Rescripta S. S. possint gratis concedi omnibus, sicut nunc fit pro Vicariatibus Apostolicis (cann. 242, 264).

18. Novas admittant instantias S. R. Congregationes in rebus quae, prius propositae, negativam solutionem obtinuerunt (cann. 242-245).

19. Non amplius alligetur receptioni pallii exercitium a metropolita iurisdictionis et ordinis episcopalis, et fas sit pallium ferre in omni missa pontificali intra limites provinciae ecclesiasticae celebrata (cann. 276-277).

20. In omnibus nationibus Concilium nationale vigesimo quinto quoque anno celebrandum sit, nisi a S. Sede specialiter dispensatum fuerit, ita ut in unaquaque natione secura fiat legum uniformitas et adaptatio sicut optatur (cann. 281-282).

21. Explicitiori gaudeat relate ad omnes religiosos et religiosas suae dioecesis iurisdictione Episcopus, ut efficacius obtineatur animarum cura per meliorem coordinationem virium et per maiorem unitatem omnium qui vocatione servitio Ecclesiae consecrantur (can. 35, Pius XII, *Ad status perfectionis,* 8-XII-1950).

22. Latior pateat Episcopis potestas in interpretandis legibus ecclesiasticis et in consuetudinibus sanciendis, praesertim quod attinet ad liturgiam et res pastorales (can. 336, 25-30).

23. Ius habeant Episcopi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum et religiosarum audiendi (can. 349).

24. In redactione nova Codicis, sub uno eodemque Capite (IV) adunentur omnes aliae personae et « corpora » quae Episcopum adiuvant in dioecesis regimine et administratione, scilicet: vicarii foranei, censores librorum, consilium administrationis, consilium vigilantiae, commissio de musica sacra ... (cann. 363, 423, 445, 1520, 1393).

25. Exoneretur Codex capite de canonicis, cum hoc caput non amplius referat legem communiter in Ecclesia vigentem et cum complurima capitula canonicorum legibus specialibus fruantur (can. 391 et ss.).

26. Fiat regula amovibilitas paroeciarum, exceptio autem inamovibilitas, contrarie ad ius nunc vigens (can. 454, 3).

27. Cesset iam obligatio, nunc practice inoperans, audiendi parochorum pro nominatione vicarii cooperatoris (can. 476, 3).

28. Codificetur legislatio de institutis saecularibus.

29. In codice definiantur iura et officia propria laicorum in Ecclesia, in dominiis spiritualibus, apostolicis et temporalibus (can. 682).

30. In codice inserantur quae pertinent ad associationes Actionis Catholicae et apostolatus laicorum, quod ed earum naturam, iura et officia.

III. Ad Librum tertium *C.I.C.*

31. Codificentur regulae, a S. Sede in multis et iam antiquis documentis datae, ad iudicandum de validitate baptismorum apud christianos separatos collatorum et ad determinandum num et quando debeat et possit sub conditione reiterari baptismum sic collatum.

32. Possint sacerdotes, ne cui desit ante mortem confirmatio, hoc sacramentum valide et licite in periculo mortis conferre quin prius recurrendum sit ad ministrum ordinarium vel extraordinarium ad normam Const. « Spiritus Sancti munera » (can. 782).

33. Facultas sit Episcopo cum suis sacerdotibus concelebrare in aliis circumstantiis praeterquam in ordinatione sacerdotum, v. g. in Missa Chrismatis, durantibus exercitiis spiritualibus et congressibus (can. 803).

34. Permittatur celebratio missae qualibet hora diei vel noctis ad commodum fidelium vel ipsius celebrantis, specialiter quando ipse aliter nullo modo Missam litare posset (can. 821).

35. Possit Ordinarius ipse usum altaris portatilis permittere (can. 822).

36. Ad fovendam liberam et frequentem receptionem sacramenti poenitentiae habeat omnis sacerdos in sua dioecesi ad confessiones approbatus potestatem valide et licite confessionem audiendi cuiuslibet personae se ad hunc effectum adeuntis et hoc quidem faciendi in viis ferreis, in navibus, in autobus et in aeroplanis (cann. 873, 908).

37. Ne ullum spirituale damnum proveniat poenitenti bona fide apud sacerdotem iurisdictione privatum confessionem facienti, sit absolutio data semper valida, etiamsi illicita ex parte sacerdotis maneat.

38. De novo redigatur can. 940 circa administrationem et reiterationem Extremae-Unctionis, ratione habita eorum quae nuper in scientia medicali nota venerunt et regulis datis praecisis huic scientiae convenientibus.

39. Praecepto de Sacro audiendo satisfiat quocumque loco Missa audiatur (can. 1249).

40. Ad formam simpliciorem et pro toto orbe eamdem redigatur disciplina ieiunii et abstinentiae, abrogatis vel ad universam ecclesiam extensis privilegiis nunc particularibus (can. 1250).

41. Sancta Sedes inter monitiones suas num agitur de maioribus aut de minoribus seminariis distinguet.

42. In revisionem veniat Index librorum prohibitorum, et commissio de libris prohibendis apud S. Officium praecipuam det operam ut fideles de libris nuper editis et de eorum utilitate vel nocumento opportune instruat (can. 1396).

43. Fiat in luce errorum recentiorum revisio et abbreviatio formularum a S. Sede praescriptarum pro professione fidei et iuramento antimodernistico ut de eis obtineatur melior intelligentia et adhaesio vere interna (can. 1406, vide etiam 4).

44. Instituantur fideles ad tribuendum, pro rata parte redituum, necessitatibus materialibus Ecclesiae, sive localis, sive dioecesanae, sive

universalis, ratione habita exigentiae internae qua tenetur Ecclesia sese semper expandendi et indigentiae qua laborabant aliqui populi et nationes in bonis temporalibus minus aliis locupletata (can. 1502).

45. Instruentur fideles ut auxilium ferant et gradatim plenam responsabilitatem assumant in administratione bonorum ecclesiasticorum (can. 1521).

46. Omnes cessent consuetudines quae munera ab Ecclesia fidelibus praestita videntur considerationibus pecuniariis subordinare (cann. 736, 1056, 1234-1237, 1507).

IV. Ad Librum quartum *C.I.C.*

47. In hoc Libro sola conserventur principia generalia et fundamentalia de iure gentium et de potestate Ecclesiae iudiciaria, remissis regulis processualibus ad librum ad hoc, sicut fit pro regulis liturgicis ad normam canonis 2. (cann. 1955-2194).

V. Ad Librum quintum *C.I.C.*

48. Simplificetur hic Liber reductione diversitatis in poenis, ita ut istae melius et communius cognoscantur et finem suum efficacius obtineant. (cann. 2195-2414).

III. *De liturgia pastorali*

49. Quoad Baptismum:

a) ad ritum aggregationis Ecclesiae magis significativum reddendum, facultas baptismum adultis per partes conferendi concedatur;

b) textus caeremoniae mutetur, nam a nemine intelligitur nonbaptizatum a diabolo possessum esse.

50. Relate ad Confirmationem determinetur num in Ecclesia Latina, unica impositio dexterae, manus cum physico contactu et unctione sacrae Chrismatis simul, materiam validam sacramenti constituat.

51. Quoad distributionem Sanctae Communionis:

a) actualis formula quae hodie propter plurimas communiones, difficillime, digne et intellegibili modo recitatur, nisi distributio valde longior fit, brevior sit;

b) actuali formulae communionis substituatur sive haec formula « Corpus Christi custodiat te in vitam aeternam. Amen. » sive haec antiqua et simplicissima formula « Corpus Christi. Amen ».

52. Relate ad sacramentum Poenitentiae, preces formulae absolutoriae adiunctae in lingua fidelibus conveniente recitentur.

53. Quoad Extremam-Unctionem:

a) preces diversae sint secundum quod utuntur pro morbo qui praesumitur sanabilis, aut pro moribundo cuius mors certa est, aut pro

persona quae perdidit usum rationis v. g. « plenamque ... sanitatem misericorditer redde ut ... ad pristina reparetur officia », « cura languores istius infirmi », « ut famulum tuum ab aegritudine liberatum et sanitate donatum »;

b) omnes preces in lingua fidelibus conveniente recitandae sint;

c) formula brevis Benedictionis Apostolicae « in articulo mortis » quando post collationem Sacramenti confertur, semper adhiberi possit;

d) formula Benedictionis Apostolicae sive sub forma brevi sive longa, in lingua fidelibus conveniente semper conferri possit.

54. Relate ad collationem Tonsurae et Ordinum:

a) coerimoniarum structura revideatur ita ut:

1) decedat superabundantia orationum, monitionum et rituum saepe collectorum ex diversis libris sacramentorum, quando simpliciter sese apponunt,

2) interlucantur partes relate ad usus et potestates non amplius existentes,

3) detur facultas omittendi quasdam orationes etc. ... quando tonsurae et plurium ordinum collatio in eadem Missa habentur;

b) concedatur facultas monitiones et orationes dicendi in lingua conveniente fidelibus coerimoniae participantibus.

55. Relate ad celebrationem liturgicam matrimonii, ubi particulares consuetudines aptae ad « revalorizandum » apud fideles sacramentum non existunt, aliquae alibi acceptae convenientes fini intentae, ab ordinario loci introduci possint.

56. Quoad celebrationem Missae:

a) ad fideles constanter docendos et praeparandos ut Liturgiae active participent, et etiam ad illuminandos acatholicos qui Missae adsunt, magis viva Liturgia Verbi in prima parte Missae (Cathecumenorum) reddatur; ad id ipsum:

1) ut in Liturgia Verbi usus exclusivus fidelium linguae permittatur,

2) in Missa lecta, ab initio usque ad Credo,

3) in Missa in cantu, pro orationibus et pericopis i. e. lectionibus quando adsunt et epistola,

4) ut Celebrans in Lectionario probato a Sede Apostolica, textus magis diversos et aptatos eligere possit;

b) permissum sit pronuntiare clara voce:

1) verba consecrationis a « Qui pridie » usque ad « Haec quotiescumque ... » inclusive,

2) conclusionem canonis « Per Ipsum ... »;

c) conclusio « Per omnia ... Amen » ligata sit cum « Per Ipsum ... » et sic recitata ante genuflexionem;

d) ad parvam elevationem revalorizandam, Calix et Hostia magis eleventur ut a fidelibus possint videri.

57. Ad fovendum ab omnibus fidelibus participationi activae facultas detur eligendi cantus magis convenientes mentalitati modernae quam cantus gregorianus cuius usus, ut cantus popularis, semper valde difficilis videtur, — etiam in tonis facillimis, — et hoc in pluribus locis, dummodo tamen illi cantus secundum praescriptiones Sedis Apostolicae approbati sint.

58. Loco Vesperarum aliud officium liturgicum in lingua fidelibus conveniente permittatur, quia Vesperae sicut ab experientia universali demonstratur, clericis et fidelibus non placent.

59. Acceleretur Breviarii reformatio quae vitae interiori foveret et intelligentiam in ordine ad praedicationem quotidie nutriret, speciatim:

a) a nova redactione textuum iam existentium et ab electione aliorum textuum magis diversorum et adaptatorum (cf. mea desiderata ad S. C. R. 28-5-57);

b) a facultate legendi lectiones a sacerdote in lingua familiari.

60. Relate ad Rituale, pro omnibus benedictionibus et processionibus, usus linguae fidelibus convenientis adhibendum sit ubique terrarum.

61. Aliqui ritus ut consecratio ecclesiarum valde abbrevientur et alii ad melius congruendum mentalitati modernae populorum maxime modificentur, speciatim quando, ut tales sunt, bene intelligi ab omnibus catholicis non possunt, a catholicis recenter evangelizatis in malam partem accipiuntur et acatholicos offendunt.

62. Praeparetur et promulgetur Directorium Liturgiae Pastoralis relate ad principia essentialia et ubique observanda pro Ecclesia Universali, unaquaque dioecesi conservanti ius proprio directorio suo utendi secundum principia in Directorio universali statuta, relate ad regulas ordinis secundarii et particularis.

63. Mysterium Christi docentis in actu praedicationis, valor obiectivus istius mysterii quoad fidelium sanctificationem et gradum suum efficacitatis in comparatione cum sacramentis studeatur, et hoc ut momentum praedicationis sicut pastoralis functionis ad gradum sacralem sublevetur.

✠ MAURICIUS BAUDOUX
Archiepiscopus Sancti Bonifacii

30

Exc.mi P. D. THOMAE I. McCARTHY

Episcopi Sanctae Catharinae in Ontario (Saint Catharines)

Die 20 iulii 1959

Eminentissime Domine,

Litteris (Prot. N. 1 C/59-1144) receptis, votis Summi Augustique Pontificis annuere cupiens quae sequuntur humillime expono.

Inter difficultates quae hodie curam pastoralem aggravant non minoris sane momenti exstat quaestio de die dominicae sanctificatione quantum respicit operum servilium prohibitionem.

Etsi canon 1248 *C.I.C.* praecipit ut « festis de praecepto diebus... abstinendum (sit) ab operibus *servilibus* », quid sit *opus servile* lex Ecclesiae authentice non definit; unde recurrendum est ad consuetudinem et consensum auctorum.

Consuetudo in hac re, saltem post ultimum bellum, confusa et indifferens late per Americam Septemtrionalem evenit ita ut multi, etiam inter catholicos bonos, parum de ea curent; neque operibus quae qualicumque ratione servilia dici debent levi de causa incumbere dubitent non pauci, saltem si sine remuneratione fiunt.

Sed quantum ad opera quae minore urgentia inter servilia censenda sunt consensus auctorum parum valet, cum talis consensus quidem inter peritos difficile invenitur. Si concordant servilia dici debere opera quae ad commoda corporis ordinentur, corporali labore potissimum exerceantur et antiquitus a servis fieri solerent, qualia sint opera in concreto disputant.

Alii auctores asseverant opera servilia diiudicanda esse tantum ex fine operis minime autem ex fine operantis, neque opus desinere esse servile si fiat recreationis causa, vel sine remuneratione, vel ex sancto fine, vel per breve tempus. Alii vero, ut nobis apparet, prudentius affirmant motivum et circumstantias opus per se forsan servile in liberum convertere videri. Cultura horti, exempli gratia, si fit ab hortulano qui inde suam sustentationem quotidianam et lucrum quaerit est opus servile, impediens cultum Dei; si vero operarius per totam hebdomadam in fabrica vel fodinis occupatus die dominico post Missam in parvo hortulo laborat, ut in sole et aëre puro vires restauret, potius cessat a labore et se recreat otio quod cultum Dei et familiae et animae minime impedit.

Difficile etiam videtur qua ratione a quibusdam statuatur mulierem

acu *pingentem* praeceptum non violare, sed eamdem mulierem acu *texentem* operi servili incumbere.

Ratio, ni fallor, quae adhuc inter moralistas descriptionem operis uti servilis aut liberi regit omnino obsoleta habenda est sicut et status a quibus nomina sumuntur. Pro bono religionis saluteque animarum sperandum est fore ut nomenclatura et ipsa ratio temporibus istis magis accommodatae inveniri possint, et multa quae modo casuistico ab auctoribus tractentur a libris in posterum eliminentur.

Sacram purpuram reverenter deosculans, ea, qua par est, devotione et observantia permaneo

Eminentiae Vestrae in Domino
addictissimus

✠ THOMAS I. McCARTHY
Episcopus Sanctae Catharinae in Ontario

31

EXC.MI P. D. MICHAËLIS O'REILLY
Episcopi S. Georgii Terrae Novae (Saint George's)

Newfoundlan, April 10, 1960

Your Eminence,

I have the honour to enclos suggestions which may be of interest in the coming Oecumenical Council.

With best wishes,

I am, Your Eminences,
Yours devotedly in Christ

✠ MICHAEL O'REILLY
Bishop of St. George's

1. Breviarium Romanum in lingua vernacula recitare permittatur et insuper aptum ad rationem communemque vitae sacerdotis saecularis fiat.

Hoc est valde utile quia sacerdos ipse magis versatus tum in verbis Sacrae Scripturae in lingua vernacula tum in scientia vitae sanctorum; praeterea fit valde aptus ad instruendum fideles per sermones et per instructiones.

2. *a*) Breviarium Romanum in singulis diebus contractum sit pro sacerdotibus saecularibus.

b) Praesertim in die Sabbati et in die Dominica etiam in festis maioribus e. g. in Nativitate Domini.

Pastores et sacerdotes curam animarum habentes occupati sunt in audiendis confessionibus fidelium etiam in negotiis multis quae necessaria sunt ad opus paroeciale praesertim die Sabbati et die Dominica.

c) Breviarium comprehedat preces matutinas, praeparationem pro S. Missa, gratiarum actionem post S. Missam, « Angelus Domini », etc. cum quibusdam horis contractis ex Breviario Romano hoc ipso tempore in usum, et etiam preces vespertinas.

Sic Breviarium Romanum esset magis accommodatum ad vitam sacerdotis saecularis. Pro Religiosis et omnibus qui in choro officium divinum recitare debent nulla mutatio necessaria est.

3. Nulla mutatio in ritu S. Missae; etiam in lingua latina celebretur sicut fit.

Praeter id quod in Missa sollemni cum cantu vide infra numero 11.

4. Missa Vespertina pro norma undique permittatur.

Missae vespertinae sunt admodum valde utiles ad vitam spiritualem inter fideles fovendam.

5. Auctoritas Ordinariorum in propriis dioecesibus distincte illustretur praesertim circa relationes cum Religiosis.

Sic dissentiones vitabuntur quando necessarium est negotiationem habere cum Religiosis.

6. Disciplina abstinentiae et ieiunii servetur sicut viget.

Haec lex valde apta est, praeterea acceptissima et ab omnibus fidelibus sustinetur.

Ob horas diversas pro operariis in multis civitatibus et regionibus valde difficilia fiunt abstinentia et ieiunium pro omnibus.

7. Fervor pro missionibus inter fideles maxime foveatur.

8. Maximae utilitatis erunt « Radio » et « Televisio » pro propagatione fidei; ratio tamen et forma institutionis per hoc medium statuantur.

9. In omnibus Missis si sollemniter celebrantur scilicet cum Sacris Ministris, ea omnia, quae Diaconus vel Subdiaconus aut Lector vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omittantur.

Nam hodie per totam Hebdomadam Sanctam in Missa si sollemniter celebratur scilicet cum sacris ministris, ea omnia quae Diaconus vel Subdiaconus aut Lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a Celebrante omittantur.

10. Omnes Ordinarii habeant privilegium reservandi Sanctissimum Sacramentum in oratorio propriae habitationis.

Interdum domus Episcopalis a cathedrale remota est ita ut quando

coelum est turbidum visitare Sanctissimum Sacramentum sit valde difficile et etiam fere impossibile.

11. Vestitus clericalis, aliqua ex parte, fingitur ad distinctionem obtinendam a vestibus ministrorum haereticorum in locis ubi vestis talaris consuetudine non adhibetur a sacerdotibus catholicis.

12. Territoria ecclesiastica cum finibus provinciae civilis congruere debent: p. ex.: pars Labradorensis quae est sub civile regimen Terrae Novae sub eadem ecclesiastica territoria esse debet.

Confusio emergit circa scholae administrationem quia scholae sub cura ecclesiastica sedem ac domicilium habentes in Terra Nova per legem provinciae sunt constitutae. In hoc casu fit res periculosa institutis praestantibus per legem civilem constitutis.

Remedium: Constituere Regionem Labradorensem quae est pars provinciae Terrae Novae dioecesem Provinciae Ecclesiasticae Terrae Novae.

✠ Michaël O'Reilly
Episcopus S. Georgii Terrae Novae

32

Exc.mi P. D. ARTURI DOUVILLE
Episcopi S. Hyacinthi (Saint-Hyacinthe)

Sancti Hyacinthi, die 1 septembris 1959

Reverendissime ac Eminentissime Domine,

Tuae Reverentiae ac Eminentiae pro litteris mense iulii elapso receptis gratias ago.

In primis, Tuae Reverentiae pro Sancti Patris fiduciae signo congratulor nominando Tuam Eminentiam, caput Commissionis Antepraeparatoriae futuri Concilii Oecumenici.

Summi Pontificis desiderium, sub instantia Tua, circa argumenta discussioni futuri Concilii proponenda humiliter et filialiter adimpleo.

Prudentiae causa, duorum sacerdotum prudentium et competentium consilia recepi.

Amplitudini Tuae vota necnon desideria ad doctrinam disciplinamque relativa a Servo Tuo recipere placeat:

1. Vita spiritualis, ut dicunt auctores approbati, est « Apostolatus anima ». Atqui vita sacerdotalis secumfert difficultates in ministerio accommodando cum vita interiore seu meditatione, Missa et aliis piis

exercitiis. Hoc puncto supremae importantiae admisso debemus nunc quomodo integrari potest vita interior sacerdotum, praesertim in ministerio sacro dedicatorum considerare.

2. Actionem Catholicam infra limites vitae pastoralis seu sacerdotalis *integrare* oportet. Nam si, in theoria, sacerdotes saltem habent de Actione Catholica notionem satis exactam, in praxi, hodie saepe saepius hanc notionem parvi aestimant.

Attamen, Summus Pontifex Ioannes XXIII nonne recenter dabat conclusionem in allocutione dirigentibus nationalibus Actionis Catholicae Italicae: « surmontant les difficultés, du reste inévitables, qui se dressent parfois sur son chemin, l'Action Catholique avance dans la ferveur d'une charité qui vainc les obstacles, tournant son attention vers *ce qui unit* plutôt que vers ce qui divise, et soucieuse de mettre en lumière les éléments *positifs* plutôt que les aspects négatifs ».

Sacerdos enim baptizati characterem et obligationes nimis facile obliviscitur: stabilire regnum Dei et Corpus Mysticum Christi crescere satagere, haec est finis et obligatio omnis baptizati, praesertim sacerdotis.

Officium ergo sacerdotis est seipsum et populum suum sanctificare.

Officium laici catholici situari in hoc puncto videtur: sanctificatio (passiva et activa); et haec potestas sanctificationis a laico sacerdoti participatur, et sic sacerdos exemplum vitae apostolicae laicis offert.

Actio Catholica, consequenter, considerari non debet ut aliquid additum seu accessorium; sed sacerdotes talentis et facultatibus a laicis allatis uti debent, non contenti bono ministerio antiquo sed Spiritu Sancto renovato mediante Actione Catholica.

Pius XI olim dicebat: « Le sort de l'Action Catholique est entre les mains du clergé », et sortem Actionis Catholicae a mente sacerdotali seu apostolica in primis dependere, addere possumus.

Officium ergo apostoli laici est collaborare cum Ecclesia visibili ad salutem procurandam redemptionis nostrae; et haec obligatio laico facta, a sacerdote facilior reddenda est. E contrario, attentionem nimis magnam dare organisationibus materialibus verae functioni apostolicae opponitur. Nam functio essentialis apostoli laici est vita christiana; in primis debet aestimari potentia regni Dei, non per numerum baptizatorum sed per animas christianas zelumque apostolicum fidelium. Ergo, primam importantiam dare debet sacerdos formationi mentalitatis christianae, quae nequit existere sine fidelium spirituali formatione.

Actionis temporalis cura etiam esse debet in laico apostolatu, et haec actio ad haec reduci potest: obstacula removere ab Evangelio Christi accipiendo, et verbum Dei audire et facere.

Fideles inveniuntur ergo in primis lineis vitae Ecclesiae et pro ipsis Ecclesia est principium vitale societatis humanae. Conscientiam semper habere debent non tantum eos ipsos « esse in Ecclesia, sed esse Ecclesia » (Pius XII).

3. Aliquae praecisiones de habitu ecclesiastico domi vel in itinere ferendo suggerere licet. Habitum ecclesiasticum regulariter conservare oportet et vestis talaris forsitan posset reservari pro ecclesia et domo sacerdotis.

Aliunde, mihi placeret habitus et ornamenta pontificalia leviora et magis simplicia fieri.

4. Zelus pro missionibus exteris et pro cultura vocationum sacerdotalium crescere debet; hic zelus magis ac magis ad finem conversionis non catholicorum et ad catholicorum nimis tepidorum perfectionem orientari debet.

Experientia novae missionis in regione Brasiliensi a sacerdotibus dioecesis Sancti Hyacinthi facta gaudium magnum Nobis affert; forsitan hoc exemplum aliis proponere utile esset ad actionem missionariam zelo sacerdotum dioecesi addictorum componendam.

5. Spiritus independentiae in aliquibus membris cleri, specialiter apud iuvenes, reprobari debet. Apud eos non fit externa resistentia sed in mente et in voluntate invenitur; atque rspectus erga auctoritatem, sive ecclesiasticam sive civilem, apud nostros sacerdotes augeri debet.

6. De editione novi Breviarii, ut citius fiat, pro bono et disciplina omnis cleri, desiderium manifesto.

7. Lingua latina conservari debet in Missa, saltem durantibus secretis, aliis verbis, quando populus occasionem celebranti aliquo modo respondendi occasionem non habet.

8. Tandem quaestio oriri potest circa *renovationem Diaconatus* pro laicis? Nobis videtur ista expressio esse aequivoca et inutilis si non periculosa. Est aequivoca, hoc patet, quia laicus non potest esse diaconus sine praeviis ordinibus et tonsura; ista distinctio seu locutio est nutilis quia in membris Actionis Catholicae aequivalens res habetur; ista locutio est periculosa quia distinctio inter laicum et clericum semper manere debet, iuxta canonem 948.

Interim, quo par est obsequio, me profiteor

Amplitudinis Tuae Rev.mae ac Em.mae
Addictissimum servum

✠ Arturus Douville
Episcopus Sancti Hyacinthi

33

EXC.MI P. D. GERARDI M. CODERRE

Episcopi S. Ioannis Quebecensis (Saint-Jean de Québec)

Le 11 février 1960

Eminence Révérendissime,

Voici selon votre demande du 18 juin 1959, les points doctrinaux, disciplinaires et pastoraux que nous voulons soumettre à votre commission préparatoire au Concile Oecuménique. Nous avons préparé ce document aussitôt que faire se pouvait, bien que nous regrettions n'avoir pas pu le compléter pour le mois de septembre.

Avec l'assurance de notre entier dévouement à Notre Mère la Sainte Eglise et au Très Saint Père, agréez, Eminence Révérendissime, l'expression de nos sentiments de filiale soumission.

En Jésus et Marie Immaculée,
✠ GÉRARD-MARIE CODERRE
Evêque de Saint-Jean-de-Québec

I. PUNCTA DOCTRINAE

1. *De Episcopatus sacramentalitate*:

Optemus ut episcopatus sacramentalitas definiatur, atque sub hoc lumine presbyteratus doctrina ad relationes inter episcopos et sacerdotes saeculares vel religiosos clarius exprimendas consideretur.

A) *Rationes doctrinales*:

a) Post S. S. Pii XII constitutionis *Sacramentum Ordinis* promulgationem tres distincti ordines esse videntur diaconatus, presbyteratus episcopatusque de quibus Pius XII materiam formamque « quibus univoce significantur effectus sacramentales — scilicet potestas Ordinis et gratia Spiritus Sancti » determinare voluit.

b) *Codex Iuris Canonici* in canone 108, n. 3 adfirmat: « Ex divina institutione sacra hierarchia *ratione ordinis* constat episcopis, presbyteris et ministris; *ratione iurisdictionis,* pontificatu supremo et episcopatu subordinato: ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere ». Consideratis Iuris Canonici fontibus, adducimur ut credamur hanc legislationem in episcopatus sacramentalitate fundari.

c) Christianae liturgiae, ex antiquitate, episcopalem consecrationem sicut ritum conficientem specialem gratiam Spiritus sancti, i. e. indelibilem spiritualemque unctionem ostendunt. Nobis videtur talem ritum liturgicum operantem « ex opere operato » sacramenti definitioni respondere.

d) Hodie maior theologorum pars, episcopatus sacramentalitatem docet.

B) *Opportunitatis rationes*:

a) Hodie theologia pastoralis communis (« pastorale d'ensemble ») est magis ac magis necessaria. Quae, ab episcopo fieri debet. Episcopatus sacramentalitatis definitio hanc theologiam faciliorem faceret cum primordiale episcopi munus in sua dioecesi et necessitas monitionibus pastoralibus oboediendi, magis appareant.

b) Utriusque cleri coniunctio cum episcopo quae a S. S. Ioanne XXIII rogata est de cura pastorale, ab hoc doctrinali fundamento foveatur.

c) Haec definitio spirituale vinculum firmius inter episcopum et suos sacerdotes faceret cum spiritualis episcopi paternitas erga suos sacerdotes clarius appareat.

d) At vero haec definitio maiorem auctoritatem daret doctrinae theologicae de episcopatu in Maioribus Seminariis; quae disciplina neglegitur certe quasi confusa sit. Haec lacuna sacerdotes religiososque flectit de relationibus erga episcopum et vocationibus cleri saecularis nocet.

2. *De spirituali Mariae maternitate*:

Optemus ut spiritualis Mariae maternitas definiatur.

3. *De Sacramento confirmationis*:

Sacramentum confirmationis est perfectio et consummatio Baptismi: grave esset damnum, si puer, propter defectum ministri, e vita migraret sine Confirmatione, quia per totam aeternitatem minori gloria frueretur in caelis. Nam, ut merito docet S. Thomas, « pueri confirmati decedentes, maiorem gloriam consequuntur ».

« Qua de causa optandum videtur, ut facultas ministrandi sacramentum Confirmationis largius extendatur, ita ut sive pueruli in mortis periculo constituti sive ceteri omnes fideles commode ac tempestive valeant illud suscipere. Eo vel magis quod presbyteri orientales, paucis exceptis, facultate gaudent Confirmationis sacramentum conferendi ».

In mortis periculi casu optandum est ut facultas ministrandi sacramentum Confirmationis omnibus sacerdotibus extendatur.

4. *De laicorum qualitate in Ecclesia*:

Optemus ut legislatio definiens officia et obligationes apostolicas laicorum in Ecclesia in Ius Canonicum inducatur.

Bonum sit definire doctrinam de modo laicorum participationis ad hierarchicum apostolatum.

5. *De Tolerantia*:

Desiderantur normae exactae quoad tolerantiam quae haberi potest in relationibus inter personas diversarum religionum. Principia debent esse bene definita, et Ordinarii locorum facultatem haberent illa applicandi iuxta conditiones uniuscuiusque nationis vel regionis. Specialiter « communicatio in divinis » exacte definiri debet, ut sciatur quid in praxi sit possibile, in multis manifestationibus socialibus cum quodam charactere religioso, v. g. caeremoniae publicae pro militibus defunctis in bello, pro benedictione vel inauguratione aedificiorum publicorum, pro conventibus oecumenicis, etc.

6. *De confessionalitate, neutralitate, non-confessionalitate, mixtione*:

Desideratur accurata definitio istarum quattuor locutionum.

II. Puncta disciplinae

A) *Cleri*

1. « *De cleris ordinatis sub titulo servitii dioecesis* »:

In nostra regione et multis aliis, fere omnes sacerdotes « sub titulo servitii dioecesis » ordinati sunt. Sed Ius Canonicum hunc statum sicut exceptionem generali regulae indicat (can. 981, n. 1). Nonne modificatio necessaria est? Nonne haec modificatio novas determinationes de officiis et obligationibus clericorum erga eorum episcopum imponat cum haec situatio episcopo speciales obligationes erga hos clericos imponat?

2. *De Breviario*:

Nobis videtur, officii diuturnitatis reductionem, particulariter diebus dominicis et festis de praecepto eorumdemque dierum vigiliis, orationis spiritum fovere. Sacerdos oneratus a ministerio, festinanter et oscitanter orat cum fatigatus lassusque sit.

Optemus ut Matutinum numquam habeat plus quam tres psalmos et unicum Nocturnum vel ut recitatio sub gravi sit solummodo pro Matu-

tino, Laudibus Vesperisque ita ut aliae Horae et Completorium sint libera.

Bonum est historicas lectiones secundum historicae criticae modernae disciplinas severe recognosci et aliquas ex Sanctis Libris enarrationes melius eligi. Si haec scripta facilius intelligantur ut non requiratur animi contentio fere continua atque saepe animi vires frangens, pietas foveatur.

Cum poetica specialia vocabula exigat, hymni intellectu difficiles sunt. Nonne opportunum est dividere hymnos a titulis et sub-titulis qui intellectionem et animi intentionem foveant? Tunc sacrorum hymnorum pulchritudo et opportunitas magis aperitur. Scripturis non oneratis, tituli et subtituli possint addi psalmis lectionibusque ut thema principale vel spiritualis favor facilius aperiatur.

Temporale debet faveri cum magis coniungat cum Christo, « Magno Patris Religioso ». Multae partes sanctoralis mutari possunt. In pluribus casibus, ad Laudes, sanctorum memoria sufficit ut nunc fit. Conserventur festi sanctae Virginis, sancti Iosephi, sancti Ioannis Baptistae, sanctorum Apostolorum, sanctorum Romanorum Pontificium et aliquorum maiorum sanctorum vere internationalium sive quoad missionem v. g. I. M. Vianney, sive quoad opera v. g. Carolus Borromaeus, sive quoad familiam v. g. Dominicus. Reservari possint unicuique regioni particulares sancti v. g. Martyres Canadenses.

N. B.: Religiosi aliqui frequenter utuntur aliquibus privilegiis et specialiter per missiones. Sese liberant ab obligatione recitandi maiorem breviarii partem cum clerici saeculares putent a se id recitandum esse et de facto recitent. Nonne hoc privilegium detur omnibus et tunc obligatio imponatur clericis tam regularibus quam saecularibus curam animarum habentibus?

3. *De Tonsura*:

Hodie plerique cleri in multis regionibus tonsuram non gestant. Nonne generalis Ecclesiae legis revisio opportuna est ut horum nationum cleri non considerentur minus ferventes aut diligentes quia eam non gestant?

4. *De Eucharistico ieiunio*:

Optamus ut lex de eucharistico ieiunio sit eadem pro omnibus, laicis vel cleris i.e. tres horas ante communionem. Exceptio allata pro celebrante (tres horas ante missae initium) legis textum et omnes libros qui debent explicationes de ea dare, onerat neque necessaria videtur.

5. *De Missa pontificali*:

« Per totam hebdomadam sanctam, ... in Missa (...), si solemniter celebratur, scilicet cum ministris sacris, ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omittuntur (*A.A.S.*, t. 48 [1955] 844).

Possintne omitti ab episcopo in missa pontificali, ea omnia quae a diacono vel subdiacono cantantur?

6. *De ingressu in aedes cinematographicas, theatra etc.*:

Exceptis aliquibus nationibus, constat clericorum ingressum in aedes cinematographicas, theatra etc., bonae famae, non scandalizare fideles, nostris temporibus. Nonne alia legislatio generalis de his rebus valde utilis est?

7. *De religiosis et Ordinariis locorum*:

Hodie religiosi, etiam exempti, magis magisque requiruntur, ut varia munia ministerii pastoralis impleant. Optemus ut artior cooperatio inter religiosos et Ordinarios loci exigatur.

8. *De Sanctissimae Eucharistiae conservatione in privato Episcoporum oratorio*:

Nuntiis, Internuntiis aut Delegatis Apostolicis facultas asservandae Sanctissimae Eucharistiae in eorum domorum oratorio conceditur. Dare privilegium omnibus episcopis incommodum esse non videtur.

9. *De dispensationibus et indultis*:

Singulis annis, vel singulis tribus annis, multa indulta sine vere peculiari aliqua ratione dioecesi vel regioni, ipso facto renovantur. Debeantne in iure communi introduci hae facultates quae generales vere fiunt?

B) *Populi christiani*

1. *De audienda Missa praeceptum*:

Nostris aetatibus, particulares difficultates catholicis opificibus sunt quod attinet ad audiendae Missae praeceptum.

Nam multi opifices laborant in non-catholicis officinis quarum patroni rationem quietis dominicae non habent. Dividunt opifices in classes hominum qui per quinque dies laborant ita ut opera in effectu sint sine intermissione etiam diebus dominicis et festis de praecepto.

Praeterea ubi fideles Missam non audiunt, celeriter fidem amittunt.

Itaque optemus ut fideles qui satisfacere praecepto audiendae Missae non possint, teneantur obligatione — non tamen sub gravi — Missae audiendae semel in hebdomada sequenti illam dominicam vel festum diem.

2. *De ieiunio et abstinentia*:

Optemus ut lex generalis de ieiunio et abstinentia ita mutetur ut eorum observantia ubique terrarum possibilis sit. Si necesse sit, minus austerae fiant! Nam rationem habere possimus spiritualium compensationum v.g. communionum multo frequentiorum fidelium ex eucharistici ieiunii legis laxamento et missarum vespertinarum adventu.

N. B.: Abstinentiae legis exemptio pro militaribus, in pace et extra castra, offendit fideles et necessaria non videtur. Eadem exemptio pro aliquibus regionibus fidelium conscientias commovet.

3. *De cantu Pater Noster in missa in cantu*:

Optemus ut fideles cum sacerdote insimul cantent Pater Noster in Missa in cantu.

III. Puncta sollicitudinis pastoralis

1. *De opificum classe*:

Cum opificum classis sit maxime « dechristianisata » et a communismo magis alliciatur, optemus ut Concilium elaboret media « rechristianisationis » huius classis.

2. *De subalimentatione*:

Nostris temporibus una ex maioribus quaestionibus est magnae humanitatis partis subalimentatio. Nonne opportunum est Concilium hanc quaestionem considerare et nationibus nempe catholicis officia de huius quaestionis solutione indicare?

3. *De ordinationis diebus*:

Ordinationes in paroeciis vocationibus sacerdotalibus favent; itaque bonum sit organisare specialem diem sacerdotalis vocationis ut fideles a participatione liturgica ad caeremonias ordinationis possint melius intelligere quid sit sacerdos. Sed extra dies statutas a Iure Canonico, satis difficile est Episcopum hoc promovere. Quare optemus ut dies statuti de ea re augeantur. Plurimis religiosis aut missionariis societatibus tribuuntur multa privilegia de hoc.

4. *De Missae celebrationis horis*:

Experimentum de vespertinis Missis fructuosum fuit cum fideles Missae magis intersint et Eucharistiam Sanctam frequentius recipiant.

Ad diversas fidelium exigentias fovendas, optemus ut Episcopus Missae celebrationem quacumque hora diei permittere possit.

5. *De vernaculae linguae usu*:

Optemus ut vernaculae linguae usus permittatur ad benedictionem nuptialem, recitationem psalmi « De profundis », « Dies irae » Missae in cantu pro defunctis, in caeremoniis visitationis paroeciarum et psalmorum litaniarumque recitationem in caeremoniis sequentibus: ordinationibus, Extrema Unctione, ecclesiarum et campanarum consecratione aut benedictione. Ita fideles possint magis intelligere atque ad caeremonias magis participare.

✠ GERARDUS M. CODERRE
Episcopus Sancti Ioannis Quebecensis

34

EXC.MI P. D. AEMILIANI FRENETTE
Episcopi S. Hieronymi Terrebonae (Saint-Jérôme)

Die 9 decembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ad litteras Prot. N. 1 C/59-1153, a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico mihi iam missas, volo, post longam meditationem et heu cum mora ob morbum, respondere per sequentia et humillima vota, quae forsan poterunt prodesse futuri Concilii praeparationi:

1. Asserere denuo, saltem quoad essentialia, doctrinam in Apostolicae Sedis actibus post Vaticanum Concilium expositam, praesertim de *Ecclesia* ut Mystico Corpore Christi, cum magis ac magis necessariis consectariis unitatis et connexus.

2. Exponere principia quae confutant hodiernos ac pessimos errores, ut materialismus, laicismus, et alii etiam de quibus Encyclica *Humani Generis* tractavit.

3. Ostendere relationes inter fideles vitamque christianam et novam humanitatem « scientificam et technicam ».

4. Evolvere principia moralia de statu ac vita *coniugali,* contra tot errores ubique ac assidue sparsos.

5. Tueri iura Ecclesiae, praesertim ad christianam prolis *educationem.*

6. Fovere tam necessarios motus participationis activae fidelium ad Sacram Liturgiam, ad apostolatum laicorum et ad Missiones.

7. Forsan revisere secundum novas conditiones vitae, laboris, peregrinationis ac migrationis, ecclesiasticam disciplinam de ieiunio et abstinentia.

Haec vota humiliter ac reverenter submitto. Potissime rogo Sancti Spiritus assistentiam super Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico et super Eminentiam Tuam Reverendissimam, cuius sum humilis sed fidelis servus in Christo et Ecclesia,

✠ Aemilianus Frenette
Episcopus Sancti Hieronymi Terrebonae

35

Exc.mi P. D. ALFREDI B. LEVERMAN

Episcopi S. Ioannis Canadensis (Saint John, New Brunswick)

Die 21 septembris 1959

Excellentissime ac Reverendissime Domine,

Omnibus perpensis in litteris vestris die 18 iunii 1959 datis ac consiliis secundum eorumdem sensum exquisitis, humiliter exprimo opiniones meas:

1. Textus in celebratione Missae, saltem pro sacerdote celebrante, debet custodiri in lingua latina.

2. Usus linguae vernaculae debet concedi omnibus sacerdotibus in recitatione privata divini officii.

3. Manualia et libri theologiae moralis ac dogmaticae in quod attinet ad partes practicas debent examinari ad explicationes problematum hodiernorum providendas et theologiam Mystici Corporis apertam dandam potiusquam confutationes haeresum desuetarum.

4. Habeantur in Concilio tractationes ac disputationes super rebus sequentibus:

a) privilegio fidei;

b) Alloquiis cum acatholicis, praesertim quod attinet ad coenas et acceptiones invitationum ad fidem exponendam;

c) ieiunio Eucharistico in casibus difficilioribus;

d) confessionibus religiosarum;

e) facultatibus quae a Sede Apostolica concedi solent quando supplicantur, v. g., iure acatholicorum standi in iudicio, facultate instruendi processum super asserta non consummatione dicti matrimonii; ac an possent dari ad episcopos residentiales.

Interim S. Purpuram reverenter deosculor.

✠ ALFREDUS B. LEVERMAN
Episcopus Sancti Ioannis Canadensis

36

EXC.MI P. D. PATRICII I. SKINNER

Archiepiscopi S. Ioannis Terrae Novae (Saint John's New Found Eand)

Die 23 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Receptis litteris tuis, die 18 iunii 1959 datis, circa opiniones, consilia et vota Episcoporum, pro Concilii argumentis apparandis, ego humillime pando Eminentiae Tuae Reverendissimae animadversiones meas sequentes, de rebus et argumentis quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt:

1. Num desiderandum sit ut Sancta Sedes omnino vetet semel pro semper matrimonia mixta inter Catholicos et Acatholicos?

2. Circa Congregationes Religiosas: Utrum ipsae intelligant suam positionem et munus in Dioecesi, et obligationem cooperationis cum Ecclesia? Nonne deberent praeponere bonum Ecclesiae bono suae propriae Congregationis, et magis agnoscere positionem Ordinarii loci?

3. Nonne coadunationes et conferentiae inter Catholicos nimis numerosae et frequentes sunt, cum detrimento vitae spiritualis sacerdotum, religiosorum et fidelium? Nonne magis attendendum est sanctificationi individuali per gratiam et sacramenta?

4. Num imponi deberet omni dioecesi strictior obligatio habendi proprium seminarium maius et minus?

5. Relate ad vocationes sacerdotales: Utrum Religiosi nimis se interponunt in hac re, ad dirigendos iuvenes ad suum proprium Institutum Religiosum?

6. In formatione clericali, omne seminarium deberet primo et ante omnia curare de vita interiori sacerdotis. Relate ad studia ecclesiastica, minor deberet esse conatus « specializandi » in omnibus generibus scien-

tiae, et maior attentio ad solidam formationem in materiis fundamentalibus ut determinatis a Iure Canonico et a regulis Sanctae Sedis.

7. Seminaristis permitti non deberet domum redire nec a seminario abire durante vacatione tempore Nativitatis Domini, sed tantum mensibus aestivis.

8. Omne seminarium maius deberet habere cursum non tantum Sacrae Theologiae, sed etiam Philosophiae.

Interim, omni qua par est reverentia me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum servum in Christo

✠ PATRICIUS I. SKINNER
Archiepiscopus Sancti Ioannis Terrae Novae

37

EXC.MI P. D. PHILIPPI LUSSIER
Episcopi S. Pauli in Alberta (Saint Paul in Alberta)

Eminentissime Domine,

Ingenuo ac alto gaudio gavisi sumus sicut et Ecclesia Universa de Concilii oecumenici proxima convocatione et ea de re peculiares gratias ex imo corde Summo Pontifici agere volumus simul ac peragere ut facultas feret, intendimus quae ad felicem Concilii exitum conducere possint.

Persuasum habemus opportune convocari Concilium. Nam in hac nostra turbida et inquieta aetate quae divitiis nimiis abundat ac superbia intumescit plura perspicimus quae aperte vel Ecclesiae dogmata quaedam, vel disciplinam aut regulas morales ipsius impugnant. Ideo vere putamus hoc Concilium non minus ac Tridentinum opportunum esse et plane speramus fore ut ex eo non minora nec pauciora Ecclesiae ac animabus dimanent beneficia.

En igitur quae humillime ac reverenter proponimus tractanda:

1. Unanimis declaratio a Patribus Concilii detur de natura, necessitate et mediis essentialibus Actionis Catholicae.

2. Unanimis item declaratio exeat de vera natura rei spiritualis, de fontibus ipsius vitalibus praecipuis et de ipsius immutabili suprema necessitudine.

Nam non desunt qui vitam activam praeponunt vitae contemplativae eo saltem sensu quod vita interior non adeo necessaria est ac solebat doceri. Etenim, ut fertur, agendo potius quam orando augetur

gratia divina in anima proindeque actiones quae vel minime ad religionem pertinent aequiparantur actibus ordinis supernaturalis. Ex his vero, et ipsa fides in periculum adducitur.

3. Sacerdotibus clare et nitide declaretur quid de Officio divino sentiendum sit. Nam opinio apud clerum serpit qua obligatio officii minuitur et sat facile ac sine scrupulo aliquis se reputat exemptum.

4. Renovata et quidem valida asseveratio traditae doctrinae de cleri (latini) caelibatu. Fertur enim quod S. Sedes non adeo nec amplius refugit a matrimonio clericorum.

5. Omnes uno animo conentur Patres statuere quid de praeclara castitatis virtute recte sentiendum sit.

Nam tot et tot decertant ut minuatur rigiditas huius virtutis adeo ut regula agendi praecipua possit statui non adesse culpa gravis aut vera deordinatio, nisi plena extra matrimonium requiratur voluptas.

6. Cum recentiora media « diffusionis » speciatim imagines cinematographicae ac telemissae detrimento multo sunt fidelibus ac vel ipsis sacerdotibus. Patres Concilii sedulo rem consulant ut serius remedia adhibeantur.

7. Seduliter inquiratur quomodo quaestiones enodentur, quae ex usu duplici ritus in eodem territorio oriuntur.

E. g. scandalo est ritus latini fidelibus se nosse sub gravi teneri ad Missam, dum graeco-catholici, etsi prope templum latinum habitantes dicuntur non obligari nisi sui ritus adsit sacerdos.

8. Attente disceptet Concilium de muneribus pecuniariis (pourboires) ad gratiam ecclesiasticam obtinendam oblatis et acceptis.

9. Inter ea quae periculo sunt Ecclesiae eminet vitae commoditas (le confort) ex prosperis rebus materialibus fere ubique manans. Earum virtutum quae ad essentiam pertinent vitae christianae, ut sunt simplicitas, paupertas, evangelica abnegatio, cura parva habetur etiam apud cleros et religiosos. Concilii est curare ut frequentes hac in re abusus corrigantur.

10. Cum status futurus Ecclesiae et universae societatis ab educatione sana iuvenum pendeat, maxime interest ut Concilium quaestionem hac de re habeat ac denuo in mentem omnium revocet quae clare ac firmiter docuere Summi Pontifices ac ea temporibus aptet.

Haec omnia, summa cum reverentia et devotione erga Sanctam Sedem, humillime et confidenter submittimus.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ PHILIPPUS LUSSIER, C. SS. R.
Episcopus Sancti Pauli in Alberta

38

Exc.mi P. D. BRUNONIS DESROCHERS

Episcopi S. Annae Pocatierensis (Sainte-Anne-de-la-Pocatière)

Sanctae Annae Pocatierensis, 21 mensis octobris a. 1959

Eminentissime Princeps,

Inspectis litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, in quibus desideria Augusti Pontificis cognoscendi opiniones seu consilia et vota Episcoporum exprimuntur, haec praecipua volumus humillime proponere vota:

A) *De Liturgia*:

1) Ad simpliciorem formam Caeremoniale Episcoporum redigere.
2) Textus definitivus Breviarii Romani mox conficiatur.
3) Recentiores mutationes per Decretum generale S. C. R. die 23 mensis Martii a. 1955 statutae in Missale Romano inserantur.

B) *De Sacramentis*:

1) De confirmatione: Omni sacerdoti facultas concedatur confirmandi fideles, tum pueros tum adultos, qui ex morbo in mortis periculo reperiantur.
2) De Eucharistia: Missa vespertina a iure permittatur omni die in anno, quando habetur ratio boni partis notabilis fidelium; cum facultate generali Ordinariis concessa permittendi in hisce casibus, propter penuriam sacerdotis, Missae iterationem.

C) *De aliis observationibus*:

1) De iurisdictione: iurisdictio ordinaria Ordinariis concessa pro dispensatione peregrinorum.
2) Normam novam statuere circa eleemosynas a religiosis quaerendas ad repellendum abusum quod in hisce temporibus erumpit.

En principales opiniones quas Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico humillime exponere volumus.

Humillimus ac devotissimus servus
Eminentiae Tuae

✠ Bruno Desrochers
Episcopus S. Annae Pocatierensis

39

Exc.mi P. D. FRANCISCI I. KLEIN
Episcopi Saskatoonensis (Saskatoon)

Die 12 septembris 1959

Reverendissime Pater,

Perlaeto animo accepi litteras Vestrae Eminentiae Reverendissimae (Prot. N. 1 C/59-1237), in quibus nomine et auctoritate Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. regnantis consilia et vota futurorum Concilii Patrum explorantur.

In hac modesta parte Ecclesiae, in dioecesi nempe Saskatoonensi, sequentia problemata videntur considerationis digna, quae ad disciplinam actualem Ecclesiae pertinent et ansam dant non semel confusioni, difficultati et odio in cura pastorali animarum.

1. Iuxta disciplinam ecclesiasticam nunc vigentem in casu matrimonii mixti ritus, celebratio fit in ritu viri. Haec differentia a iure communi persaepe parit confusiones, difficultates et odia. Ut haec omnia evitentur, necesse est, ut omnia matrimonia cuiusvis ritus celebrentur modo simplificato et communi in ritu mulieris.

2. In hac ditione Canadensi christifideles utriusque ritus modo permixto laborant et vivunt. In multis casibus suadetur et postulatur mutatio ritus. Hucusque id peraegre fieri potest propter multas difficultates. Desideratur, ut talis mutatio rituum in futuro fieri possit modo rationali et simplici.

3. Oratione alitur vita spiritualis. Inter orationes maximi momenti est recitatio Officii Divini. Ut nostri sacerdotes ex tali oratione maximum quam possibile fructum afferant, vivide desideratur, ut in recitatione privata uti possint lingua vernacula.

Has animadversiones Eminentiae Vestrae Reverendissimae debito cum obsequio manifestans me profiteor

Vestrae Eminentiae Reverendissimae
add.mus

✠ Franciscus I. Klein
Episcopus Saskatoonensis

40

Exc.mi P. D. ANDREAE ROBORECKI
Episcopi Saskatoonensis Ruthenorum (Saskatoon)

Die 29 septembris 1959

Eminentissime ac Excellentissime Domine,

Litteris Vestris (Prot. N. 1 C/59-1238) materiam antepraeparatoriam futuri Oecumenici Concilii a Summo Pontifice, feliciter regnante, Ioanne XXIII convocaturi spectantes, bene perpensis, curatorumque animarum consiliis collectis, sententias nostras quae sequuntur humiliter communicare intendimus:

1) Necessitas particularis decreti circa relationes inter diversos ritus quam maxime sentitur, quo:

a) ecclesiastici latini ritus quaestionibus orientalis ritus imbuere atque dictum ritum honore tenere obligarentur. Eadem obligatione haud minori gravitate in Institutis operas educativas navantes adstringi debent,

b) nullo praetextu fideles nostri ritus ad latinum trahere praetendant. Proh dolor in Canada ac Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis contraria viget praxis;

2) Nonne consiliabile esset reducere S. Missam; e. g. litanias quae repetuntur quasdamque orationes?

3) Utrum Concilio Oecumenico utile spectasset Patriarchis Orientalium Ecclesiarum dignitatem parem Cardinalium Romae Curiae tribuere?

Hae sunt nostrae animadversiones quas S. Congregationi nos humiliter submittimus.

Interim vivissimos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, cui fausta quaeque a Domino Deo adprecor.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
aff.mus

✠ Andreas Roborecki
Episcopus Saskatoonensis Ruthenorum

41

EXC.MI P. D. ALEXANDRI CARTER

Episcopi S. Mariae Ormensis (Sault Sainte Marie)

Una cum eo responsum dedit

EXC.MUS P. D. EDUARDUS JETTÉ

Episcopus tit. Tabenus, Auxiliaris Ioliettensis (Joliette)

Paris, 24 novembre 1959

Eminentissime Domine,

Benigne rogati ut vota nostra communicemus Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, subsignati episcopi, Alexander Carter Ordinarius Sanctae Mariae Ormensis et Eduardus Jetté, Ep. Auxiliaris Ordinarii Ioliettensis sequentia humiliter submittunt:

A) *De re canonica*

1. Ut ius canonicum paroeciale secundum actuales mundi conditiones adaptetur, v. g., conceptus beneficii paroecialis minus videtur adaptari praesentibus conditionibus, ideoque parochus nominari posset ad nutum Episcopi quo melius animarum bono curetur.

2. Ut Ordinarius delegare possit ad universalitatem casuum quoad licentiam assistendi matrimonio, quod vitaret periculum nullitatis praesertim in regionibus missionum et in paroeciis nationalibus.

3. Ut can. 1248 quoad opera servilia conditionibus praesentibus adaptetur.

4. Ut simplificetur et unificetur lex ieiunii et abstinentiae.

5. Ut clare definiatur laicorum partes in Ecclesia ita ut eorum apostolatus efficacius exerceatur.

B) *De re liturgica*

1. Ut Missa finita sit postquam dictum est « Ite Missa est, Deo gratias ».

2. Ne novum Officium vel nova Missa imponantur sub praecepto, nisi viginti annis completis post promulgationem.

3. Ne preces praescribantur post officium publicum (v. g. Salve Regina post missam) nisi ad definitum tempus.

✠ ALEXANDER CARTER
Episcopus S. Mariae Ormensis
et
✠ EDUARDUS JETTE
Episcopus tit. Tabenus
Auxiliaris Joliettensis

42

EXC.MI P. D. GEORGII CABANA
Archiepiscopi Sherbrookensis (Sherbrooke)

Rome, le 31 août 1959

Eminence,

Je vous fais parvenir les suggestions que vous nous avez demandées au sujet du prochain Concile Œcuménique. Ayant eu l'occasion de demeurer quelque temps à Rome avec un de mes suffragants, Son Exc. R. Mgr Martin, Evêque de Nicolet, nous avons préparé un mémoire à peu près identique.

Que Saint Pierre et Saint Paul vous obtiennent de mener à bonne fin l'immense tâche qui vous a été confiée! C'est le vœu que je forme en baisant votre pourpre romaine.

✠ GEORGE CABANA
Archévêque de Sherbrooke

Roma, 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Recepi litteras tuas, nuper ad me missas, quibus annuntiavisti mihi Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. reg. in Festo Pentecostes instituisse Commissionem antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico et Augustum Pontificem desiderare agnoscere opiniones et sententias Exc.morum Episcoporum atque Praelatorum qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur (can. 223).

Cum autem responsiones mittendae sint quamprimum et non ultra primum diem mensis septembris, si fieri potest, cum etiam non sit mihi facile in peregrinatione visitationis ad limina luculenter et enucleate

explicare et proponere ea omnia quae mihi videntur proponenda in futuro Concilio Oecumenico, mihi videtur nunc tantummodo utile et necessarium proponere quaedam capitula et propositiones quae ad bonum animarum, progressum Ecclesiae et disciplinam cleri et fidelium debentur argumentari, scilicet:

I. *Quoad theologiam dogmaticam*

a) Elaborare constitutionem dogmaticam de Episcopatu, tum quoad potestatem ordinis cum quoad potestatem iurisdictionis. Haec constitutio non est facta in elapso Concilio Vaticano et videtur valde necessaria praesertim ratione progressus Actionis Catholicae quae est participatio ad apostolatum hierarchiae et ratione persecutionum in regionibus ubi viget communismus.

b) Tractare de Ecclesia ut Corpore Mystico Christi et quasi prolongatione Incarnationis Christi. Ecclesia est fons salutis per suum magisterium et per sacrificium Missae et sacramenta.

c) Tractare de quaestione evolutionismi quae satis agitatur hisce temporibus, ita ut evidenter et clare stabiliantur ea quae sunt de fide et ea quae sunt liberae opinionis.

d) Tractare de interpretatione Sacrae Scripturae et de Theologia biblica, etiam de usu Sacrae Scripturae in ecclesiis, propter innumeras sectas quae laborant in regionibus catholicis et rectam fidem pugnant cum quodam successu apud fideles.

e) Studere et elucidare quaestionem valde complexam de oecumenismo seu de relatione cum confessionibus dissidentibus, ita ut Ecclesia sit in quodam statu apostolatus quoad sectas dissidentes.

f) Cum in nostro tempore quaestiones de eschatologia et de notione historiae disputantur, tractare de theologia historiae et de munere Christi et Ecclesiae in sanctificatione temporis et historiae, ita ut doctrina clara et abundantissima opponatur conceptioni historiae in marxismo.

g) Studere quaestionibus valde complexis de progressu scientifico et technico et etiam de labore operariorum, ita ut delineetur theologia de labore ut participatione ad opus creationis Dei.

II. *Quoad theologiam moralem*

a) Quoad necessitatem exaltandi valores temporales ut dicunt, « il faut réhabiliter les valeurs terrestres », argumentare de relationibus inter spiritualia et temporalia, praesertim ad sanctificationem temporalium.

b) Elaborare spiritualitatem matrimonii, ita ut purgentur falsae opiniones circa finem matrimonii.

c) Studere relationi inter spiritualitatem et psychologiam experimentalem (freudisme, psychanalyse?).

d) Statuere normas traditionales contra relativismum in rebus moralibus.

III. *Quoad disciplinam cleri et fidelium*

a) Videre an sit opportunum et necessarium reorganizare Congregationes romanas, ut clare pateat competentia uniuscuiusque, ita ut in una tantum Congregatione tractetur de quaestionibus pertinentibus ad unum subiectum ut liturgiam, matrimonium, etc. de impedimentis matrimonii minoribus.

b) Stabilire normas generales et speciales ita ut non sit semper necessarium recurrere ad indulta pro administratione dioecesium, consideratione facta de evolutione rapida modorum vivendi in hodiernis conditionibus.

c) Exponere doctrinam et normas generales spiritualitatis cleri saecularis, relate ad perfectionem vitae spiritualis et statuum perfectionis.

d) Studere quaestioni usus Breviarii in clero ad meliorandam vitam spiritualem personalem per recitationem Officii.

e) Studere quaestioni de abstinentia et ieiunio praesertim in Vigiliis Natalis Domini quando est valde difficile fidelibus observare normas Ecclesiae.

III. *Quoad vitam liturgicam Ecclesiae*

a) Studere quaestioni ieiunii eucharistici praesertim quoad cleros binantes et trinantes et quoad aegrotos.

b) Videre an sit possibile et utile determinare maiorem participationem fidelium activam ad vitam liturgicam Ecclesiae praesertim in Missa (voir à la conservation de la langue latine).

c) Studere quaestioni de sacris ordinationibus praesertim de ordinibus minoribus (étudier la possibilité pour les frères enseignants d'accéder au diaconat ou au sacerdoce s'ils ont les qualités requisés).

d) Adiuvante Encyclica de Liturgia elaborare constitutionem de theologia liturgica, valde necessaria propter progressum studiorum et apostolatum in Liturgia.

IV. *Quoad vitam religiosam*

a) Exponere doctrinam de vita religiosa et necessitatem vocationum religiosarum in Ecclesia ut manifestetur perfectio vitae evangelicae.

b) Statuere principia et normas generales quoad relationem inter episcopos et ordines et congregationes religiosas, et etiam cum clero saeculari, praesertim ad id quod attinet ad exemptionem canonicam et participationem religiosorum ad apostolatum dioecesanum et Actionis Catholicae.

V. *Quoad Actionem Catholicam*

a) Statuere principia de apostolatu laicorum et de « sacerdotio regali laicorum », praesertim quoad Actionem Catholicam.

b) Elaborare theologiam « sacerdotii regalis » ita ut clare distinguatur a sacerdotio ministeriali.

His expositis cum summa reverentia et veneratione ad Commissionem antepreparatoriam futuri Concilii Oecumenici, sensus gratitudinis et venerationis ex corde profiteor Eminentiae tuae Reverendissimae, cui a Domino precor quaeque fausta.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus in Domino
✠ GEORGIUS CABANA
Archiepiscopus Sherbrookensis

43

EXC.MI P. D. MAXIMI TESSIER
Episcopi Timminsensis (Timmins)

Die 5 aprilis 1960

Eminentia Reverendissima,

Quae a Tua Eminentia Reverendissima benigne missae sunt ad me litterae de praeparando futuro Concilio Oecumenico, ad domum meam episcopalem acceptae non sunt nisi paucis post diebus quam iam ab ea discesseram, peregre profecturus ad Limina. Cum autem in dioecesim meam tantummodo die decima mensis septembris reversus essem, Tuis respondendi litteris serum esse mihi visum est.

Quamvis etiam imperitus, obtempero tamen alteri epistulae quae modo mihi data est ac ad Tuae Eminentiae Reverendissimae indulgentiam humillime defero has, quae sequuntur, nonnullas animadversiones.

1. Fere ubique magis magisque increbrescit infelix consuetudo et contra canones 136 ac 2379 et contra Decreta a Sacra Congregatione de Concilio edicta prima die mensis iulii anno 1926 atque die vigesima octava

mensis iulii anno 1951: saepe ac saepius enim, praecipue cum iter faciunt vel tempore vacationum, sacerdotes clericalem suum statum dissimulant, per publicum deferendo habitum et forma et colore omnino saecularem. Ex hoc quod multi sic se gerunt, auctoritate locali tacente, fortasse sunt qui, ad se quod attinet, merito se interpretari putant secundum illum faciendi modum haec verba Codicis et Sacrae Congregationis de Concilio: « habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta ».

Nonne hic causa erit cur et iterum Roma maiore cum praecisione suam firmam voluntatem significet in re huius momenti?

2. Itidem, denuo damnanda forte esset alia consuetudo quae serpere coepit, cum sacerdotes peregrinantes, solo habitu nigro et collario romano indutis, Missam celebrant absque tunica talari.

3. De modo quo neutris societatibus et conciliabulis utendum sit, distrahuntur animi in contrarias sententias. Quare ad omnium utilitatem mihi videtur ut Sancta Sedes de hac re quod sentit rursus declaret.

4. Quamvis sacerdotes ea clare et saepe a Summis Pontificibus moniti sint, ut opinio mea fert, ab integro non paucis opus est, nostris modernis temporibus, ordinis memoriam renovare servandi in his omnibus quae peragunt. Quorum recta ordinatio sic describi forte posset: sacerdotis ministerii est:

A) Primo, ut enixe aliis exemplo sit et interioris vitae intensitate erigenda et omnium pietatis officiorum constantia;

B) Secundo, ut incumbat in praedicationem et professionem catechismi, uti postulat Evangelium;

C) Tertio, ut sacramenta accuret non tantum Missam celebrandam et ipsa sacramenta administranda, verum se promptum omninoque paratum praebendo, exempli gratia, Missis vespertinis, horis confessionis, catechesi baptismatis, etc.;

D) Quarto, ut adeat ad aegrotos, conflictatos, derelictos, senes, pauperes, vinctos, etc., cuius momentum et beneficium praeter modum infitiantur;

E) Quinto, ut operibus Actionis Catholicae se det, eo latiore sensu acceptae qua Ecclesiae laici formentur militantes, cum Ecclesia cuius vis in solo clero laborante sita sit in periculis versetur;

F) Tandem, ut materiali paroeciae ministrationi provideat.

5. In paroecia remota, ubi unus vivit sacerdos, parochus ex necessitate religiosis suis confessarius ordinarius permanere debet, etiam post triennium (canon 526). Quod onus propiori mandari paroco minime potest vel ob distantiam vel ob impervium iter vel ob saevitiam hiemis mensibus durantibus.

6. In valetudinariis hodiernis, fere ubique statuunt medici, ne infans et sanissimus in ecclesiam baptizandus deferatur, tamdiu quam a valetudinario non discesserit. Qua de causa, canone 776, nonne Episcopis fieri posset potestas permittendi, « per modum habitus », in casibus eius generis, ut baptisma sollemne administrarentur in ipso valetudinario, « servatis omnibus aliis a iure servandis »? Ex hoc facilius servaretur canon 770.

7. Saepissime, multi sunt qui in caeleste convivium accedunt, nec raro insimul quingenti vel plus. Nonne tunc formula ante quamque communionem recitanda in breve cogi posset, praesertim cum unus est sacerdos qui sanctam Eucharistiam distribuat?

8. De mixtis saltationibus iuvenum utriusque sexus in hypogeis ecclesiarum sive in aedibus paroecialibus sive in locis Actionis Catholicae, meo humili iudicio, tanta exstitit divergentia opinionum et quidem ita exitiabilis ut res deposcat alium Sanctae Sedis interventum.

Qua de re, nonne expromi posset Instructio similis Instructioni de coeducatione, quae data est die octava mensis decembris anno 1957 quaeque dividebatur in tres partes quibus tituli: principia, regulae, precautiones? Mihi videtur, tunc evolvi possint quae ibi brevissime exponuntur:

A) Principium:

Nostris modernis temporibus, cum tam praecoci menti nostri sint iuvenes qui saepe inducantur ad ea imitanda quae vel cinema vel televisione videantur; habita quoque ratione modi quo saltitatur, temporis, vestitus et aliarum circumstantiarum, saltationes mixtae in genere constituunt periculum. Qua de causa prohibendae sunt in hypogeis ecclesiarum et in aedibus paroecialibus et in locis Actionis Catholicae et quoque in collegiis et institutionibus catholicis.

B) Regulae:

Quod si Episcopus aliquis, « onerata eius conscientia », arbitraretur maius malum vitari posse in sua regione tolerando quod illic aliter ageretur, Instructio demonstraret regulas servandas: v. g., sacerdotes, religiosi et religiosae non ipsi ius haberent mixtas saltationes praeparandi in hypogeis ecclesiarum, etc., nec sinerentur ad eas adesse, etc.

C) Praecautiones:

In casu novissime illato Instructio indicaret praecautiones adhibendas ad supra enumerata principia regulasque explendas.

Da mihi veniam, Eminentia Reverendissima, addendi quod me ali-

quo modo confusum sentio, cum ad Te has mittam animadversiones. Quod quidem neque facio nisi impellente oboedientia.

Pergratam habe, quaeso, Eminentia Reverendissima, expressionem impensi sensus quo me honori profiteor

Tuae Eminentiae Reverendissimae
servum humillimum

✠ MAXIMUS TESSIER
Episcopus Timminsensis

44

EXC.MI P. D. ISIDORI BORECKY
Episcopi Torontini Ruthenorum (Toronto)

June 7, 1960

Very Reverend Fathers,

In reference to your letter of March 21, 1960 I am pleased to forward to your Pontifical Commission a series of suggestions as required by your commission for the forthcoming Oecumenical Council.

Wishing your Preparatory Commission the greatest success and God's blessings upon our great work, I beg to remain.

Yours faithfully in Christ

✠ ISIDORE BORECKY
Bishop of Toronto of Ruthenians

I. *Constitutio dogmatica de Ecclesia Christi*

In ultimo Concilio Oecumenico Vaticano (1869-1870) quaedam veritates fidei de Ecclesia, praesertim de primatu iurisdictionis et de infallibilitate Romani Pontificis qua capitis Ecclesiae solemniter definitae sunt.

Attamen celebris Constitutio dogmatica de Ecclesia Christi, a Patribus Concilii Vaticani inchoacta et instituta, propter interruptionem ipsius Concilii ad terminum suum perducta non est. Ideo summopere desiderandum est, ut in proximo Concilio Oecumenico doctrina fidei catholicae de Ecclesia Christi tandem terminetur et definiatur.

Prae omnibus elaboranda est doctrina de Ecclesia ut Corpore Mystico Christi. In luce huius doctrinae variae quaestiones theologicae circa

Ecclesiam, v. gr. de necessitate Ecclesiae, eius visibilitate et unitate clarificari poterunt, praesertim genuinus sensus quarundam expressionum in materia ecclesiologica, uti sunt: anima, corpus et spiritus Ecclesiae, vel illud celeberrimum theologorum adagium: « extra Ecclesiam nulla salus ».

Haec et alia huiusmodi adagia et dicta persaepe a theologis concionatoribus aliisque viris ecclesiasticis adhibentur, non tamen eodem sensu et secundum eamdem interpretationem.

Data occasione damnandae sunt a Concilio variae falsae opiniones recentis temporis circa unitatem et catholicitatem Ecclesiae.

II. *Recta Ecclesiae denominatio et appellatio*

Utile et commodum est, ut ipsum nomen Ecclesiae ad certam normam et formam redigatur. Recenti tempore praeter antiquum nomen Ecclesiae Christi, id est Ecclesiae Catholicae, persaepe alia vocabula et nomina adhibentur, v. gr. Ecclesia Romana, Ecclesia Romano-Catholica, Ecclesia Occidentalis, vel Ecclesia Latina.

Huiusmodi confusio nominum non solum in usu fidelium, sed etiam in compendiis theologicis et documentis ecclesiasticis non raro reperitur. Manifestum est, quod Ecclesia Catholica per super relata additamenta (Latina, Occidentalis vel Romana) in suo charactere universali limitatur et laeditur. Praeterea huiusmodi Ecclesiae Christi nomina et appellationes omnino superflua sunt nec in antiquis catholicae fidei Symbolis inveniuntur.

Nonnulli putant Ecclesiam necessario Romano-Catholicam, vel Romanam appellari debere, ut primatus Romani Pontificis hoc modo sublineari possit. Sed hoc non evincit, nam in conceptu Ecclesiae, quae una, apostolica et catholica vocatur, necessario etiam primatus Romanorum Pontificum includitur et subintelligitur.

Addendum est, quod per vocabula: « Latina, Romana, vel Occidentalis » Ecclesia Catholica cum aliqua tantum parte Ecclesiae confunditur, sive hanc partem in sensu rituali (latina), sive in sensu geographico-culturali (occidentalis), sive denique in sensu hierarchico (romana) quis intelligere queat.

III. *Aequalitas rituum in Ecclesia Catholica*

In Ecclesia Christi, quae ut non latina sit, non graeca, non slavonica, sed catholica, nullum inter eius filios intercedere debet discrimen, iique sive latini, sive graeci, sive slavi, sive aliarum nationum, omnes apud hanc Sedem Apostolicam eumdem locum obtinere debent. Haec sunt

verba Benedicti XV in constitutione *Dei Providentis* ex anno 1917. Etiam Pius XI in litteris encyclicis *Ecclesia Dei* sub die 1 novembris 1923 datis desiderium Sanctae Sedis Apostolicae expressit, ut omnes aequo iure utantur coniuncti populi, cuiusvis sint generis aut linguae, quorumvis rituum sacrorum, quos Romana Ecclesia et sanctissime semper venerata semperque decrevit retinendos. Idem Pontifex solemniter statuit: neque unquam decessores Nostri (Romani Pontifices) inter diversos catholicos ritus hierarchiae discrimina vel gradus fieri et esse passi sunt, veluti si alius alio pluris habendus, alius aestimandus, alius vero contemnendus sit (in constitutione Apostolicae Sedis 26 octobris 1937).

Ex hisce verbis aperte patet, omnes ritus in Ecclesia Catholica aequales esse et aequaliter ab omnibus tractari et venerari debere. Nihilominus principium aequalitatis rituum non solum in praeterito, sed etiam in nostro tempore parvam considerationem et practicam applicationem obtinet. Immo in praxi persaepe praestantia ritus latini prae ceteris ritibus Ecclesiae urgetur et applicatur. Saepe enim fidelibus rituum orientalium ex quacumque, etiam levissima ratione et causa permissio conceditur ad ritum latinum transeundi.

Haec infausta praxis magnum scandalum fidelibus Ecclesiae Orientalis, praesertim illorum, cum Sede Apostolica nondum unitorum praebet et eos a reunione cum Ecclesia Catholica abhorrere facit. Etiam in nostro tempore non raro praesules ritus latini praestantiam ritus latini verbis Benedicti XIV corroborare student, nempe ritus latinus ob suam praestantiam, eo quod sit ritus Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium ecclesiarum Matris et Magistrae, sic supra graecum ritum praevalet (*Etsi pastoralis* 26 iunii 1742).

Valde utile, praesertim ad futuram unionem Ecclesiarum dissidentium esse videtur, si in proximo Concilio Oecumenico aequalitas rituum in Ecclesia Catholica solemniter pronuntiaretur et corroboretur.

IV. *Conversio populorum paganorum ad Ecclesiam Christi*

Celeberrimum est adagium a Romanis Pontificibus saepe repetitum, quod dicit: « non volumus vos fieri latinos, sed catholicos » (ita v. gr. Benedictus XIV, Leo XIII, Pius XI). Proh dolor, magna exstat discrepantia inter verba et opera, nempe inter praxim et theoriam in hodierno tempore.

Notum est enim, quod populi pagani in vastis regionibus Asiae, Africae, Oceaniae etc. nequeunt fidem catholicam recipere eamque profiteri, nisi sint ritui latino adscripti. Ritus latinus tamquam unicus medius propagandae fidei in terris missionum adhibetur et omnes ritus

orientales ab actione missionaria excluduntur. Per huiusmodi rationem agendi aequalitas rituum in Ecclesia Catholica in discrimen vocatur, immo quaedam intolerantia et discriminatio ritualis aperte propugnatur.

In hac saeculari praxi, quae in actione missionaria Ecclesiae Catholicae invaluit, magna ex parte reponendus est parvus successus propagationis christianismi et Catholicae Ecclesiae inter populos paganos. Qua ratione populi pagani ad fidem catholicam recipiendam necessario ad latinam et occidentalem formam cultus coguntur? Magis rationabile et longe utilius esse videtur, ut populi ad fidem catholicam conversi licitum sit liturgiam in eorum lingua vernacula celebrare, immo quamdam speciem ritus efformare, quae sit illorum captui, mentalitati et spiritualitati magis adaequata et familiaris.

Multi iniuste timent ex creatione novorum rituum in Ecclesia Catholica multa incommoda oriri, vel saltem unitatem in Ecclesia Catholica in periculum vocari posse. Sed, huiusmodi timor omni fundamenti caret. Nam secundum doctrinam fidei unitas Ecclesiae Christi in triplici unitate consistit: in unitate fidei, in unitate regiminis et unitate communionis. Unitas vero liturgica, ritualis vel disciplinaris ad unitatem Ecclesiae Catholicae nec est essentialis neque semper congrua et desiderabilis est.

Concilium Oecumenicum est sine dubio optima instantia, ubi huiusmodi quaestiones quadam ratione resolvi possunt. Ex introductione rituum novorum in terris missionum sine dubio maior successus in conversione populorum paganorum ad fidem christianam sperandum est. Maximi momenti est, ut et missionarii et etiam praesules Ecclesiae ritus latini in sua actione missionaria verbis et principiis S. Pauli gentium Apostoli inspirentur: « Omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer, iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. Iis, qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Quibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium » (*I Corinth.* cap. 9, v. 19-23).

Fatendum est, quod adhuc multa desiderantur, ut in Ecclesia Catholica principia et spiritus Christianae catholicitatis secundum exemplum S. Pauli in praxim deducantur.

V. *Futura Ecclesiarum reunio*

Si in proximo Concilio Oecumenico de reunione Ecclesiarum agendum erit, attendendum est ad varias dissidentium opiniones recenter quoad unionem Ecclesiarum expressas et in eorum ephemeridibus publicatas.

Non solum Catholici, sed etiam variae Ecclesiae Orthodoxae dissidentes reunionem Ecclesiarum ex toto corde exoptant, immo cotidie inter s. Liturgiae solemnia « pro reunione omnium » Deum exorant. Etiam ex parte orthodoxorum adest bona voluntas et varia conamina ad obstacula removenda, quae reunionem Ecclesiarum praepediunt.

Attamen orthodoxi maxime scandalizantur, quando futura Ecclesiarum reunio a catholicis tamquam « conversio schismaticorum orientalium » consideratur. Et iure quidem, quia orthodoxi christiani nequaquam pagani sunt, ut « conversione » ad Ecclesiam Christi indigeant. Sit potius sermo de unione, vel reunione Ecclesiarum, non autem de « conversione schismaticorum ».

Multi orthodoxi, a communione cum Ecclesia Catholica dissidentes, solum ex hac ratione reunionem Ecclesiarum abhorrent et repudiant, quia per illam reunionem conditionem suam peiorem fore putant. Timent enim, se omnes suas traditiones, antiquas consuetudines et ritus necnon ius particulare Ecclesiae Orientalis amissuros esse. In hoc suo timore corroborantur variis factis ex historia, in quibus aequalitas rituum a catholicis latinis non semper observata fuit. Item obiciunt orthodoxi dissidentes, quod per nimiam extensionem primatus Romani Pontificis antiqua iura et privilegia variarum Ecclesiarum in Oriente vel sublata, vel essentialiter limitata sunt.

Aegro animo ferunt orthodoxi dissidentes, quod a Sancta Sede patriarchatus ritus latini in antiquis sedibus Orientis retineantur. In hac ratione agendi fratres sperati « cupidinem » dominationis ritus latini supra ritus orientales suspiciunt.

In reunione Ecclesiarum promovenda cavendum est, ne christiani orthodoxi, (sine culpa a communione cum Ecclesia Catholica dissidentes), tractentur a catholicis ritus latini tamquam haeretici vel schismatici culpabiles. Proinde nonnulli canones Codicis Iuris Canonici de rebus vel ritibus orientalium tractantes ad meliorem et minus rigidam formam modificari atque corrigi debent.

Communiter desiderant orthodoxi dissidentes, ut in futura reunione Ecclesiarum Orientalium cum Ecclesia Catholica respiciantur iura et privilegia patriarchatuum Orientis. Orthodoxi in genere parati sunt ad primatum iurisdictionis Romani Pontificis in tota Ecclesia agnoscen-

dum sed non in hac extensione, qua hodie in Occidente gaudet, sed potius ad normam, ideam et praxim tempore 7 Conciliorum Oecumenicorum in Oriente vigentem.

VI. *Adaptatio disciplinae ad moderna tempora*

Etsi in rebus fidei et morum nulla veri sensus adaptatio Ecclesiae Catholicae ad tempora moderna dari potest, attamen in rebus disciplinae ecclesiasticae huiusmodi adaptatio valde utilis et desiderabilis esse videtur.

Imprimis laudanda est adaptatio legum ieiunii eucharistici ad circumstantias moderni temporis, a fel. record. Pio XII facta. Simili ratione et Pius XII et feliciter regnans Ioannes XXIII primos passus fecerunt, ut Collegium Cardinalium et in genere Curia Romana magis et magis characterem internationalem et magis universalem habeant.

Desiderabile est, ut in variis Congregationibus Romanis praesertim in Congregatione pro Ecclesia Orientali, tales habeantur officiales, qui non solum circumstantias singularum Ecclesiarum diversis in nationibus bene sciant, verum etiam ex iisdem Ecclesiis sumantur, tamquam variarum Ecclesiarum repraesentantes. Sic. v. gr. in S. Congregatione pro Ecclesia Orientali summopere convenit, ut non solum unus vel alter minor officialis e clero orientali sumatur, sed etiam maiores officiales, episcopi et Cardinales ritus orientalis adhibeantur.

Ex eadem ratione vocentur in Collegium Cardinalium episcopi variorum rituum orientalium, v. gr. ritus byzantino-ucrainici (rutheni), quia ukraini catholici maiorem partem catholicorum orientalium efformant. Cavendum est in diudicandis rebus variorum rituum orientalium a falso uniformismo, a protectionismo vel etiam nepotismo, qui non raro in praeterito catholicos orientales excitabat et ansam scandali praebebat.

Hodiernum tempus exigit, ut in legislatione et disciplina ecclesiastica maior respectus habeatur conditionum, indolis, characteris et circumstantiarum variorum populorum, vel potius variarum Ecclesiarum ethnicarum. Ad unitatem Ecclesiae Catholicae non est necessarium, ut eadem disciplina pro clero et populo in differentibus partibus orbis existentibus habeatur.

Propter circumstantias moderni temporis nimia centralizatio Ecclesiae vel potius reservatio iuridica in ambitu Curiae Romanae non semper bono Ecclesiae Catholicae eiusque progressui iuvat.

✠ ISIDORUS BORECKY
Episcopus Torontinus Ruthenorum

45

Exc.mi P. D. GEORGII L. PELLETIER

Episcopi Trifluvianensis in Canada (Trois-Rivières)

5 octobre 1959

Eminentissime Domine,

Relate ad consultationes circa quas Eminentia Vestra nos consultare dignata est, haec sunt quae humiliter proponere censemus:

1. *Actio Catholica.*

Sicuti abhinc saltem triginta annis, diversis in regionibus numerosae Apostolatus Laici, necnon plures in dioecesibus Actionis Catholicae Organizationes florent, opportunum nobis paret, disciplinam, doctrinam, principiaque Actionis Catholicae sedule codificanda esse. Aliter scholas diversas, interdum oppositas, paulatim oriri existimamus. Verum est quod regiones caracterem diversum praesentare possunt, exinde necessitates hic illic differentes habent; attamen Ecclesiae doctrina, structura, imagoque intra Corporis Mystici limites similaritatem ubique conservant eamdem. Insuper talis codificatio super fideles lumen Veritatis denuo sparget, conatusque omnium in unitate fervide adiuvet. Sane, ratione Baptismi Confirmationisque singuli ad militiam Ecclesiae pertinent. Colluctare tenetur unusquisque iuxta responsabilitatem suam. Certamen certant omnes bonum sub auctoritate Ecclesiae. Quocumque modo auctoritatem quemdam religionis ipsius secumferunt. Ipse fidelis, si solus est, debilitatem ostendit suam, si autem intra Ecclesiam, cum Ecclesia et pro Ecclesia contra errores debellat atque Veritatem necnon caritatem promovet, totas Ecclesiae vires ad victoriam adhibet.

2. *Actio socialis.*

Quae pro Actione Catholica humiliter asseruimus, pro Actione Sociali valent. Insuper, sicuti nostris temporibus materialismi error profundius viget, haec principia in campo sociali dilucide denuo statuere maximi momenti est. Opifices et etiam illi qui organizationes dirigunt industriales, ad solam rem materialem invidendam aut respiciendam saepe saepius inclinantur. Proinde puncta quae fundamentalia sunt ad relationes in iustitia et caritate promovendas, totaliter in oblivionem cadunt. Ad « Syndicalismum » quem attinet, bonum esset etiam quod iterum omnes Ecclesiae mentem audierint. Non raro accidit quod in regionibus quasi totaliter catholicis, opifices ad organizationes neutras pertinere malunt. Factum quod fortiores erunt, unice considerant.

3. *Associationes neutrae (Kiwanis, Rotary, Lions,* etc.).

Optime iamiam can. 684, in Iure Canonico, speciatim in ultima parte doctrinam de hoc haud aequivocam elucet. Attamen nobis videtur quod si Ecclesia, Concilii Oecumenici occasione, iterum quaestionem considerat, erit pro Episcopis quasi novum argumentum. Sunt plures pluresque inter catholicos qui doctrinam Ecclesiae sub hoc puncto desuetam plus minusve sese habere censent. Si quot Episcopi, propter rationes speciales, sensum can. 684 urgere velint, Ecclesiae mentem nimio cum rigore applicare videntur.

Quod omnes mentalitates profitentur istae associationes, praeter catholicam, nemo ignorat. Proinde fideles qui ad tales organizationes pertinent, saepe saepius in gravi fidei periculo inveniuntur, saltem ad rationalismum practicum paulatim currunt. De facto, illi qui istos « Clubs » frequentant, in favorem associationum catholicarum devovere semetipsos semper recusant. In tramite extraneo evolvunt, sentiunt potius cum associationibus massonicis. Abhinc pluribus annis v. g., casum omnium qui ad religionem catholicam conversi fuerunt sedulo examinavi, pro nullo ex ipsis affirmare non timeo, quod influentia catholicorum in associationibus neutris concursum quemdam habuerit. E contrario, per associationes neutras, catholicos deperdimus, nullum autem acatholicum obtinemus.

4. *Usus linguae latinae in Liturgia nostra.*

Usus linguae latinae in ritu nostro latino, i. e. tum in Breviarii recitatione, tum in sanctissimae Missae celebratione, conservari totaliter existimamus. Rationes quae ad hoc faciendum militant, saepius lucide exaratae fuerunt.

5. *Usus linguae latinae in discussionibus Concilii proximi.*

Haud parum laetamur quod discussiones in diversis Concilii Oecumenici coetibus omnes, non in vernaculo idiomate, sed in lingua latina habeantur.

Haec omnia salvo Ecclesiae iudicio humiliter proponimus. Interim, pro felici exitu Concilii Oecumenici cotidie Patrem luminum oramus.

Vestrae Eminentiae humiliter annulum deosculando,

✠ GEORGIUS L. PELLETIER
Episcopus Trifluvianensis in Canada

46

Exc.mi P. D. IOSEPHI A. LANGLOIS
Episcopi Campivallensis (Valleyfield)

Valleyfield, 15 août 1959

Eminentissime Seigneur,

L'humble soussigné, Evêque de Valleyfield (Canada), a reçu avec grande joie la communication de Votre Eminence, annonçant le futur Concile Œcuménique et demandant s'il y a lieu à quelques remarques ou desiderata que l'on croirait devoir soumettre à la Commission Préparatoire au Concile.

Le correspondant de Votre Eminence, déjà vieillard et pratiquement aveugle, s'excuse de ne pouvoir offrir que le symbole de sa bonne volonté, se soumettant d'ailleurs bien respectueusement aux décisions des Illustres Personnages Ecclésiastiques qui interpréteront les vues, les suggestions, les désirs de l'Episcopat Catholique.

Que Votre Eminence veuille bien agréer les hommages et les vœux de son modeste serviteur in Christo.

✠ Joseph-Alfred Langlois
Evêque de Valleyfield

1. Doctrinae puncta

a) « *Extra Ecclesiam nulla salus* ».

Opportunum videtur ut lingua theologica clara exponantur conditiones requisitae ut quis ad Ecclesiam pertineat, et circumstantiae in quibus omnis homo posset propriae saluti providere.

Denuo deberent exponi normae omnes de administratione Baptismi in diversis acatholicis ecclesiis christianis: sive quantum ad materiam et formam sacramenti, sive quantum ad intentionem ministri et recipientis dispositiones.

De pueris vero qui sine Baptismo nascendo moriuntur opportunum esset exponere Ecclesiae mentem ad cognoscendum utrum defectus Baptismi suppleri possit per desiderium matris quasi esset casus Baptismi desiderii pro puero.

b) *Confessionalitas, non-confessionalitas, neutralitas.*

Praecisiones dari deberent de vocibus diversis: « confessionalitas », « non-confessionalitas », « neutralitas ». Quorum verborum usus occasio est confusionis frequentis sive apud operarios, sive in relationibus religioso-socialibus.

De neutralitate loquuntur cum ab omni religione fit abstractio; idem verbum adhibetur ad designandam institutionem ubi profitetur forma religionis acatholica. Melior videretur usus istorum verborum ad designandas institutiones ubi rationabiliter inveniri deberet religio sed ubi intentionaliter omnes formae religionis tamquam aequales admittuntur. Neutra esset schola illa ubi omnes religiones doceri possent dum de facto nulla ex officio esset admissa.

Confessionalitas potius servari deberet cuique institutioni in qua officialiter admitteretur religio: ita confessionalis esset schola catholica quia ibi docetur catholica religio; et schola anglicana confessionalis diceretur ratione religionis anglicanae quae in ea tradetur.

Verbum autem non-confessionalis reservaretur pro institutione quae de se non exigit professionem fidei alicuius, quemadmodum v. g. institutiones oeconomicae, sportivae etc., ubi de facto in eadem organizatione inveniri possunt adepti diversarum confessionum religiosarum.

Ita verbum « mixta » confusionem gignere potest: ita saepe sermo est de religionibus mixtis, de scholis mixtis, de matrimoniis mixtis; verbum « mixta », ad religionem quod attinet, distinguitur a disparitate cultus: iam sensus istorum verborum in iure canonico distinctus fuit, sed quoties verbum « mixtae » adhibetur ad designandas institutiones vel associationes verbum illud aliquando significat institutionem adunantem personas diversarum religionum vel personas utriusque sexus. Pariter mixta dicetur schola admittens pueros et puellas; mixta etiam dicetur si in ea adsint catholici et acatholici.

c) *Doctrina socialis.*

In hoc campo, abundans est doctrina. Optandum esset ut directiones a Sancta Sede procedentes breviter resumerentur, in corpus redigerentur, et lingua quidem latina ad vitandam confusionem ex diversa interpretatione orientem. In hac materia multae theoriae realiter diversae eisdem verbis exprimuntur et confusionem generant. Lingua Latina melius exprimeret diversas acceptiones quae unitatem mentis producerent. Ad Ordinarios Locorum relinqui posset officium applicandi supradicta principia. Ita vitaretur diversitas interpretationum a clericis vel laicis plus minusve doctis in tali materia.

d) *Tolerantia.*

Opportunum pariter videtur ut praecisio detur voci « tolerantia » scilicet principia ex quibus oritur communicatio in divinis. A loco ad locum diversae circumstantiae apparent sed super omnia possent cum maiori claritate elucidari principia quorum Ordinarii Locorum applicationem facere possent. Clarior notitia de communicatione in divinis faciliorem redderet applicationem dictorum principiorum ad casus eventuales ut sunt v. g. associationes mixtae, caeremoniae religiosae ubi cultus mixtus habetur, funeralia officialia, inauguratio aedificiorum publicorum in regionibus mixtis eorumque benedictio.

2. Disciplina

a) *De veste ecclesiastica.*

Iuxta legem canonicam actualem clerici omnes vestem specialem deferre debent, diversam pro diversis locis iuxta leges particulares ab Ordinariis Locorum prolatas. Ita dicitur de sacra Tonsura. Clerici tandem exhortantur ad simplicitatem in cura comae. Usquemodo non visa est possibilis impositio uniformis vestis. Attamen vestis ecclesiastica obligatoria dicta de facto derelinquitur in diversis locis et temporibus sub multiplici pretextu v. g. tempore vacationis, itineris aut diversarum vitae socialis occasionum. Signum evidenter ecclesiasticum determinari deberet etiamsi particularia in hac materia compleri possint ad Ordinariis Locorum.

Ita usus vestis talaris ubique ex officio deferri deberet pro celebratione Missae, pro sacramentorum administratione praesertim in loco cultui reservato; ad Ordinarios autem Locorum reservari posset ius determinandi qualitatem istarum vestium ecclesiasticarum in locis ubi forsan lex civilis impedimentum ponit.

b) *De ieiunio et abstinentia.*

Actualis formula de ieiunio et abstinentia multum profuit quotidianae receptioni Sacrae Communionis; de facto invitatio ad Sacram Communionem inde a Motu Proprio Sancti Pii X non carebat difficultate. Quod autem in casu ieiunii eucharistici advenit extendi deberet ad ieiunium ecclesiasticum.

Valde diversa est pro diversis locis legislatio particularis de ieiunio et abstinentia: quod non sine detrimento habetur. Multa inconvenientia secuta sunt ultimum universale bellum; ratione opportunitatis cuiusdam accommodationis localis quando hic maximum, alibi minimum servan-

dum erat. Nonne opportunum esset uniformitatem apponere in applicatione legis de ieiunio et abstinentia etiamsi deberet minui numerus dierum legalium?

Maxima cum reverentia hic alluditur ad confusionem quae oritur ex diversis dispensationibus quae aliquando conferuntur appropinquantibus diebus ieiunii et abstinentiae, dum ex altera parte cautiones sumptae fuerunt de ieiunio servando. Quae mutatio in magnis urbibus occasio est multarum conturbationum etiam in ordine oeconomico ita ut difficile sit praevidere directionem dandam iis quorum refert.

Quodsi retineri debeant aliqui dies ieiunii vel abstinentiae prudentior videretur determinatio dierum non mobilium. Talis usus « medium esset » praecavendi confusionem supradictam sive in praeparatione fidelium sive in directione mercatoribus danda.

Pro abstinentia suggerendum esset ut servarentur feriae sextae omnes, cum feriis quartis tempore Quadragesimae. Ad ieiunium quod attinet retineri possent feriae quartae et sextae Quadragesimae dum vigiliae adhuc vigentes transferri possent ad sabbata Quattuor Temporum: v. g. ieiunium Vigiliae Nativitatis observaretur in sabbato praecedenti, et ita ieiunium Vigiliae Pentecostis transferretur ad sabbatum Quattuor Temporum sequentium.

c) *De Religiosis et de Ordinariis Locorum.*

A iure vel Sanctae Sedis indultis quidam Religiosi eximuntur ab auctoritate Ordinariorum Locorum. Inde a pluribus annis pastorale ministerium non solum a sacerdotibus dioecesanis sed etiam a diversis religiosis familiis exercetur. Religiosi possunt exercere ministerium pastorale, curam hospitiorum; possunt esse professores vel cappellani in domibus educationis sub auctoritate Episcoporum. Nonne conveniret ut in Legislatione Canonica, citra privilegia a iure vel a Sancta Sede concessa, iidem admodum aestimabiles Religiosi qui operam ministerialem diversimode exercent in qualibet dioecesi saeculari submitterentur modo magis immediato iurisdictioni, supervisioni et correctioni Ordinarii Loci?

d) *De stipendiis Missarum et de collectis.*

Ad vitandam confusionem apud fideles occasione diversitatis taxarum impositarum pro stipendiis Missarum, potius deberet determinari taxa ab omnibus Ordinariis alicuius regionis quam a singulis Ordinariis. Ita pariter oporteret ut quantitas stipendii determinata observaretur ab omnibus clericis tam religiosis quam dioecesanis. Ad praecavenda autem damna quae oriuntur ex collectione stipendiorum per diversas familias religiosorum vel occasione « publicationum » eorum opportunum vi-

detur ut uniformitas taxae summittatur Ordinario dioecesis ubi tales publicationes ortum habent.

De collectis autem, de quibus ipse Paulus, regula quaedam servanda videtur. Ordines quidem mendicantes privilegio donantur quo collectas accipere possunt praesertim in dioecesibus ubi domum habent. Attamen in magnis urbibus ubi plures domos eadem communitas possidere potest inconveniens sequeretur nisi ordo ab Ordinario determinetur de diebus et locis ad collectas faciendas, secus enim multiplicitas collectarum eodem quasi tempore factarum admirationem fidelium provocare potest indeque periculum minuendi generositatem fidelium simulque privandi religiosos de fructu collectarum ipsarum. Nemo melius quam Episcopus potest opportunitatem interpretari determinandi circumstantias collectis favorabiles: quod certe protegere potest simul Ecclesiam et colligentes.

e) *De Confirmatione.*

Verbulum tandem addi posset ad praecavendas difficultates quae oriuntur ex complexa legislatione de ministro extraordinario sacramenti Confirmationis. Extensio facultatis de administratione Confirmationis in favorem puerorum aut adultorum gravi morbo decumbentium valde desiderabilis sed fons est anxietatum et etiam scrupulorum quae vitari possent.

Admissa facultate conferendi Confirmationem in casu parochorum et cappellanorum, diversis temporibus et diversis formulis plura deinceps indulta concessa sunt, ita ut plures suppositi ministri extraordinarii non clare videant limites suorum iurium aut privilegiorum. Suggerendum ergo videtur ut et cappellani domorum maternitatum aut nosocomiorum habeant facilitatem seu facultatem per se vel per substitutum conferendi sacram Confirmationem. Nonne posset committi facultas confirmandi infirmos et pueros in periculo mortis constitutos parochis et cappellanis, et eis absentibus talis facultas nonne communicari posset tum primo vicario inter plures tum illi sacerdoti qui defectu principalis cappellani partes eius exercet in maternitate vel in hospitali, ubi saepe saepius infirmi nondum confirmati indigent hac confortatione? Usquemodo indulta quaedam collata sunt sed multiplicitas formularum et restrictio facultatum, ut supra dicitur, fons est confusionis.

✠ IOSEPHUS A. LANGLOIS
Episcopus Campivallensis

47

Exc.mi P. D. GULIELMI M. DUKE

Archiepiscopi Vancuveriensis (Vancouver)

Una cum eo responsum dedit

Exc.mus P. D. MARTINUS M. IOHNSON

Archiepiscopus tit. Cianensis, Coadiutor c. s. Vancuveriensis

Die 28 septembris 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Litteris notissimis diei duodevicesimo iunii huius anni (1 C/59-1431) ad Vancuveriensem Archiepiscopum Ordinarium, et (1 C/59-2354) ad Vancuveriensem Archiepiscopum Coadiutorem, Nos, in responsum adnexas submissiones ut res in Concilio Oecumenico futuro tractandas pergrate mittimus.

Quas res praeparantes, per litteras Eminentiae Tuae invitati, consilium peritorum ac prudentium virorum ecclesiasticorum archidioecesis nostrae petimus. Dum ipsi de aliquibus submissis nonnihil dubitant nos, secumdum facilem Eminentiae Tuae invitationem ut hoc omni cum libertate et sinceritate fit, existimamus, his rebus ambiguis denique spectatis ac tractatis, etsi nihil consulte innovetur, disceptionem multam vel controversiam in regionibus finiendam.

Ad Suam Sanctitatem ferre velis ut nos beneficii pergrati de tam simpliter submittendo res ad considerationem Commissionis Antepraeparatoriae atque preces continuae nostri, cleri et fidelium ad bonum Concilii exitum offeramus.

Qua occasione Eminentiae Tuae quoque iisdem in precibus profitemur memoriam pro perdifficili opere a Commissione cui praesides curando, cuncta lectissima ex corde ominati, Eminentiae Tuae Reverendissimae in Domino addictissimi,

✠ Gulielmus M. Duke
Archiepiscopus Vancuveriensis

✠ Martinus M. Johnson
Archiepiscopus tit. Cianensis
Coadiutor c. s. Archiepiscopi Vancuveriensis

De Observantia Dominicali

Novae vivendi atque laborandi conditiones submissiones proferunt quibus traditionalis operum servilium definitio asseverandi vel deliquandi opus habeat.

Casus conscientiae dicti circumstantiarum sequentium:

1. Automationis causa, tam domi quam in officinis, labor manu factus ab actibus traditionaliter servilibus consideratis iam remotus est. Exempli gratia, lavare in domicilio vestitum et exsiccare, olim pensa ardua, machinis se ipsa moventibus per nullum temporis vel virium e parte dominae sumptum nunc perficientur.

2. Quaestio similis per artificia (« do-it-yourself ») « quod tuipse fac » dicta, multis in domiciliis evenit. Usus parvorum instrumentorum ad lignum praesertim elaborandum, qui usus operam minimam requirit, occupatio requiescendi in vulgus grata devenit. Quibus studiosi viri se remittendi et artis modum eadem existimant, quamvis obiecta laboris servilis opera a maioribus tradita, e. g. supellex minor, et similia.

3. Actus particularis, an necessarius, determinandus disceptionem non exiguam, etiam in ephemeridibus saecularibus, commovet. Multipliciter nostra in societate magis magisque in dies plura negotia necessaria dicuntur: e. g. stationes radiophonicae et televidentes, lusoriae exercitationes professionales. Casus conscientiae non solum participantibus sed et pro spectatoribus eveniunt.

De Iuribus Humanis

Error peculiaris temporis nostri praesentis proclivitas ratione sentiendi et usu efficiendi individui et familiae Statui Civili obsequium totale. Adeo in regionibus democraticis homines dignitatem suam naturalem vel iura naturalia fundamentalia a suo Creatore collata ignorant. Status civilis tamquam iurium omnium humanorum auctor fingitur.

Quam ob rem proponitur quod iurium individualis personae atque familiae edatur synthesis quae nationum omnium integris hominibus inspirationis et normae sit.

Et clerus et fideles pergrati sunt multas ob litteras encyclicas profundas Summorum Pontificum recentiorum de hac re gravi; nihilominus multi confirmationem coordinatam atque constitutam de iuribus naturalibus fundamentalibus, quae generis humani libertatis privilegio esset, rogare videntur.

De Catholicis Ritus Orientalis

Dubium pastorale nostra in regione e numero ritus orientalis Catholicorum (Byzantinorum, Rutheniorum, Ukrainorum) provenit, quorum porta Ecclesiae sola in ritu latino invenitur.

Propter inopiam clericorum propriorum aedificiorumque ecclesiasticorum annis prioribus, vero usque adhuc, permulti orientales vel in ritu latino frequentant vel a fidei suae praxi desciscunt. Complures eorum fidem servantes in ritu suo sacra numquam frequentaverunt, deficientibus dictis facultatibus. Qui liberi scholis catholicis solum praevalentibus — scholis ritus latini paroecialibus — mittuntur. Quibus iuvenibus liturgia et pietatis exercitia solum ritu latino dabantur. Quam ob rem liturgia linguaque sui ritus ipsis omnino aliena erat. Circumstantiis mutatis ita ut ecclesiam proprii ritus frequentari possint, difficultates spiritales graviores oriuntur, praesertim tempore matrimonii ineundi vel puerorum baptizandorum. Porro, ipsa difficultas postero aggravabitur.

Quare, ab his catholicis ipsis ritus orientalis consilia dabantur, ut modus ritum mutandi simplificetur.

De Breviarii recitatione

Etsi Ecclesiae linguae antiquae amantissimi et officium divinum quam in Seminario ediscebant, magni existimant, sententia est generalior e parte cleri de beneficiis spiritualibus e lege breviarii recitandi mutanda evenientibus.

Inter alia submittuntur:

1. Recitatio Breviarii privata vel vulgari lingua vel latina fiat, secundum opportunitatem individualem.

2. Recitatio Breviarii privata de partibus recitationi in choro propriis (v. g. antiphonis, responsis, etc.), simplificetur.

3. Ut presbyteri multi malunt, revisio officii fundamentalior fiat, qua tempus obligatorium preci mentali vacandi, etiam forsan ad Rosarium recitandum, includatur.

✠ GULIELMUS M. DUKE
Archiepiscopus Vancuveriensis

✠ MARTINUS M. JOHNSON
Archiepiscopus tit. Cianensis
Coadiutor c. s. Archiepiscopi Vancuveriensis

48

Exc.mi P. D. IACOBI H. HILL

Episcopi Victoriensis in Insula Vancouver (Victoria nell'Isola Vancouver)

12 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Ad Commissionem Pontificiam Antepraeparatoriam Pro Concilio Oecumenico futuro, mihi videtur opportunum suggerere quaestiones sequentes quae in Concilio tractari poterunt:

1. Possibilitas definiendi, ut dogma Ecclesiae Universalis, doctrinam Beatam Mariam semper Virginem esse Mediatricem omnium gratiarum.

2. Tempus ad Sacramentum Confirmationis recipiendum extendatur, in iudicio prudenti Ordinarii, ad circiter duodecimum vel decimum tertium aetatis annum.

3. Possibilitas in compendium redigendi Officium Divinum ita ut lectiones in Matutinis contrahantur.

4. Opportunitas in compendium redigendi ritum in Ecclesiae consecratione, in altaris consecratione et in altaris portatilis consecratione.

Omni quo par est obsequio Excellentiam Tuam prosequor meque profiteor

Excellentiae Tuae Rev.mae
addictissimum

✠ Iacobus M. Hill
Episcopus Victoriensis in Insula Vancouver

49

Exc.mi P. D. PHILIPPI F. POCOCK

Archiepiscopi Vinnipegensis (Winnipeg)

Die 14 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris vestris die 18 iunii huius anni datis de rebus et argumentis in futuro Concilio Oecumenico discutiendis respondere festinat infrascriptus Ordinarius Archidioeceseos Vinnipegensis. Omnia huiusmodi melius peritis et doctis certe exponantur. Attamen intimum iudicium meum ab Eminentia Vestra benigne invitatum circa tribus rebus exponere non haesito.

Reaffirmatio doctrinae

Hodiernis temporibus ad aedificationem populi Dei et ad reconciliationem errantium cum Christi Ecclesia requiritur reaffirmatio doctrinae christianae modo non negativo ad errores eradicandos sed positivo et suavi ad veritatum pulchritudinem et coordinationem omnibus demonstrandum. Permulti enim sunt lucem quaerentes qui non attrahuntur damnationibus et anathemis olim haeresi et schismate formali requisitis.

Expositio caritatis

Illa caritas qua vera Ecclesia iuxta Dominum recognoscitur nostris diebus Summorum Pontificum verbis et exemplis magis magisque demonstratur. Eamdem caritatem Acta Concilii clarissime exponere et mirari possent ad eundem spiritum diffundendum in omnes fideles.

Manent enim inter plures iudicia temeraria necnon et suspiciones circa voluntatem et actiones omnium sine exceptione eorum qui extra Ecclesiam errant. Mala voluntas inter Christi inimicos adhuc certe existit. Tamen his in regionibus etiam illi qui Ecclesiam oppugnant ignorantia plusquam malitia inficiuntur.

Affirmatio dignitatis cleri saecularis

Insuper ad aedificationem Ecclesiae requiritur sanctificatio et multiplicatio cleri saecularis. Ad hoc requiritur ut dignitas huius status ab omnibus, praesertim ab ipsis sacerdotibus melius intelligatur. Nunc enim aestimatione populari apud nos saeculares censentur illi sacerdotes qui carent indole et pietate ad vota religionis emittenda. Clerus saecularis est status imperfectionis. Quamvis non explicite doceatur, hoc implicite insinuatur in libellis qui de vocatione ad sacerdotium et ad vitam religiosam tractant. « Status cleri saecularis bonus est, sed si vis perfectus esse, ecce status religionis ».

Notio participationis intimae et stabilis cleri saecularis in missione et conditione episcopi dioecesis non amplius docetur. Nec a fidelibus intelligitur quod quo intimior et stabilior est illa participatio, eo maior est dignitas participantis necnon et eius obligatio ad perfectionem interiorem, immo eo maiora sunt media ad perfectionem requisitam attingendam. Non raro inveniuntur iuvenes qui vitam religiosam validis rationibus amplecti nolunt, et eodem tempore quamvis signa vocationis pollent a clero saeculari se avertunt quia opinione sua est conditio aliquo modo imperfecta. Certissime, comparationes invidiosae inter clerum saecularem et religiosum revivificari non debent. Expositio autem positiva

dignitatis cleri saecularis auxilio esset tum sanctificationi sacerdotum tum augmentationi numero vocationum.

Eminentiae Vestrae animi sensus ex corde humiliter profiteor et omnia fausta a Domino adprecor.

Eminentiae Vestrae addictissimus
✠ PHILIPPUS F. POCOCK
Archiepiscopus Vinnipegensis

50

EXC.MI P. D. MAXIMI HERMANIUK
Archiepiscopi Vinnipegensis Ruthenorum (Winnipeg dei Ruteni)

Winnipeg, die 18 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Gratissimo animo acceptantes litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae e die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1475, invitantes omnes Episcopos cum omni libertate et sinceritate suas animadversiones, consilia et vota circa ea quae in futuro Concilio Oecumenico tractari debeant, humiliter per praesentes vota quaedam exprimere velimus:

I. Quoad unionem christianorum Orientalium dissidentium cum Ecclesia Catholica realisandam.

Ut unio ista, tam ardenter ab omnibus christifidelibus desiderata, iam certo certius in hoc Concilio sit obtenta, utile, et forsitan necessarium, nobis videntur:

1. Instituere commissionem quamdam theologicam, compositam e theologis catholicis et orthodoxis, ut simul, cum omni caritate, humilitate et patientia, perscrutent varia puncta litigiosa fidei et morum, et demonstrent omnibus christianis bonae fidei nova vice omnes veritates fidei catholicae esse vere revelatas et in deposito fidei contentas.

2. Sequi in ordinatione huius Concilii exemplum Concilii unionistici Florentini, ubi Episcopi Orientales dissidentes partem activam simul cum Episcopis Catholicis agere potuerunt. Talis modus agendi in his quaestionibus videtur maxime conformis requisitis psychologiae modernae.

II. Quoad sanctificationem festorum (III Praeceptum Decalogi).

1. Ut christifideles possint hisce diebus clare et practice distinguere inter opera prohibita diebus festivis et opera permissa, perutile

esset introducere in legem ecclesiasticam, loco distinctionis operum in « servilia », « liberalia » et « communia », aliam distinctionem, in strictiore relatione cum spiritu democratico societatis hodiernae, in harmonia cum evolutione actuali technica fere omnium generum laboris.

2. Extendere tempus utile pro adimplendo praecepto assistendi Missae die Dominica ad totum tempus liberum a labore concessum hodie fere ubique terrarum operariis sub nomine « week-end ». Tali extensione legis, ex una parte totum tempus liberum a labore esset quodammodo sanctificatum, dum ex altera parte talis extensio praeberet operariis maiorem facilitatem hanc legem observandi.

Dum deosculans Eminentiae Tuae Reverendissimae purpuram sacram, remaneo Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimus in Domino.

✠ Maximus Hermaniuk
Archiepiscopus Vinnipegensis Ruthenorum

51

Exc.mi P. D. ALBERTI LEMÉNAGER
Episcopi Yarmuthensis (Yarmouth)

Die 11 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Dignetur Eminentia Tua has recipere observationes quas, benigne rogatus, Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico considerationi humillime submitto.

I. *De Re Liturgica*

A) Sensus meus est quod Liturgia Catholica reverti debet ex toto ad linguam vernaculam, in his omnibus quae ad populum christianum spectant. Ratio est: a) Propter exitus experientiae factae his ultimis annis. Celebratio Missae hora serotina multum favet concursui fidelium, sed usus linguae latinae, de qua nihil intelligunt, fideles a caeremoniis protractis, praesertim, repellit. Textus in lingua vernacula est fidelibus auxilium non despiciendum, sed hos tamen relinquit quasi extra ea quae fiunt in sanctuario, ad modum assistentis spectaculo theatrico qui « libretto » utitur ad intelligentiam spectaculi.

b) Hodie, iuvenes praesertim nullum interesse habent in eis quae

non intelligunt. Cum litterae latinae fere nullibi in scholis publicis doceantur, generatio nova videt in usu linguae latinae in caeremoniis cultus divini aliquid antiquatum et, ut ita dicam, fere despiciendum.

c) Et quod dictum est in a) et b) pro Christi fidelibus qui nati sunt ex parentibus catholicis, multum magis valet pro neo-conversis ad fidem ex sectis protestanticis oriundis, qui hac in natione lingua anglica usque dum usi sunt in suo cultu publico.

Cum autem tale opus ingentem laborem praerequirit, mihi concedendum esse videtur quam primum quod Missa catechumenorum in verñculo sermone aut legatur aut cantetur. Ordo posset esse sequens: Celebrans, imo, alter sacerdos, non ad altare sed in cathedra sistens, praeest. Dirigit in primis cantus aut preces collectivas, etiam; postea legit epistolam et Evangelium, quae sequuntur animadversiones dominicales (prône), deinde, sermo ad populum. Quo facto, celebrans accedat ad altare et procedat ad Offertorium: Suscipe, Sancte Pater. Sumptis ablutionibus post communionem, revertitur ad linguam populi pro communione et postcommunionem seu gratiarum actionem, et Missa terminetur benedictione celebrantis. Evangelium « In Principio » dicat celebrans revertendo ad sacristiam aut in sua privata gratiarum actione quam nunc legit, Missa finita.

B) Sacram Eucharistiam fidelibus distribuendo, simpliciter dicat sacerdos « Corpus Christi »!

C) Adsit unus et idem textus in linguis modernis pro praecipuis precibus quae collective in ecclesia recitantur, sicut Ave Maria, Salve Regina, Veni Sancte Spiritus etc.

II. *De Religiosis*

A) Religiosi qui gaudent privilegio alicuius ritus specialis sese conforment ritui loci ubi sacrum faciunt quotiescumque celebrant pro populo aut coram illo.

B) Saltem in locis ubi catholici cum acatholicis mixti vivunt, sacerdotes religiosi et etiam monaci veste utantur in publico qua utitur clerus saecularis; religiosi autem laici utantur veste civili coloris nigri aut quasi nigri.

III. *De Potestate Episcoporum*

Mutatis temporum adiunctis, desiderabilis mihi apparet quaedam liberalior interpretatio potestatis Episcoporum:

A) In rebus spiritualibus: Ut Episcopus possit sine indulto concedere sacerdotibus suis facultatem bis aut ter litandi; indulgentias a

Sancta Sede determinatas imponendi obiectis sacris quin necesse sit ad Sacram Congregationem recurrere, etc.

B) In re iudiciaria: v.g. ut inquisitio de non-baptismo unius partis pro privilegio Fidei, a Curia dioecesana facta, habeatur ut sufficiens ab auctoritate Romana ad concedendum quaesitum Privilegium, quin sit necessarium praedictam inquisitionem Romam mittere. Videtur, enim, adesse paritas inter istam inquisitionem et illam quam praerequirit usus Privilegii Paulini. Hoc modo, sola petitio Privilegii Fidei mitteretur Romae, et fere nulla mora esset inter praedictam inquisitionem et concessionem Privilegii.

C) In re administrativa: Ut maior latitudo relinquatur Episcopis quoad mutuum contrahendum; et quando permissio requiritur, haec detur a Conferentia Episcoporum Nationis super quam caderet responsabilitas solvendi in casu infelicis exitus.

IV. *Diversa quaedam*

A) Ultima legislatio super ieiunium eucharisticum sacerdotibus permittit sumere liquidum una hora ante initium Missae. Computetur haec hora a momento communionis, sicut et pro fidelibus; secus enim, sacerdotes qui binant et trinant saepius privantur hoc privilegio, propter defectus temporis.

B) Facultas administrandi Sacramentum Confirmationis pueris in extremis concedatur omnibus sacerdotibus in ministerio pastorali, aut simpliciter revocetur.

C) Alumnis seminarii maioris magis enucleetur figura Christi Salvatoris ut apparet in Sacris Scripturis.

D) Docendo theologiam moralem, minus immoretur super genera et species peccatorum et maius momentum tribuatur praeparationi animae ad gratiam augendam vel obtinendam.

E) Ad Breviarium quod attinet, mihi videtur suggerendum esse quod recitatio privata possit pie absolvi in dimidia hora: Forsitan diceretur cum maiori devotione.

F) Suppressio festorum de praecepto qui non coincidunt cum feriis civilibus. His diebus, Missa laudabiliter audiatur.

V. *De Oecumenismo*

Si placet Sanctissimo:

1. Invitentur christiani dissidentes speciali sessioni Concilii in qua exponatur doctrina ab illis negata; quo facto, iterum exhortatio eis fiat ad Ecclesiam Christi ingrediendam.

Invitentur pariter ad quamdam sollemnem caeremoniam finalem in qua collective recitarentur *Pater noster,* in lingua latina necnon in diversis linguis modernis.

2. Instituatur Romae Officium Oecumenismi ad quod recurrere possent dissidentes, sive viva voce sive per litteras.

* * *

Haec considerationes Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico humiliter submitto.

Et qua par est reverentia, me referre gaudeo

Tuae Eminentiae addictissimum in Christo Iesu

✠ ALBERTUS LEMÉNAGER
Episcopus Yarmuthensis

52

EXC.MI P. D. SEBASTIANI BAGGIO
Archiepiscopi tit. Ephesini, Delegati Ap. in Canada

Ottawa (Canada), 29 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Alla venerata Lettera N. 1 C/59-1690 in data 13 luglio scorso, che mi invitava ad esprimere alla Pontificia Commissione Antepreparatoria per il Concilio Ecumenico in tutta libertà il mio pensiero sugli argomenti indicati in una precedente Lettera Circolare diretta ai futuri Padri del Concilio, mi affretto a dare, col Rapporto qui annesso, una risposta, che, consapevole della mia pochezza, avrei ben sicuramente lasciato ad altri ecclesiastici ben più qualificati di me, se non mi avesse sorretto la cordiale degnazione di Vostra Eminenza e il dovere di obbidirle.

Nello stesso documento Vostra Eminenza mi informava dell'invio della detta Lettera Circolare ai Prelati che saranno chiamati a prendere parte al Concilio.

Da alcuni Vescovi Canadesi ho sentito che stavano studiando i diversi punti della loro risposta. Dubitavano tuttavia di poter essere in grado di inviarla, redatta nella forma desiderata, per la fine di agosto, dato che i loro collaboratori di curia si trovavano generalmente in ferie.

Chino al bacio della sacra porpora, con sensi di profondo ossequio, passo all'onore di professarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima

dev.mo, obbl.mo e umil.mo servitore

✠ Sebastiano Baggio

Delegato Apostolico in Canada

Eminentissime Domine,

Humanissime per Litteras invitatus, quas Eminentia Vestra die 18 iunii huius anni, sub N. 1 C/59-1690, dederat, Summi Pontificis iussis prospiciens, humili obsequentique animo et conditionis meae memor, isti Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico submittere propero sequentia puncta, quae, una cum meliore virorum me peritiorum sententia, mihi non indigna viderentur quae prae oculis haberentur ad eiusdem Concilii argumenta apparanda.

I. *Quaedam doctrinae capita*

1. Ne haud pauci in re biblica docti catholici, sub influxu criticae novatorum et liberalistarum, eo usque perveniant ut Sacram Scripturam suo germano sensu penitus evacuent his non exceptis partibus quae arctius dogmati nectuntur, proponerem ut pressius definiantur momentum et limites eorum quae « genera litteraria » nominantur, nec non ut documenta doctrinae biblicae, quae praesertim duobus Encyclicis Litteris « Divino Afflante Spiritu » et « Humani Generis » complectuntur, ad summa capita seu principia redigantur, clarius et aptius nostris temporibus accommodata.

2. Eo quod non semel nec inconcinne Sacra Scriptura nuper in proprium omnium fere populorum sermonem reddita sit, Ecclesiae auctoritate rite accedente, atque amplius in dies diffusa, dum versio quae dicitur « Vulgata » sensim sine sensu desuescit, praesertim post novam ex hebraea lingua Psalmorum translationem in recitatione divini Officii introductam, suggerendum mihi videtur ut tandem deveniatur ad novam accuratiorem versionem latinam totius Sacrae Scripturae, quae officiali auctoritate ubique polleat.

3. Ad fovendam internam Ecclesiae unitatem et ad sat multa praeiudicia removenda quae reditum fratrum dissidentium in sinum Ecclesiae Matris praepediunt, quam maxime accommodata fore existimo tum organicum doctrinae de Corpore Christi Mystico digestum, tum clario-

rem enucleationem ac definitionem rationum inter hyerarchiam et charismata intercedentium in Ecclesia Christi.

4. Si futuro Concilio, Conciliorum anteactorum vestigia sectando, formaliter ac sollemniter anathematizare placuerit errores qui fidei et vitae christianae perniciosiores agnoscantur, hi mihi videntur prae caeteris explicitae condemnationi obnoxii:

a) Materialismus atheus;

b) indifferentismus religiosus nec non confessionalis;

c) irenismus in re doctrinali;

d) moralis doctrina quae dicitur situationis seu existentiae.

5. Cum haec quae agimus tempora propensius inclinari videantur ad revelationes privatas suscipiendas, quae, longe lateque diffusae, in discrimen saepe inducunt iudicium quorundam fidelium circa ortodoxam fidem et anxietatem parent conscientiae circa obligationes morales et ipsam cum supremo Ecclesiae magisterio cohaerentiam, bonum procul dubio arbitror si Concilium definiret harum revelationum ac devotionum naturam in eo quod spectat ad depositum fidei, ad cultum Deo praestandum et ad catholicam traditionem.

6. Item opportunas fore reor accuratas normas quae nimiam quorundam sollertiam nimiamque ingenii superficie tenus agentis facilitatem apte moderentur et compescant, quippe qui, nomen et auctoritatem a certis religiosis familiis insignibus vel sanctuariis generatim derivantes, sententias suas quam latissime divulgant atque improbo pondere aggravare minitantur illam probati magisterii ecclesiastici profundam, scitam ac piam sobrietatem, quae doctrinam et cultum Beatae Virginis Deiparae seu mariologicam exornat theologiam.

II. *Circa personas et res in Ecclesia*

1. Sicubi opportunum Concilium duxerit aliquid pertractare de quaestione illa quae certa catholici orbis plurimi interest, scilicet de Romanae Curiae venerabili structura modernis temporibus accommodanda, cunctorum in votis esse puto ut nova eiusdem ordinatio simplicibus ac perspicuis niteat lineis, ita ut potiores partes habeant quae actu exercentur munera eorumque momentum, non vero historicae vicissitudines, quae ceterum varias pro temporum varietate fuerunt. Liceat mihi, mentis meae patefaciendae gratia, haec humillime indicare:

a) Secretaria Status Sanctitatis Suae, cui adnectenda videretur forma extinctiva Sacra Congregatio a Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, principem obtineret locum, non autem ut nunc est postremum, inter cetera Apostolicae Sedis Dicasteria;

b) si forte Sacrae Congregationes de Disciplina Sacramentorum et

Rituum et Sacrae Congregationes Consistorialis et Concilii in duas tantum Congregationes coagmentarentur, videtur fore ut pleraque circa competentiam dubia et conflictus devitarentur uniusque mentis efficeretur iurisprudentia circa res aut vix easdem aut certe adfines;

c) sunt non pauci qui omnino congruam esse dubitent praesentem Sacrarum Congregationum Caeremonialis et Fabricae Sancti Petri, nec non Concellariae Apostolicae et Datariae Apostolicae ordinationem, quibus, ut iidem fatentur, conditio simplicium administrationum, utputa Bibliotheca Apostolica Vaticana, vel officiorum Secretariae Status adnexorum aptius conveniret.

2. Valde plures autem non immerito quaeruntur Italiam plus aequo praestantem locum tenere in Romanae Curiae curis et labore. Ab istis certe desideratur Decretum aliquod vi cuius italica negotia more institutoque ceterarum nationum apud Sacra Dicasteria pertractentur. Hinc Nuntiatura Apostolica apud Quirinalem et Conferentia Italorum Praesulum roborandae, aut organum ad hoc creandum quo Romanus Pontifex munus suum primatiale exercere valeat in Italia, haud secus ac per Vicariatum in Urbe Romanam dioecesim qua Episcopus potissime gubernat.

3. Attentis magni momenti innovationibus in socialem structuram et in relationes consuetudinesque humanas inductis hodiernis communicationis et diffusionis mediis, industriae tecnicis rationibus, nimio ac repentino urbanae vitae studio, urgere videtur par nec modica instituti canonici paroeciae innovatio, ita ut nostris praestet temporibus et exigentiis pastoralibus.

4. Circa disciplinam religiosorum sodalium, puncta super quibus novum Supremae Ecclesiasticae Auctoritatis examen undique expostulari dicerem, haec videntur:

a) revisio instituti exemptionis canonicae quoad unitatem apostolatus attinet et partes quas in eodem Hyerarchia iure et quidem divino sibi vindicat;

b) Sententia circa iuridicum et practicum momentum diversorum Coetuum Nationalium et Confoederationum Institutorum Religiosorum praeter Codicem passim constitutorum, qui interdiu videntur sese gerere tamquam organa Hyerarchiae parallela in religiosa nationis vita moderanda;

c) reformatio constitutionum quae totam spem ad sacerdotium accedendi adimet sodalibus religionum laicalium virorum, utpote historicis rerum adiunctis atque Ecclesiae necessitatibus non amplius accommodatarum;

d) ut prudenter sed efficaciter urgeatur processus adaptationis in

institutis religiosis mulierum, praesertim in iis quae habitum seu vestitum, traditiones non codificatas, vulgo « coutumier » dictas, peregrina nomina sororibus imposita respiciunt.

5. Circa legem in Concilio Lateranensi IV, cap. 21, statutam de praecepto paschali, liceat animadvertere quod in nonnullis regionibus — praesertim ubi anni tempora aut non distinguuntur aut aliter sibi succedunt ac in nostro hoc boreali emisphaerio — sacramentorum frequentatio longe magis crebrescit in aliis festivitatibus quam in paschali tempore. Submisse ergo proponitur ut Divinae Eucharistiae sumptio praecipiatur saltem semel in anno, nullo praefinito tempore.

6. In iis regionibus quo petunt immigrantes orientalium rituum et ubi eosdem longe pauciores versari accidit quam fideles ritus latini, normae canonis 98 et canonis 1097 § 2 Codicis Iuris Canonici saepius adversantur processui illi quem vocant integrationis, qui tamen maximi Status et Ecclesiae interest, atque talia rerum adiuncta inducunt quae periculosa ac implexa facile dignoscuntur sub aspectibus tam canonico tum pastorali, praesertim si catholicos cum acatholicis admisceri contingat.

7. Nonnullarum legum applicandarum ratio circa bona Ecclesiae temporalia nec non quaedam in lege lacunae ansam saepe praebent incertitudini, controversiis, interdum abusibus, iniuriis et scandalis. Quae permanenter vel ad tempus inde sequuntur rerum conditiones obicem haud raro, experientia testante, constituunt ipsarum vocationum ecclesiasticarum et religiosarum incremento. Velim igitur subordinate indicare convenientiam considerandi, inter cetera:

a) conceptum mensae episcopalis et ecclesiastici beneficii, qui immodicam videntur occupare partem in vigenti Codice, dum in certis conspicuis Christiani orbis regionibus penitus et sine damno ignorantur;

b) integram materiam circa stipendia Missarum et onera piorum legatorum;

c) taxas ecclesiasticas et iura stolae;

c) Stipendia seu honoraria clericorum beneficio carentium et sustentationem clericorum quiescentium;

e) Administrationem et collocationem bonorum institutis religiosis, maxime mulierum, pertinentium et non raro in ingentem molem congruentium.

8. Quin nimis preesse loquar prudentiaeque officiam, velim tandem addere quamdam iuris processualis reformationem esse in plurimorum Ecclesiae pastorum optatis eiusdemque nonnulla capita proponere, quae futuri Concilii considerationem forte mereri dignoscantur, nempe:

a) ut tribuantur tribunalibus ordinariis causae super matrimo-

nio rato et non consummato, circa validitatem suscepti ordinis sacri et onerum inde manantium, nec non ea quae applicationem privilegii Paulini et Petrini expostulant;

b) ut procedendi ratio specialis Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii hodierno mentis habitui communibusque iudiciorum normis quantum fas est accomodetur, potissimum ad secretum quod attinet, aut ab eiusdem abducatur competentia non modo causae et dispensationes matrimoniales, utpote controversiae de factis non vero de doctrina, sed etiam causae criminales contra clericos in re turpi, utpote disciplinam cleri respicientes;

c) ut semper detur facultas utrique parti in causa eligendi viam iudicialem apud tribunalia ordinaria aut viam administrativam apud diversas Congregationes pro diversis controversiis qui utramque admittunt;

d) ut inviolabilis reo convento praestetur securitas sese defendendi in quolibet casu, praesertim in iis qui modum procedendi ex informata conscientia admittunt et in accusatione sollicitationis ad turpia in confessione. Ad hoc autem crimen quod spectat, omnes ecclesiasticos ordines iuvare iudico si quando dispositiones canonum et decretorum ita corrigerentur ut ea omnia tollerentur quae apparent quasi publica et sollemnis praesumptio contra sacerdotes sanctissimo huic ministerio incumbentes;

e) ut processuales normae in causis beatificationis et canonizationis expeditiori cursu ac tenuiori apparatu procedant, dum e contra circa meritum causarum severius exigeretur iudicium quo proclamatio novorum Beatorum et Sanctorum in id praecipue intendat ut christianorum heroum virtutes magis elucescant et notam sanctitatis Ecclesiae luculentius ostendant atque in exemplum universae plebi fidelium cedant, non vero eorum ferme tantum qui statum perfectionis seu religiosum dum viverent amplexi sint.

III. *Circa Ecclesiae actuositatem multiplicis generis*

1. Nullum dixerim religiosum problema inter catholicos coetus omnes animis magis inhaerere disputationibusque magis agitari quam quod nomine venit « promotionis laicatus » seu « theologiae laicatus ». Peculiaris igitur definitio conciliaris aut quaelibet mentis suae aperitio super hoc argumentum omnium expectationi satisfactura omnibusque valde profutura videtur, quippe quae nova ac maxima auctoritate summam proferre poterit omnium quae Romani Pontifices, praesertim currentis saeculi, docuere circa Catholicam Actionem et laicorum apostolatum, atque perspicue statuere:

a) naturam muneris et officii laicorum ordinatim in apostolatu militantium;

b) horum vicem et rationem cum hyerarchico apostolatu;

c) terminos ac fines oneris seu responsabilitatis a laicis sponte susceptae eorumque authonomia, praecipue quod sphaeras socialem, syndicalem, oeconomicam et politicam attinet.

2. Alia quaestio, quae centum per hos ultimos annos maxime vexat altissimeque catholicos discerpit — non exclusis ipsis ecclesiasticis viris, theologis atque iurisperitis, immo nec quibusdam Hyerarchiae membris — ita ut saepe saepius ad irritum redigat virtutem et actuositatem quae hinc inde utilissime in Ecclesiae bonum pondere suo cederent, mihi videtur controversia, tum doctrinalis cum practica, de mutuis inter Ecclesiam et Statum relationibus.

In praesens etenim, summo Dei beneficio, Catholica Ecclesia floret, viget, colitur apud nationes non paucas nec parvas, quae aut minime catholicarum vocabulum merentur, aut quamvis catholicis moribus ab incunabulis imbutae, catholicam prae se ferant faciem, constitutione tamen politica ac legibus suis omnino profanae esse praesumunt, ita ut omnibus religiosis confessionibus eandem ac Ecclesiae libertatem eademque iura nulla facta discriminatione agnoscant. Vehementer hinc disputationes:

a) super religionem quam vocant Status, seu rempublicam confessionalem et tolerantiam seu pluralismum;

b) super regimen legitimae unionis Ecclesiae et Status, seu concordatus, et separationis utriusque, seu amici convictus;

c) super democraticam reipublicae gubernandae rationem et absolutam seu dictatoriam.

Universorum proculdubio christianorum hominum animi atque curae laxabuntur ubi primum providum Concilii placitum semel pro semper in periculosa hac re genuinam Ecclesiae doctrinam discernet a privatorum opinionibus.

Prout argumenti gravitatem decebat, superiores sententias proferre ausus non essem nisi oboedientia adigitus, matura praehabita consideratione, precibus effusis, collatisque consiliis cum binis ecclesiasticis viris huius Apostolicae Delegationis ab actis binisque eorum e clero canadensi auxiliatoribus.

Reliquum est, qua par est reverentia, Sacram deosculer Purpuram meque profitear

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimum

✠ Sebastianus Baggio
Archiepiscopus tit. Ephesinus
Delegatus Apostolicus in Canada

53

Exc.mi P. D. HENRICI ROUTHIER

Episcopi tit. Naissitani, Vicarii Ap. Grouardensis (Grouard)

McLennan, die 12 septembris 1959

Eminentissime et Illustrissime Domine,

Tuis honoratissimis Litteris, sub numero 1 C/59-1768, de die decima octava huius anni 1959, respondere mihi placet tibi communicando sequentes animadversiones et vota.

Circa relationes Rituum Catholicorum ad invicem

Nobis saepe visum est communicationem nimis deesse inter fideles et clerum ritus latini et eosdem de graeco ritu ad invicem: exinde enim nascuntur et suspicio et defectus mutuae cooperationis, ne dicam, aliquando, quaedam oppositio sive hostilitas. Dum nullus videtur utrimque fieri conatus ut aliquando fideles incitentur ad proprium ritum mutandum, accidit hanc rituum separationem creare, circa praesertim matrimoniorum celebrationem, in certis concretis casibus, graves difficultates. Ex quo scilicet Hierarchia graeci ritus in natione Canadensi constituta est, parochus graeci ritus regulariter praeesse nequit valide matrimonio quum uterque sponsus sit ritus latini, neque licite quum sponsus fuerit ritus latini, sponsa vero graeci. Et idem est pro sacerdote ritus latini, si praeesse debuerit matrimonio inter fideles ritus graeci.

In nostra autem regione, cum sacerdotes graeci ritus sint multo inferiores numero quam requireret conveniens ministerium erga fideles eiusdem ritus per immensa locorum spatia dispersos, quum fideles graeci ritus adeunt sacerdotem latini ritus, ille, facultatem non habens eos matrimonio iungendi, nisi illam obtineat mediante Delegatione Apostolica, post petitionem a suo proprio Ordinario factam, ab illoque Ordinario graeci ritus transmissam, qui tandem illam tradiderit Apostolico Delegato, Illeque via inversa suam responsionem remiserit, saepe accidit ut, nimia expectatione animo fracti, fideles ritus graeci matrimonium contraxerint coram ministro protestante.

Ideo valde prodesse nobis videretur si, loco huius strictae separationis inter ritus quoad matrimonia, pro casibus absentiae vel nimis amotionis sacerdotis proprii ritus fidelium matrimonio iungendorum, parocho loci valide procedendi matrimonio facultas concederetur.

De Parochis inamovibilibus

Potius nobis videretur, pro fidelium bono, si omnes parochi de loco moveri possent « ad nutum episcopi ».

De indulgentiis

Nobis etiam utile videretur si omnes sacerdotes illis facultatibus gauderent quae ordinarie per indultum, sive indulta, a Sancta Sede obtinentur, scilicet pietatis obiecta benedicendi eiusque consuetas indulgentias adiciendi, v. g. rosaria, crucigerum coronas, numismata B. Mariae Immaculatae, miraculosa dicta; item benedicendi cruces cum indulgentiis *de bona morte,* erigendi vias crucis, quin obligatio fiat ad Sanctam Sedem recurrendi pro omnibus huiusmodi privilegiis.

De Actione Catholica

Novimus utique Summum Pontificem cogitare de Litteris Encyclicis proxime mittendis circa Actionem Catholicam. Item scimus Actionem Catholicam esse participationem laicatus ad Hierarchiae apostolatum. Placeret autem nos praecisius instrui de iis quae mutuo competunt clero et laicatui in Actione Catholica, et ad quem usque limitem contingant iura laici.

De Liturgia

Perutile nobis videretur, pro meliori intelligentia ex parte fidelium, si Sacramentorum Baptismi et Matrimonii administratio integre fieret lingua vulgari, iuxta quoddam rituale a Sancta Sede adprobatum.

E contra, ob multiplicitatem linguarum fidelium simul Sacro Missae Sacrificio adstantium, non videtur expedire si ipsa Missa vulgari idiomati celebraretur, nisi forte, ad summum, quoad lectiones Epistolae et Evangelii.

De unitate inter christianos

Hanc unitatem quam ardentissime desideramus; nullo tamen modo videtur nobis obtineri posse nisi catholici catervatim curent fraternam caritatem colere et quidem in conspicuo gradu, fideliterque servent leges divinas et ecclesiasticas. Ad quem finem obtinendum de mediis sumendis, praecipue supernaturalibus, disputare sane oportebit. De quibus tamen nulla suggerenda mente habemus.

Tuae Eminentiae Reverendissimae addictissimus in Christo et Maria Immaculata,

✠ Henricus Routhier, O. M. I.
Episcopus tit. Naissitanus
Vicarius Apostolicus Grouardensis

54

Exc.mi P. D. IOANNIS F. O'GRADY

Episcopi tit. Aspediensis, Vicarii Apost. de Prince Rupert
(Prince Rupert)

Die 3 septembris 1959

Em.me et Rev.me Domine,

Forma specialis « apostolatus-laici » recenter in hoc Vicariatu Principis Ruperti instituta profectum quam admirabile iam habet. Ad aedificandas in his dissitis regionibus tam scholas elementares et superiores quam ecclesias, complures operarii, tamquam nucleus maioris conati sperandi, de sua industria gratis ad annum offerunt in omnibus artibus seu avocationibus mechanicis. De horum numero etiam quidam inveniuntur bene adepti ad indigenos catechizandos et docendos necnon et ad multa alia officia peragenda in adiutorium Sacerdotum missionariorum, atque ad haec munera de suo tempore libero laeti se impendunt. Hoc experimentum maximae utilitatis insinuat possibilitates fructuosissimas pro omnibus generibus necessitatum ad regnum Christi uberius propagandum. Specialiter est notandum quod tales « apostoli-laici » huic muneri inserviunt cum promptitudine et generositate vere mirabili cum semel conscii vel certiores facti sunt de huius apostolatus possibilitate et opportunitate. Videtur tunc quod de hoc apostolatu magis et magis intensive sit instruendum; et tamen quod haec functio inadaequate relinquatur aut individuis Rev.mis Episcopis aut pastoribus animarum propter eorum conctactum tantum occasionalem cum illis qui in futuro erunt superiores et duces in societate nostra.

Quam maxime conferret ad conscientiam de hoc apostolatu ditissimo excitandam, si de eius principiis doctrinalibus, de eius obligatione, necnon et de eius possibilitatibus tam ad sanctificationem personalem quam ad propagationem officiorum Ecclesiae instrueretur in omnibus nostris institutionibus educationis Catholicae!

Ergo, nobis videtur, precandum est utrum Patres Conc. Oecumenici futuri considerarent possibilitatem edendi, forsan per S. Congregationem Studiorum, directivas ad omnes nostras scholas superiores, ubique terrarum, tam ad academias et collegia quam ad ipsas Universitates, ut intructio comprehensiva de eodem « apostolatu-laico » alumnis tribueretur. Perspicuum est quantum proferret ad hunc apostolatum magis universaliter extendendum si alumni illi ex nostris institutionibus Catholicis discedentes praeter et supra eorum praeparationem ad vitam saecularem

degendam etiam de implicationibus apostolicis obligationibusque eorum Baptismi et Confirmationis tamquam membra activa Corporis Christi Mystici bene et optime instructi essent.

Gratias de officiis Tuis plurimas rependo impensosque animi sensus ex corde profiteor.

Eminentiae Tuae Rev.mae add.mus

✠ Ioannes F. O'Grady, O. M. I.

Episcopus tit. Aspediensis

Vicarius Apostolicus de Prince Rupert

55

Exc.mi P. D. IOANNIS L. COUDERT

Episcopi tit. Rhodiapolitani; Vicarii Ap. Vhitehorsensis

(Whitehorse)

Le 11 septembre 1959

Eminence,

Vous me pardonnerez, j'espère, d'être en retard à répondre à votre Circulaire du 18 juin, dont j'ai eu connaissance seulement à mon retour de ma Visite « ad Limina », concernant les suggestions qui devraient être envoyées à la Commission Antépréparatoire pour le Concile Œcuménique.

Permettez moi de soumettre humblement les suggestions suivantes:

1. Una Propagande appropriée devrait être organisée parmi les fidèles du Rite Latin pour leur faire mieux comprendre la position des Eglises Dissidentes, surtout des Eglises Orthodoxes (Grecques, Russes etc.) leur doctrine, leur Rite, leur crainte d'être latinisées etc.

2. Pareillement, une propagande devrait être organisée, avec tact et discrétion, parmi les adeptes des Eglises Orthodoxes pour leur faire connaître le désir sincère des fidèles de l'Eglise Catholique de les voir revenir à l'Unité de la Foi Chrétienne, sans pour cela leur imposer le Rite Latin ou des dévotions particulières en usage dans l'Eglise Latine, telles que l'Exposition Publique du Très Saint Sacrement, la récitation du Rosaire telle que nous l'avons, les Neuvaines populaires en pays latins, etc.

3. Une invitation spéciale devrait être addressée soit à des Séances du Concile lui-même, soit à des Séances de la Commission Antépréparatoire aux Patriarches ou Evêques les plus en vue des Eglises Dissidantes pour leur permettre d'exposer leurs vues, ou d'expliquer les raisons pour lesquelles les accords conclus au Concile de Lyon en 1247,

ou de Florence en 1445 n'ont pas été suivis de réunion permanente avec l'Eglise de Rome.

4. Quelques éminents théologiens devraient être députés au Concile Mondial des Eglises Dissidentes pour exposer la position de l'Eglise Catholique et avoir une idée plus adéquate des obstacles qui empêchent les non-catholiques, même de bonne volonté, de revenir à l'Unité de la Foi Chrétienne.

5. En ce qui concerne des pratiques rituelles dans l'Eglise Latine, on devrait une fois encore insister sur une plus grande participation des fidèles à la Messe, soit lue soit chantée. Tout en encourageant les fidèles, à la Messe Basse, à répondre aux prières du prêtre en latin, on pourrait, toutefois, permettre aux Fidèles de réciter en langue vulgaire le Kyrie, le Gloria, le Credo, le Sanctus, le Pater et l'Agnus Dei au même moment où le célébrant récite lui-même ces prières en latin. Peut-être même pourrait-on permettre aux fidèles de chanter ces mêmes prières, a la Grand Messe, tout en maintenant leur récitation en latin par le Célébrant. D'autre part, on devrait maintenir l'usage de la langue latine par le Célébrant durant toute la Messe, pour garder à l'offrande du Saint Sacrifice son caractère vraiment catholique, qui permet aux fidèles de toute langue et de toute nation, qui voyagent beaucoup de nos jours, de retrouver partout où ils vont la Messe telle qu'ils l'ont vu toujours célébrée dans leur pays.

6. En ce concerne la discipline ecclesiastique:

a) on devrait permettre à tous les Membres du Clergé de tous les pays, au moins quand ils sont occupés à un ministère actif, en dehors des Eglises ou de leurs résidences, de porter un habit plus moderne, bien qu'assez distinctif pour qu'il n'y ait pas d'erreur possible sur leur identité, par exemple le « Clergyman » ou habit noir ordinaire avec Col Romain en usage dans les pays d'Amérique et dans plusieurs pays d'Europe, tels que l'Allemagne, la Hollande, l'Angleterre etc.

D'autre part, là où cette existe déjà le Concile devrait exiger plus strictement le port de cet habit clérical minimum, et sévir contre la tendance opposée de revêtir, sous le plus léger prétexte, n'importe quel habit séculier (à moins de danger évident de persécution);

b) des normes plus spécifiques et plus sévères devraient être issues au Clergé pour restreindre leur participation *active* à des amusements mondains, tel que le Golf ou parties *prolongées* de pêche et de chasse avec des séculiers. Un temps plus précis de périodes de vacances, entré maintenant dans les mœurs de la plupart des gens, devrait être clairement spécifié, par exemple deux ou trois semaines par

an, avec faculté de cumuler cette période de vacances pour les missionnaires venant de régions éloignées, mais pas au dela de cinq ans, ni pour une période dépassant trois mois, à moins de cas exceptionnels réclamant une période plus prolongée à cause d'un état de santé délabré etc., et dont l'Evêque resterait le juge.

Faute de secrétaire, je trouve impossible de traduire en un latin convenable ces diverses suggestions, et vous prie de les accepter telles quelles, et de les transmettre à la Commission Antépréparatoire, si vous y trouvez quelque mérite ou utilité pratique.

J'ai l'honneur d'être de Votre Eminence le fidèle et dévoué serviteur dans le Christ et l'Immaculée.

✠ J. L. Coudert, O. M. I.
Evêque tit. de Rhodiapolis
Vicaire Apostolique de Whitehorse

56

Exc.mi P. D. MARTINI LAJEUNESSE
Episcopi tit. Bonustensis

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Acceptis nuperrime, summo cum gaudio, faustissimis nuntiis convocationis Concilii Oecumenici a D. N. Papa Ioanne XXIII feliciter Regnante mox adunandi, auditoque Eminentiae Vestrae desiderio colligendi propositiones ac vota Praelatorum quos can. 223 inter Patres Concilii enumerat, libertatem accipimus manifestandi puncta quaedam, non gravis forsitan momenti dogmatici, quae Nobis humillime viderentur fructuum spiritualium fontes non dubii.

Agitur quidem de negotiis disciplinaribus ad materiam sacramentorum et cultus pertinentibus, videlicet:

1. Utrum non deceret pietati Orbis catholici, inserere in textu Canonis Missae nomen Sancti Ioseph, Sponsi B. V. M. qui, iuxta Sacrum Evangelium, « putabatur » Pater Redemptoris.

2. Utrum non melius provideretur libertati conscientiae religiosarum mulierum, si in domibus earum, sedes confessionales collocarentur in parte Oratorii potius posteriori, ita ut ad Sacramentum Confessionis accedere possint maxima cum libertate psychologica, quin nempe, oculis totius communitatis pateant quae absolutione indigent.

3. Utrum itemque, ad huiusmodi libertatem securius tuendam, non conveniret instruere in collocutoriis Domorum religiosarum seu in loco facilioris aditus et ab oculis consororum remoto, sedem confessionalem ubi Religiosae mulieres possent a confessario occasionali sacramentum Poenitentiae petere modo magis discreto ac securo.

4. Utrum denique, sanctiones arctiores vel monitiones severiores praescribi non deberent respectu Superiorissarum quae interrogationes, vel animadversiones, indebite dirigunt ad Sorores quae sacram communionem, occasione quadam, non accipiunt, iuxta morem communem.

5. Utrum opportunum videretur prudentiae peculiares normas edere ad usum sacerdotum:

1) qui extra sedem confessionalem mulieribus vel puellis spiritus moderationem tradunt, inter quos iuvat nominare cappellanos Actionis Catholicae femininae;

2) necnon illorum qui tamquam cappellani, operam navant in sic dictis « campis vocationum » personis alterius sexus destinatis.

Enixe tandem Eminentiae Vestrae exprimere volumus ingentem laetitiam quam cordi nostro ingessit tam magni eventus nuntium pergratissimum.

Deo preces fundimus ut Eminentia Vestra ad exitum perfectum ducere possit praeparationem adunationis huius quae, iuxta vota totius Ecclesiae, fructus uberrimos gratiae producere valebit.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
in Christo addictissimus

✠ Martinus Lajeunesse, O. M. I.
Episcopus tit. Bonustensis

57

Exc.mi P. D. VALERIANI BÉLANGER
Episcopi tit. Cyrenensis, Auxiliaris Marianopolitani

Marianapoli, 20 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Tuas (Prot. N. 1 C/59-2358) recepi septembre incipiente. Cito Tibi respondeo transmittens puncta doctrinae et disciplinae quae breviter praeparavi Ecclesiae animarumque bono prospiciens.

Interim, faustis omnibus Commissionem Antepraeparatoriam prosequor et Sacram Purpuram Tuam humillime deosculans profundissimo obsequio permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
devotissimus servus

✠ Valerianus Bélanger
Episcopus tit. Cyrenensis
Auxiliaris Marianopolitanus

Puncta doctrinae

I - *Extra Ecclesiam nulla salus.*

Desiderantur:

a) Clara et theologica expositio sensus istius axiomatis.

b) Definitio conditionum quae requiruntur ut quis sit membrum Ecclesiae; simul circumstantiarum in quibus homines possunt salvari, etiamsi non sint visibiliter in Ecclesia.

c) Clariores normae de validitate Baptismi ut detur apud varias ecclesias christianas ab Ecclesia Romana separatas: praesertim de Intentione ministri aut de dispositionibus ex parte recipientis.

d) Doctrina actualis Ecclesiae de infantibus sine Baptismo defunctis. Quid valeat opinio « de intentione Ecclesiae aut matris ».

II - *Confessionalitas, neutralitas, non-confessionalitas, mixtio.*

Desideratur: Accurata definitio istarum quattuor locutionum.

Adhibetur « neutralitas », quando non agitur de rebus religiosis, vel sic designatur Institutum in quo docetur religio acatholica. Locutio « neutralitas » melius applicaretur Institutionibus in quibus omnes religiones habentur ut aequales. Locutio « confessionalis » reservari posset Institutis in quibus docetur religio aliquo modo officialis: sic domus scholaris anglicana iure vocaretur « confessionalis », quia ibi docetur anglicana religio.

Vocabulum « non confessionalis » reservari posset Institutis in quibus non habentur in elencho lectiones de religione, v. g. institutiones oeconomicae, sociales, sportivae, etc.

Locutio quae faciliter potest ingerere confusionem est vocabulum « mixtae », sic habentur religiones mixtae, scholae mixtae, matrimonia mixta, Instituta mixta, etc. In Iure canonico, determinatum est quid sit religio mixta per oppositionem disparitati cultus. Sed in aliis casibus, significantur personae quae habent religiones diversas, vel sexum

diversum. Schola mixta recipit iuvenes utriusque sexus, vel catholicos simul cum acatholicis.

III - *Doctrina socialis.*

Hodie, post documenta authentica a Sancta Sede pluries promulgata, habetur corpus doctrinae solidum. Utilissimum esset pro omnibus si Sancta Sedes Codicem Iuris socialis catholici, latina lingua descriptum, publici iuris faceret. Variae theoriae proponuntur in variis mundi partibus, sub iisdem locutionibus, sed cum sensibus diversis. Principia iam tradita, lingua latina haud mutabili concepta, eadem remanerent in omnibus terrae partibus, dum Ordinarii locorum applicationes facerent conformes circumstantiis peculiaribus suarum regionum.

IV - *Tolerantia.*

Desiderantur normae exactae quoad tolerantiam quae haberi potest in relationibus inter personas diversarum religionum. Principia debent esse bene definita, et Ordinarii locorum facultatem haberent illa applicandi iuxta conditiones uniuscuiusque nationis vel regionis. Specialiter « communicatio in divinis » exacte definiri debet, ut sciatur quid in praxi sit possibile, in multis manifestationibus socialibus cum quodam charactere religioso, v. g. caeremoniae publicae pro militibus defunctis in bello, pro benedictione vel inauguratione aedificiorum publicorum, pro conventibus oecumenicis, etc.

Puncta disciplinae

I - *Habitus clericalis.*

Oportet determinare quaenam sit obligatio deferendi hunc habitum in quibusdam circumstantiis, servata lege generali deferendi illum. Quid etiam sentiendum de obligatione deferendi Tonsuram, de simplicitate in cultu comae. Valde utile esset indicare normas generales, cum facultate Ordinariis relicta illas applicandi iuxta circumstantias locales.

Definiri posset obligatio deferendi vestem talarem pro celebratione Missae, necnon pro administratione Sacramentorum in ecclesia vel in publico; relinqueretur curae Ordinariorum locorum determinatio circumstantiarum in quibus tolleretur haec obligatio deferendi vestem talarem vel in genere clericalem, v. g. si lex alicuius nationis prohibet illam, vel in domibus privatis pro privata sacramentorum administratione.

Utile esset indicare normas ad determinandum quid sit habitus clericalis; v. g. collare romanum pro clericis in Ordinibus sacris; pro omnibus clericis, vestis coloris determinati, cum facultate relicta Ordi-

nariis dispensandi in casibus quibusdam, v. g. domi, vel quando quis non est in publico.

II - *Ieiunium et Abstinentia.*

Formula nuper inventa de ieiunio eucharistico multa commoda praebuit, speciatim multiplicandi Sacras Communiones. Analoga solutio de ieiunio ecclesiastico valde utilis esset.

Lex Ecclesiae generalis determinavit numerum dierum ieiunii et abstinentiae, sed magna diversitas habetur in diversis regionibus circa applicationem istius legis. Post bellum recens, in quo sublata est obligatio in multis regionibus, restaurata est aliquomodo lex generalis, sed imperfecte. Optandum ut clare determinentur in Ecclesia universali dies ieiunii et abstinentiae, quorum obligatio a solo Concilio plenario vel Caetu episcopali possit mutari.

Dispensationes datae a Sancta Sede in ultimis horis ante diem ieiunii vel abstinentiae accomodant legem generalem circumstantiis praesentibus. Sed incommoda praebent in hoc quod mutatur ultimo momento id quod praeparatum erat per plures hebdomadas. Praeterea, in magnis urbibus, damna non minima possunt sic causari institutionibus quae alimenta « maigres » comparaverunt.

Dies definiti ieiunii et abstinentiae melius essent fixi, non mobiles. Sic semper possent fideles praeparari isti diebus et alimenta convenientia possent comparari ante tempus.

Per modum exempli: servari possent ut dies abstinentiae feriae sextae in omnibus hebdomadibus anni; forsan feriae quartae durante Quadragesima. Quoad ieiunium, haberi possent feriae quartae et sextae Quadragesimae. Ieiunium in vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, possent collocari in Sabbato Quattuor Temporum immediate praecedenti; ieiunium Immaculatae Conceptionis anticipari posset ad Sabbatum Quattuor Temporum Septembris.

III - *Religiosi et Ordinarii locorum.*

Religiosi gaudent privilegio exemptionis. Sed hodierno tempore partem magnam habent in ministerio pastorali, in variis partibus istius; unde optandum ut definiantur clare relationes eorum cum Ordinario loci sub cuius potestate laborant in dioecesi. Sive agatur de ministerio paroeciali proprie dicto, sive de aliis functionibus eiusdem generis, v. g. munus cappellani in nosocomiis, in orphanotrophiis, professoris in collegio, etc. Clare definiri debent in quibusnam rebus, in his casibus, pendant religiosi ab Ordinario loci, quoad iurisdictionem, visitationem, correctionem, etc.

IV - *Collectae et stipendia Missarum.*

Quoad stipendia Missarum, optandum ut similia sint non pro unaquaque dioecesi, sed pro omnibus dioecesibus eiusdem regionis; aliter adest confusio sive admiratio fidelium. Omnes clerici, sive dioecesani sive religiosi, subiecti essent isti tabellae stipendiorum. Nulla publicatio pia posset petere ut sibi mittantur stipendia, nisi post approbationem ab Ordinario datam.

Quoad Collectas, notandum quod Mendicantes gaudent privilegio in dioecesi in qua domum habent. Quod si, in magnis urbibus, plures domos habeant, abusus praescribit mendicantibus ut licentiam obtineant Ordinario loci, sive habeant sive non habeant domum in dioecesi. Vitarentur sic damna quae occurrere possunt faciliter ubi habentur plures Ordines simul in eadem civitate; Ordinarius melius potest iudicare de modo agendi singulorum Ordinum, ut consulatur bono totius dioeceseos et Ordinum ipsorum.

✠ VALERIANUS BÉLANGER
Episcopus tit. Cyrenensis
Auxiliaris Marianopolitanus

58

EXC.MI P. D. CAROLI L. NELLIGAN

Episcopi tit. Phoenicii

Die 24 augusti 1959

Eminentia,

Magna cum humilitate volo facere suggestiones sequentes quoad futurum Concilium Oecumenicum:

1. Recitatio breviarii in lingua vernacula.
2. Simplificatio et terminatio brevi tempore mutationum in breviario.
3. Co-ordinatio universalis associationum iuventutis Catholicae.
4. Co-ordinatio universalis « Actionis Catholicae ».

Me profiteor servum humilem

Eminentiae Tuae in Christo

✠ CAROLUS L. NELLIGAN
Episcopus tit. Phoenicius

59

Exc.mi P. D. LEONIS BLAIS

Episcopi tit. Hieritani, Auxiliaris Marianopolitani

Ce 27 août 1959

Eminence Révérendissime,

Comme il m'est pratiquement impossible d'arriver à une traduction latine convenable avant le premier septembre, je sollicite la permission de présenter mon écrit en français.

✠ Léo Blais
Evêque titulaire de Géron
Auxiliaire à Montréal

Eminence Révérendissime,

Lorsque Sa Sainteté Jean XXIII fit connaître son intention de tenir un Concile Œcuménique où l'union de tous les croyants à l'Eglise catholique romaine serait particulièrement traitée, j'ai cru constater que cette invitation de Sa Sainteté faisait bien plaisir aux non catholique du diocèse de Prince-Albert, au Canada.

J'étais alors évêque titulaire de ce diocèse où seulement 17% de la population est catholique.

De retour de Rome, au commencement de mars, j'étais invité au poste de télévisione de Prince-Albert pour y parler de mon voyage à Rome. J'eus son de rapporter les dernières paroles que Sa Sainteté m'adressa, à la fin de l'audience qu'Elle m'accordait: « Une bénédiction spéciale pour les non catholiques de votre diocèse. »

Les semaines qui suivirent, bien des auditeurs tinrent à me dire combien les non catholiques avaient apprécié ces paroles du Pape.

J'ai véçu vingt-cinq ans dans l'Ouest du Canada où 23% seulement de la population est catholique. La conversion des non catholiques m'a toujours intéressé et préoccupé.

C'est la raison qui m'inspire à profiter de la bienveillante invitation de Votre Eminence pour exprimer mes vues sur le sujet.

Situation.

1. Je crois que la population non catholique est, en général, bien disposée à l'unité sous l'égide de l'Eglise catholique romaine.

2. Mais les écrits et les discours de bien des ministres protestants

ont répandu bien des objections, préjugés et erreurs. Et les protestants font beaucoup de propagande: littérature, radio, télévision.

3. Par ailleurs, dans ces milieux, bien des catholiques ne sont ni assez instruits, ni assez apostoliques pour expliquer ce qu'ils croient et pourquoi ils croient; pour répondre aux objections et faire tomber les préjugés.

Un certain nombre ont étudié la religion à l'école ou au collège ou au couvent, mais alors, ils apprenaient en « étudiants. » Pour pouvoir passer ces connaissances dans la pratique, en plein milieu de vie où il y a objections et questions multiples, il leur faudrait réapprendre leur religion avec une tête d'adulte, avec une autre tournure d'esprit.

Conclusion.

Une grande campagne d'instruction religieuse devrait être lancée, organisée, en vue de préparer l'adhésion à l'Eglise du Christ, en vue même de prévenir l'opposition que les ministres protestants pourraient organiser.

Campagne d'instruction religieuse.

I. Des « communiqués officielle » venant du Vatican, seraient lancés au monde entier par la presse et la radio, exposant les vérités que nous croyons. Communiqués clairs, brefs, positifs.

Ces communiqués pourraient porter sur ...

1) Le Christ « unique intermédiaire » entre Dieu et les hommes. Les non catholiques (et des catholiques) pensent que la Très Sainte Vierge remplace Notre-Seigneur comme intermédiaire ou ils ne comprennent pas que son rôle de « médiatrice de toutes grâces » puisse se concilier avec le Christ ...

2) Le rôle de la Très Sainte Vierge entre le Christ et nous.

3) Le Corps Mystique du Christ ...

4) L'Eglise vue comme l'extension du Christ dans le monde ... ou à la lumière de la doctrine sur le Corps Mystique.

5) Le Sacerdoce du Christ exercé dans et par les Evêques et les prêtres. L'Ordre n'est pas la multiplication du Christ, mais l'extension du Christ ...

6) La Bible et la Tradition: la Bible surtout, comme base des vérités enseignées. Bien des protestants sont surpris quand nous leur disons que les catholiques suivent la Bible. Ils pensent que nous ne suivons que la Tradition et l'Eglise.

7) L'autorité de l'Eglise pour interpréter la Bible et la Tradi-

tion, pour voir à ce que nous observions la Bible et la Tradition (commandements de l'Eglise et règlements divers).

8) Les mystères du Christ total dans et par la liturgie de l'Eglise. Nous recevons le Christ par les Evêques, les prêtres, les sacrements et les autres rites liturgiques.

9) Le culte des saints à la lumière de la doctrine sur le Corps Mystique du Christ.

10) Le vrai sens des Sacramentaux ...

11) Notre *vie* d'enfants de Dieu.

12) Les lois et règlements disciplinaires de l'Eglise... Que de catholiques ont l'impression que la religion change quand des détails disciplinaires changent.

13) La liberté.

14) La démocratie chrétienne: il y a tant de conceptions fausses, que ces théories peuvent avoir des conséquences sérieuses.

15) Le capitalisme. Personne ne doute que l'Eglise combat le communisme, mais bien des gens sont sous l'impression qu'Elle favorise le capitalisme.

16) Lois sociales de l'Eglise.

II. Tous les évêques seraient appelés à organiser cette campagne d'instruction religieuse dans leur diocèse.

Tous les catholiques du monde seraient appelés à faire cette étude des vérités fondamentales de leur religion.

III. Aux Etats-Unis, l'abbé John O'Brien, de l'Université Notre-Dame, Indiana, a organisé des « recensements catholiques » dans 35 à 40 diocèses, avec de très bons résultats. Sous ce titre « recensement catholique » sont contenus toute une technique d'approche des non catholiques et des catholiques non pratiquants, tout un programme d'éducation de ces gens après le recensement.

Pareil recensement ne serait-il pas pratique un peu partout dans le monde, à la suite d'une campagne d'instruction religieuse?

Conclusion générale.

a) Il y a quelques années, un ministre protestant lançait un livret « What's the difference? » sur des vérités fondamentales, il expose à sa manière ce que l'Eglise catholique romaine enseigne. De nombreuses erreurs!

Ensuite, il montre comment le protestantisme est autrement plus logique. Ce livret est très répandu. Il est comme le catéchisme de bien des ministres protestants pour enseigner la religion aux adultes et aux

enfants. Surtout, ce livret résume les erreurs et les préjugés répandus par les écrits et les discours des ministres protestants.

Si les constatations exprimées ci-dessus sont justes, je suis convaincu qu'une campagne d'instruction religieuse avec enseignement positif, contribuerait à la conversion des non catholiques.

b) Catholiques et non catholiques sont très intéressés, très attentifs, à ce qui touche à ce Concile Œcuménique. Il me semble que cet intérêt est humainement inexplicable. Dans ces circonstances, les communiqués officiels de l'Eglise sur les vérités fondamentales de sa doctrine pourraient attirer l'attention plus que jamais.

Cet enseignement ne serait pas nouveau, mais les circonstances dans lesquelles il serait lancé, sont, je crois, exceptionnellement favorables.

Puisse cette expression d'opinion, faite en toute confiance, assurer Votre Eminence de mon entière collaboration à l'œuvre de l'Eglise ainsi que de ma soumission filiale, en Notre-Seigneur et en Marie.

✠ LÉO BLAIS
Evêque titulaire de Géron
Auxiliaire à Montréal

60

EXC.MI P. D. LIONILLI AUDET

Episcopi tit. Thibaritani, Auxiliaris Quebecensis

I. *Ut sacer diaconatus Ordo in honorem remittatur ut in Ecclesia primaeva.*

Saepe Praesbyteri, praesertim in quibusdam regionibus, se fere totos tradunt ad res omnino saeculares vel oeconomicas, plurimas ob causas, et hoc, proh dolor!, ad detrimentum veri apostolatus sacerdotalis, uti evangelizatio et directio animarum, Sacramentorum administratio, necnon populi christiani spiritualis adsistentia.

Haec plurima et permagna officiorum quantitas aderat etiam tempore Apostolorum, sed « convocantes, autem, duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis » (*Act. Ap.,* 6-2) et elegerunt diaconos.

Si Diaconatus in honorem remittatur quoad functiones et mansiones diaconi proprias, ut fecerunt Apostoli in Ecclesia primaeva, certe Ecclesiae magnum redderetur auxilium! Praesbyteri in officia vere sa-

cerdotalia, orationem, ministerium verbi Dei melius ac fructuosiore condicione quoad tempus et substantiam, incumberent.

Non solum, sed, hoc modo, Sacrae Hierarchiae possibilitas daretur sibi consociandi optimos viros laicos impellendique, variis modis, ad apostolatum hierarchicum exercendum, vel saltem adiuvandum.

II. *Ut essentia Sacrificii Missae determinetur*

Sacrosancta Tridentina Synodus, formulis vere classicis et peropportunis, determinavit characterem vere sacrificalem, sensu proprio, Sanctae Missae, identidem affirmavit substantialem identitatem cum Sacrificio Sanctae Crucis, relate ad Ministrum Principem, Victimam quae immolatur, et effectus quos producit, sola offerendi ratione diversa, et ita fidem Ecclesiae impulit in verum Sacrificium, tamen eucharisticum et sacramentalem.

Nostra aetate, in qua magna datur renovatio liturgica et Sanctum Missae Sacrificium maximi faciunt Christifideles, Ecclesia optime ageret determinando eiusdem Sanctae Missae essentiam quoad Sacramentum et quoad ritum.

Valde optandum esset ut haec essentiae definitio ita concipiatur ut constituat veluti synthesim vel centrum mysteriorum christianorum. Oeconomia enim Redemptionis suam efficaciam et realizationem obtinuit in Sacrificio Crucis, quod suam perpetuitatem in Missae Sacrificio obtinet, ad consociandos omnes homines in unica immolatione S. Crucis, ad Caput et membra inter se mystice copulandos in uno Corpore Mystico, ita ut omnes possint suas adorationes, gratiarum actiones et propitiationes Deo optimo maximo offerre « per Ipsum, cum Ipso, in Ipso ».

Haec dogmatica definitio, intime coniuncta cum doctrina Sacrosancti Concilii Tridentini, unicitatem Sacrificii eucharistici et Crucis explanare et illustrare deberet, sicut et illustrare deberet exercitium semper vivens — mediante Ecclesia — imperituri Sacerdotii Christi, Verbi Incarnati, qui est unicus verus Mediator Dei et hominum.

III. *Ut religiosis institutio spiritualis, theologica, technica praebeatur*

Evolutio celerrima temporum condiciones mutavit vitae mulieris, a qua magis magisque, labor postulat culturam et technicam competentiam.

Religiones mulierum, varias ob causas, non semper se hodiernis necessitatibus accommodaverunt, unde graves exsurgunt consequentiae relate praesertim ad technicam competentiam, ad munera bene intellegenda nostrorum temporum, ad idearum prospectum amplificandum.

Et ita factum est ut multae Religiones, potissimum mulierum, gravi crisi vocationum laborent non solum ex eo quod vocationes raro inveniantur, sed etiam propter plurimas saecularizationes quae in sinu ipsarum Religionum accidunt, quia Sorores abstractionem faciunt a temporibus in quibus vivunt.

Solutio adaequata et inderogabilis et magis idonea videtur esse institutio spiritualis, theologica, technica omnino congruens necessitatibus nostrae aetatis.

Tempore Concilii Tridentini Ecclesia optimam reformationem actuavit cleri ope fundationis et multiplicationis Seminariorum Dioecesanorum. Huius generis reformatio, congrua congruis referendo, videtur esse imponenda relate ad institutionem religiosarum, quae vitam perfectionis amplexae sunt ad regnum caelorum dilatandum et roborandum.

Iam in variis Nationibus Sorores frequentant cursus academicos vel speciales, praesertim mensibus aestivis. Quaedam Facultates Catholicae cursus peculiares pro Sororibus instituerunt. In pluribus Dioecesibus exstant congressus, conferentiae, recollectiones in quibus agitantur problemata spiritualitatis et theologica pro Sororibus.

Nonne videretur imponenda esse omnibus Religionibus mulierum constitutio cuiusdam centri studii in quo Sorores a Professoribus bene peritis et prudentibus adaequatam institutionem spiritualem, theologicam, technicam accipere possint, quae has Christi sponsas ad peculiarem apostolatum sui Instituti impellat, magno fructu, suscipiendum et explicandum, potissimum vero si agatur de Sororibus quae apostolatum missionum, educationis, in nosocomiis... habeant?

IV. *Ut S. Thomas doctor communis spiritualitatis Christianae declaretur*

Saeculo transacto cum plurimae aberrationes philosophicae iacula sua ferre niterentur contra fidem catholicam, Ecclesia, sub ductu Spiritus Sancti, quam semper assitit, ope Summi Pontificis Leonis XIII, fideles omnes in fide confirmavit Litteris Encyclicis « Aeterni Patris ». Fructus vere optimos illae Litterae Encyclicae obtinuerunt, quia catholicos omnes impulerunt ad philosophiam christianam instaurandam ad mentem S. Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici.

Hodie res mutatae sunt. Non agitur de problematibus philosophicis explanandis, sed de ideologiis, quae potius spiritualitatem sapiunt, quaeque conantur homines cogi ad imperium orbis et spirituum, adversus Christum, adipiscendum.

Cum damna gravissima contra fidem proveniant ex diversitate opinionum et divisione spirituum circa has ideologias, ex quibus hostes Christi commoda periculosissima accipiunt, Pius XI, f. r., recurrere non dubitavit ad mentem unificatricem S. Thomae, quem edixit ducem studiorum non solum in Philosophia, vel Theologia dogmatica et morali, sed et in Theologia ascetica et mystica.

« Itaque — ait Pius XI — praeceptum de amore Dei quam late pateat, Caritas eique adiuncta dona Sancti Spiritus quomodo crescant, multiplices vitae status, ut perfectionis, ut religiosorum, ut apostolatus, quid inter se differant et quae cuiusque natura visque sit, haec et talia asceticae et mysticae Theologiae capita, si quis pernosse volet, is Angelicum in primis Doctorem adeat oportebit » (Enc. *Studiorum lucem*).

Nostris temporibus, cum homines vitae spiritualis cupidissimi sint, num dux communis spiritualitatis christianae aptior, prudentior, securior quam S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, inveniri potest?

V. *Ut lex ieiunii et abstinentiae in tota Ecclesia unificetur*

Translatio de urbe in urbem, imo de Natione in aliam, de America in Europam, facillima facta est.

Fideles aliquod reperiunt inconveniens vel difficultatem ex eo quod lex ieiunii et abstinentiae sit diversa in pluribus nationibus. Nonne unificatio videtur opportuna?

VI. *Ut tractatus « De delictis et poenis » in suis essentialibus principiis reducatur.*

Non modo fideles fere ignorant Tractatum « De delictis et poenis », sed et clerici non parvas inveniunt difficultates, data complexitate huiusmodi Tractatus.

VII. *Ut sacerdotibus privilegium liquidum sumendi ante Missae celebrationem abstractione facta a tempore antecedente Missam concedatur.*

Hoc privilegium potissimum utile est pro Sacerdotibus qui Missam binare vel trinare tenetur.

VIII. *Ut ordinariis locorum facultas, in sua dioecesi, binationem ferialem Missarum concedendi secundum necessitates pastorales tribuatur.*

IX. *Ut ante communionem formula brevi « Corpus Christi » uti possit.*

Ecclesia utitur pluribus formulis absolutionis, secundum necessitatem, scilicet: formula longiore, breviore et media.

Nonne videretur conveniens, in distributione Corporis Christi, potissimum ob magnum fidelium concursum, ut permittatur usus formulae contractae « Corpus Christi »?

Formula simplex, vel recitata vel modulata cantu: « Lumen Christi » in Sabbato Sancto, valde reperitur, ad devotionem excitandam in fidelibus, apta.

Nonne formula brevis « Corpus Christi » eandem devotionem in fidelibus ingenerare poterit si cum pietate recitetur?

✠ LIONILLUS AUDET
Episcopus tit. Thibaritanus
Auxiliaris Quebecensis

MEXICUM

1

EXC.MI P. D. FORTINI GÓMEZ LEÓN
Archiepiscopi Antequerensis (Antequera)

Oaxacae, die 2 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Pergrata Eminentiae tuae Rev.mae communicatione mensis iunii percurrentis anni attenta, in foliis adiunctis Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici humiliter proponimus ea quae maioris momenti tractanda in praedicto Concilio visa sunt Nobis.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae tuae, cui fasta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae tuae Rev.mae add.mus in Christo servus

✠ FORTINUS GÓMEZ LEÓN
Archiepiscopus Antequerensis

Quaestiones Doctrinales:

1. Definitio dogmatica Maternitatis spiritualis B. Mariae Virginis, necnon Ipsius Mediationis universalis et regalitatis.

2. Definire relationes inter Ecclesiam et Statum et competentiam Ecclesiae in rebus ad Statum spectantibus, et Status in rebus ecclesiasticis, ratione habita illegitimi interventus, non infrequentis, Status in rebus ecclesiasticis, necnon mutatae actitudinis multorum gubernium erga Ecclesiam.

3. Cum vero Protestantismus ubique, et maxime apud nos, nunc temporis impensius diffundatur, ipsius errorum summam iterum damnare, ut fideles facilius ab ipsis declinent. Idem dicendum quoad Liberalismum, Spiritismum, Modernismum et Communismum.

4. Definire quae ad essentiam pertinent in Sacramento Confirmationis, ut in eius administratione non paucae perplexitates vitentur.

Quaestiones Morales:

1. Reprobare vitia quae sequuntur: restrictionem natalitatis, sterelizationem, abortum et inseminationem sic dictam artificialem.

2. Reprobare manifestationes, seu sic dictos concursus, pulchritu-

dinis inter mulieres, quae manifestationes adversantur regulis christianae moralitatis.

3. Determinare authenticum conceptum Politicae et statuere competentiam Ecclesiae et Status in hac re.

4. Exarare Catechismum referentem doctrinam Ecclesiae et errores et vitia damnanda hac aetate grassantia, ut christifideles queant doctrinam et proprias obligationes, saltem summatim addiscere.

Quaestiones Disciplinares:

1. Clericis in mentem revocare oboedientiam et reverentiam superioribus hierarchicis ab ipsis exhibendam et ea quae iam sunt eis interdicta: negotiationem lucrativam exercere, collationibus profanis et oblectamentis popularibus, statui clericali alienis, interesse; associationibus culturalibus, socialibus, mutualistis, si sunt laicae, nomen dare; et collaborare, sine Ordinarii licentia, in foliis periodicis, cinematografo, radio et televisione; moderare aut interesse excursionibus, si solae mulieres assistant.

2. Commendare clericis regularibus ut in exercitio ministerii cum clero dioecesano collaborare valeant, salva observantia disciplinae religiosae, et, ut maior fructus fidelium attingatur, clarius exponere conceptum exemptionis religiosae, et, si casus ferat, eam ad regimen internum communitatum religiosarum restringere, ut Ordinarius localis valeat Pias associationes in eorum ecclesiis et publicis oratoriis erectas visitare, et etiam quae ad cultum et liturgiam spectant; et quoad collegia clericalia suorum alumnorum, nomen Seminarii non tribuant, cum tribuant, cum haec denominatio sit propria Seminarii dioecesani.

3. Ut autem instanti saluti animarum pro viribus consulatur, attenta actuali sacerdotum exiguitate, pluribus in locis invalescente, pro merito laudare alumnos Seminarii, ipsum curriculum theologicum iam vertentes, sicut et alios sacerdotes, ut in dioecesibus praedicta exiguitate laborantibus se conferant et ministerio sacerdotali sedulo incumbant, ut nunc fit, et quidem laudabiliter, in Hispania quoad dioeceses americanas, et in Guadalajara, quoad aliquas dioeceses Ditionis Mexicanae.

Iam vero, rerum adiunctis praesentibus, diligenter perspectis, opportunum Nobis videtur praefatas quaestiones Magisterio sollemni Ecclesiae, reverentia qua par est et obsequio, humiliter proponere.

✠ FORTINUS GÓMEZ LEÓN
Archiepiscopus Antequerensis

2

Exc.mi P. D. ALBERTI MENDOZA BEDOLLA

Episcopi Campecorensis (Campeche)

Pergratum mihi est Eminentiae Vestrae Rev.mae significare quod, meo iudicio atque ex parte huius dioeceseos Campecorensis, in Ditione Mexicana, proponi possit considerationi futuri Concilii Oecumenici, iuxta petitionem vestram in litteris mihi directis die 18 iunii huiusce anni.

a) Quod in unaquaque ditione summa poecuniae constituatur ut ex eius fructibus satisfieri valeat necessitatibus dioecesium, praesertim quod ad congruam sustentationem rectorum paroeciarum pauperrimarum, quae paroeciae valde pauperes in dioecesibus non desunt.

a) Quod in unaquaque ditione summa pecuniae constituatur ut ex

b) Ut dies festorum de praecepto, quae occurrunt intra hebdomadam, in dies dominicas transferantur, exceptis festis principalioribus, v. g., Circumcisio Domini; Sollemnitas Corporis Christi; Ascensio Domini; Nativitas Domini; Assumptio B. V. in Coelum; Conceptio Immaculata B. V.; S. Ioseph et festum Omnium Sanctorum. Ratio huius modificationis est quia dies festorum de praecepto, quando concurrunt intra hebdomadam, fere non servantur a Christifidelibus.

c) *Ut in media nocte* dierum primi ianuarii et vigesimi quinti decembris in omnibus ecclesiis paroecialibus et oratoriis publicis et semipublicis sacrum celebrari possit, servatis servandis, ut scandala et actiones minus rectae, quae fieri solent in hisce noctibus, minuantur et christifideles actibus pietatis et verae devotionis dent opera.

d) Ut non dedignetur Concilium dogma fidei Maternitatem Spiritualem B. V. declarare, iuxta preces quae fere de omnibus ditionibus ad Sanctam Sedem missae sunt.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
humilis servus

✠ Albertus Mendoza Bedolla
Episcopus Campecorensis

3

Exc.mi P. D. ANTONII GUÍZAR VALENCIA
Archiepiscopi Chihuahuensis (Chihuahua)

Die 2 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Nuntium ad me misisti de proxima celebratione Concilii a Beatissimo Patre Nostro Ioanne XXIII indicto, necnon de constitutione Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae eiusdem. Et insuper voluisti ut, si quae erat, ad te mitterem quaestionem in praedicto Concilio utiliter tractandam.

Ego autem, qua par est reverentia ac humilitate punctum seu quaestionem ostendo quod cum fructu, meo iudicio, a Patribus tractari potest, quodque respicit sacerdotes necessitatem in re oeconomica habentes.

I. *Facta*

In mea iam sat longa vita (80 anni a nativitate, 57 a suscepto sacerdotio et 39 a promotione ad episcopatum) multa quae cor lacerant vidi, relate ad sacerdotes provecta aetate, aegrotos, humiles (quos improprie clerum inferiorem vocant). En exempla:

1. Adhuc puer, vidi sacerdotem senem, in virtute probatum, vere humilem et meritis coram Deo plenum qui longos annos, usque ad mortem, in ultima indigentia et miseria vixit.

Sed in ea Dioecesi quotannis recipiebantur, sola habita ratione decimarum, quod hodie aequivalet 400.000 dollaribus, quando res fungibiles et omnia valorem habebant aequiparatum trigesimae parti valoris actualis.

2. Sacerdos factus, adhuc iuvenis, dum aegrotum in civitate Mexici visitabam, obviam habui Sacerdotem mihi notum, quem magno aestimabam. Interrogatus de salute, dixit se in eo esse ut perderet oculos. A suo Episcopo petisse licentiam veniendi in civitatem et pecuniam ad expensas. Licentiam quidem obtinuisse; non autem pecuniam, nisi 30 « pesos » (scuta), cum obligatione applicandi triginta Missas.

Pecuniam expendit in itinere et in diversorio. Tertio die transiit in nosocomio, ubi Director eum benigne suscepit. Medicus oculista dixit eum debere subire operationem uti vocant et, post aliquod tempus specialis attentionis, eum certe sanaturum esse. Omnia haec requirebant 1.000 pesos. Dum haec narrabat, sacerdos lacrimas effundebat, affirmans se nihil habere. Dedi pecuniam et promisi ulteriorem adiutorium

si necesse esset. Optimus sacerdos sanavit et per adhuc quadraginta annos pro salute animarum in ministerio paroeciali laboravit. Ante tres annos mortuus est.

3. In magna civitate Dioeceseos valde divitis vidi non semel sacerdotem senem caecutientem, legumina in publico foro mendicantem, ut eas ipse praepararet et manducaret.

4. Vidi praelatum (Monseñor) senem et aegrotum in nosocomio pro senibus. Nil habebat quo se a frigore defenderet, vestes laceras induebat et absolute carebat pecunia ut emere posset medicinas. Eum iuvavi usque ad mortem.

In illa Dioecesi, multi omninc percipiebantur reditus.

5. In nonnullis Dioecesibus, et quidem valde divitibus, dum aliqui sacerdotes magnos percipiunt fructus, maior pars clericorum humilium nihil pro propria et parentum sustentatione habent, nisi quod humillimus operarius infimae classis habere potest.

II. *Remedia proponuntur*

1. Sacerdotes incardinati manent propriae Dioecesi a die ordinationis usque ad obitum. Oportet ergo ut senio confecti congruam accipiant sustentationem usque ad mortem.

2. Sacerdotes aegroti recipere debent adiutorium ad valetudinem procurandam, et medicinas, nec derelinqui debent a proprio Episcopo.

3. Sacerdotes pauperes non debent in inopia vivere, praesertim si ceteri divitiis abundant, sicut homines saeculi.

III. *Rationes*

Prima: Caritas cristiana et sacerdotalis.

Secunda: Iustitia Socialis, hodie ubique proclamata.

Tertia: Officium Episcopi, qui omnium suorum sacerdotum Pater esse debet, ipsisque providere in omni ordine.

IV. *Quid in hac Dioecesi fit*

1. Ex voluntate Episcopi, sacerdotes senes recipiunt usque ad mortem remunerationem aequalem remunerationi Vicarii Cooperatoris. Et quidem per totum, si absolute sibi providere non possunt; vel ex parte, si aliqua officia exercere valent, ex quibus accipere possunt stipendia.

2. Gravi infirmitate confecti, ex voluntate item Episcopi, in nosocomio recluduntur, operationes subeunt, medicinas accipiunt, omnia ex expensis Dioeceseos.

Notandum quod, in hac Dioecesi, medici et Directores nosocomiorum generatim nihil vel parum pro hoc servitio postulant.

Etiam expensae exequiarum absumuntur a Dioecesi.

3. Sacerdotibus omnibus qui officium Vicarii Cooperatoris in pareciis exercent, congrua designatur remuneratio, ipsis dantur stipendia missarum, habitatio, victum, quod ipsos aequiparat hominibus classis mediae.

4. Ipsis paroeciis minoribus regularis designatur subventio pro sustentatione parochi.

V. *Undenam venit pecunia ad has expensas.*

Triplici via:

— Decimae quae in hac Dioecesi colliguntur.

— Reditus thesauri dioecesani (minimi quidem).

— Quod, ex nutu Sanctae Sedis, ad thesaurum dioecesanum pareciae divites mittunt, ex suis fructibus.

Addictissimus in Domino

✠ Antonius Guízar Valencia

Archiepiscopus Chihuahuensis

4

Exc.mi P. D. FIDELIS CORTÉS PÉREZ

Episcopi Chilapensis (Chilapa)

9 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Gratissimo corde, haec, etsi brevissima, ad Eminentiam tuam remitto, humiliter in mente revolvens aliqua quidem, quamvis inutilia, portare ad Antepraeparatoriam Commissionem pro futuro Oecumenico Concilio:

1. Ita novas tractationes quaestionesque Concilium et initiet et excitet, ut omnibus perspicuum sit Concilium Vaticanum, rerum angustiis adiunctorumque vicissitudine interruptum, continuari ac impleri hoc praesenti Concilio a Sua Sanctitate Ioanne XXIII renuntiato; et, si aliqua non sit in contrarium ratio atque opportunitas emicet, quae iam in programmate Vaticani cumulata et exarata fuerunt, assumantur, sicque continuitas insinuetur et patefiat.

2. Definiatur « Dogma Fidei » doctrina quae edocetur B. V. Mariam Matrem esse Spiritualem omnium hominum: « Ecce Mater tua ... ecce filius tuus » (*Io.* 19, 28). Re quidem vera, SS. Patres illam veritatem, definitiva sententia, sanxerunt, necnon fideles omnes, saeculis elabentibus, eandem fidem incunctanter proclamarunt. Et cum ita sit, in Angelica salutatione, ea in parte ab Ecclesia addita, ad verba: « Sancta Maria, Mater Dei », adiungatur: « Et Mater Nostra », ut de coetero, in Universa Ecclesia recitetur: « Ave Maria ... Sancta Maria, Mater Dei et Mater Nostra, ora pro nobis ».

3. In re Morali et Canonica: Codex I. C., iuxta recentissimas normas eiusdem extensivas, a Sancta Sede, inde ab anno 1918, promulgatas, habita semper de praesentibus necessitatibus et proxime futuris ratione, accurate riteque accommodetur et expleatur, quamvis, prout prudens ac possibile opinetur, etiam de novo producatur: v. gr. poena contra clericos negotiantes, S. C. Conc., 22 martii 1950; poena adversus episcopum contra can. 953 procedentem; normae ad can. 782, in Decret. « Spiritus Sancti Munera », S. C. Sacram., 14 septembris 1946; normae ad cann. 808, 858 et 821, *Motu Proprio* Pii XII, 19 martii 1957; normae de Musica Sacra, « Musicae Sacrae Disciplina » Pii XII, 25 decembris 1955 et Instructio S. C. R. « De Musica Sacra », 3 septembris 1958, etc.; normae de ordinandorum scrutinio, S. C. Sacram., 27 decembris 1930.

4. In Missali: aliquas orationes reformare, v. gr. Sanctae Catharinae Virg. et Mart., die 26 novembris, aliasque aliquantulum reducere vel polire, v. gr. Sanctae I. Franciscae Fremiot de Chantal die 21 augusti: non est obvia ratio de miraculis sanctorum in eorumdem orationibus citandis.

5. In Breviario: In lectionibus II Nocturni ea expurgentur quae stricte historica non sunt, et ita contrahantur historica ut quae abundant aspernentur, quaeque nobis ad virtutem proficiunt, concise enarrentur. Exoptandum tandem nobis esset ut, cum penuria Sacerdotum perpenditur, quae magna erit et diuturna, officium divinum ita imminuatur, ut quamprimum, secluso pietatis detrimento, finiatur.

6. In Sacramentis conficiendis: facultas largiatur ut Baptisma, Confirmatio et Extrema Unctio, vernacula lingua, in parte qua possibile est, ministrentur.

7. Ad maiorem Dei gloriam bonumque animarum, quacumque diei hora, servatis de iure servandis, litare concedatur.

8. In re liturgica: congrua legislatione Codex Liturgiae componatur nec non et exaretur sive seiunctim sive coniunctim cum *C.I.C.,* iuxta Encyclicam *Mediator Dei* Pii XII, 20 novembris 1947 et Instructionem

S. C. R. de Sacra Liturgia, 3 septembris 1958. Episcopis autem et Ordinariis locorum, in dissitis et pauperibus regionibus constitutis, facultas donetur ut in Pontificalibus Missis tres tantum adhibeant ministros, deficiente aliorum copia; et sine rochetto et tunicellis Sacra peragere, cum pondus aestus intolerabile sit.

9. In Seminariis et Athenaeis: Moderatores spiritus et Magistri curam habeant non tantum scientias humanitatesque erudiendi ad Sacerdotium candidatos, sed etiam ad sanctitatem illos erigant et perducant, ut, virtute et scientia splendentes, ipsi lux mundi sint et sal terrae, sacerdotes ad Cor Dei, veri verbo et opere apostoli, Christi odorem ubique propagantes.

Interea tandem, quo capax sum fervore parique instantia Deum confidenter precor ut eventus celebratio ad felicem terminum inducat opimosque fructus Oecumenicae Dei Ecclesiae indesinenter consecret.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus

✠ FIDELIS CORTÉS PÉREZ
Episcopus Chilapensis

5

EXC.MI P. D. EMMANUELIS TALAMÁS CAMANDARI
Episcopi Civitatis Iuarezensis (Ciudad Iuárez)

Die 25 martii 1960

Emmanuel Talamás Camandari, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Civitatis Iuarezensis, humiliter subicit sapientiae et auctoritati Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici, sequentes, quas faciendas putavit, propositiones; quae quidem quinque foliis praesenti adnexis continentur.

✠ EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Iuarezensis

1. Suppressio obligationis abstinendi ab omni opere servili diebus — festis de praecepto intra hebdomadam recurrentibus; exceptis die festis de praecepto intra hebdomadam recurrentibus; exceptis die festo Nativitatis Domini et die festo Circumcisionis, eo quod sit initium anni civilis; manente, tamen, illis in diebus, obligatione audiendi sacrum.

Ratio: Quia, quoad scimus, fere in universo orbe tale praeceptum, talibus diebus iam omnino non servatur, et inutiles hucusque fuerunt conatus instaurandi observantiam talis obligationis. Praeterea, hoc videtur exigere complexa laboris organizatio necnon angustia oeconomica temporum, quo fit ut una alterave ratione fere omnes fideles persuasos esse necessitate laborandi illis diebus se obstrictos esse.

2. Imminutio dierum intra hebdomadam recurrentium in quibus obligatio maneat audiendi sacrum.

Obligatio audiendi sacrum potest, manere diebus Circumcisionis Domini — eo quod sit initium anni civilis — Sanctissimi Corporis Christi, — ad colendam, modo solemni, memoriam tanti Mysterii, — Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, — ad Primatum Petri patefaciendum et ad Sancti Petri obolum colligendum, — Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis et Nativitatis Domini.

Ratio: Grave mandatum audiendi sacrum, praefatis diebus, a paucis omnino christifidelibus nunc servatur propter praedictam necessitatem laborandi, forte, si imminuuntur tales dies, melius et facilius mos observandi tale praeceptum instaurari possit.

3. Licentia sacrum litandi quacumque hora diei sive noctis in favorem populi christiani; immo, etiam sola ratione personalis devotionis quando sacerdos vel aegrotat vel in itinere est; et, hoc in casu, etiam in diebus initii vel finis itineris.

Ratio: Primi: Si enim finalitas permittendi celebrationem sacri horis vespertinis est fovere vitam christianam, et speciali modo vitam et devotionem eucharisticam inter fideles, eadem ratio militat pro quacumque hora diei sive noctis si in commodum fidelium semper est. Praesertim in magnis civitatibus, ubi plures operarii, diversis horis diurnis et nocturnis, laborem impendunt in fodinis et magnis officinis fabrilibus, celebratio sacri horis postmeridianis et nocturnis perutilis eorum pietati fore videtur.

Ratio: Secundi: quia sacerdotes ita nocte pluries aegrotant ut per totum mane in lecto manere debeant, ita ut vespere iam frequenter possint sacrum litare, et eis durum sit iam tali hora non licere.

Ratio: Tertii: quia pluries iter ita mane aggredi debent vel utilis est, ut tempus sacrum litandi, vel facilitas, absit; et iam solum vespere vel nocturnis horis possibile sit sacrum litare medium iter facienti vel integrum absolventi. Durum, praeterea, est pio sacerdoti quacumque de causa non litare.

4. Licentia Sacram Synaxim administrandi christifidelibus quacumque hora diei sive noctis, etiam extra Missam, servata disciplina nunc vigente ieiunii eucharistici.

Ratio: Quia licentia hac numerus fidelium ad Sacram Synaxim accedentium notorie augeretur; et, servata praesenti ieiunii disciplina, sufficienter providetur reverentiae Sanctissimo Sacramento debitae.

Praeterea, nostris in regionibus accidit paroecias amplissimum territorium comprehendere ita ut difficile sit vel impossibile, v. gr., prima feria sexta cuiusvis mensis, sacrum litare pluribus in locis, dum sacrae communionis distributio multoties facilis sit.

5. Nova ordinatio totius rei oeconomicae in universa Ecclesia modernis necessitatibus adaptata quae includat:

a) Retributio oeconomica clericorum omnium — etiam episcoporum — quantitate aritmetica, — vel, saltem, quantitate proportionali: dimidia, quarta, decima pars proventuum, — determinanda, pro diversitate temporum vel locorum, ab episcopo eiusque capitulo pro clericis non episcopis suae dioeceseos, et ab archiepiscopo cum episcopis suffraganeis, adprobante Sancta Sede, pro seipsis et caeteris episcopis, si qui adsint, eiusdem provinciae ecclesiasticae.

b) Redactio administrationis rei oeconomicae paroeciarum necnon caeterorum beneficiorum ecclesiasticorum in quamdam unitatem magis dioecesanam ita ut aequilibrium maius et minor inaequalitas oeconomica intra ipsas paroecias et inter paroecias et ipsam dioecesim obtineatur.

Ratio: Quoad a) Quia determinata quantitas retributionis oeconomicae:

1) vitat quod unus quidem clericus esuriat dum alter quidem ebrius sit; propter nimiam, scilicet, differentiam quantitativam beneficiorum quae dari solet;

2) vitat privatam interpretationem propriarum necessitatum clerici eiusque familiae a bonis beneficialibus sublevandarum;

3) vitat nimiam inaequalitatem oeconomicam inter clericos quae faciliter invidias excitat necnon aemulationes et ambitiones;

4) ita efficacius necessitatibus pauperum vel institutionum paroecialium et dioecesanarum providetur, cum omnia arithmetice determinata sint, nec confusioni locus sit inter bona clericis et bona piis operibus pertinentia.

Quoad b) Unitate magis dioecesana administrationis oeconomicae paroeciarum:

1) vitatur nimia inaequalitas oeconomica inter paroecias quae saepe multa mala secum affert;

2) fundationi earum institutionum quae ipsi dioecesi necessariae sunt facilius providetur; et quidem illis in locis ubi melius propriam functionem exercere valeant.

6. Religiosorum exemptio, quamvis mensura quadam necessaria est, prout nunc exstat, videtur indigere reformatione qua religiosi facilius ab ordinario loci in quo degunt, induci possint ad apostolicum laborem inter fideles exsequendum sub una communi ordinatione pro tota dioecesi statuta.

Ratio: Nimis notum est enim, quam ingens damnum Ecclesia patiatur eo quod unusquisque per suam viam incedat nisi in quamdam veram unitatem, etiam finis proximi et forte mediorum adhibendorum omnes conatus redigantur; quae unitas, utique in varietate moderata, melius a proprio ordinario in unaquaque dioecesi intenditur et praescribitur.

7. Nimia adest concentratio religiosorum in magnis civitatibus, dum amplissimae regiones sub unius alteriusve sacerdotis cleri dioecesani cura inveniuntur; ideo urget perutilis laboris apostolici religiosorum extra magnas civitates maior diffusio; maxime cum et ipsi, propter communem vitam, maiore protectione quam sacerdotes dioecesani pollent.

Ratio: Concentratio religiosorum in magnis civitatibus factum est nimis notum. Diffusio autem extra magnas civitates ampliori mensura videtur esse omnium episcoporum clamor.

8. Ut can. 1098 *C.I.C.* effectum suum non sortiatur, scilicet valide et licite matrimonium contrahendi, extra mortis periculum, coram solis duobus testibus, nisi prius obtenta sit licentia, — via telephonica aut telegraphica vel in scriptis missa (per la posta) aut quacumque alia via, — et quidem ad casum, a proprio parocho vel ordinario; onere imposito fidelibus contrahentibus ut constantia celebrationi matrimonii scripto exarata et a seipsis et a duobus testibus subsignata, quamprimum mittatur ei a quo licentia concessa fuit.

Ratio: In praxi, can. 1098, prout iacet, multis et quidem inextricabilibus difficultatibus viam pandit, praesertim quando coniuges, qui tali modo matrimonium contraxerunt, iam ab hinc multis annis separati sunt et unusquisque in suam viam abiit ita ut vitam maritalem cum alia persona ducat cum qua nunc contrahere vult in facie Ecclesiae. In tali casu, hodie, proh dolor, frequentissimo, difficile admodum est demonstratio primi matrimonii, cum nullum documentum exstat officiale; et forte testes, coram quibus matrimonium contractum fuit, in longinquis regionibus degunt ubi ignoratur voluntas coniugum contrahendi cum alia persona; vel, forte, mortui sunt; vel, nemine sciente, in viam suam abierunt.

Insuper: difficillimum est, et aliquando vere moraliter impossibile, post decem, vel viginti, vel triginta annos et amplius, iudicare de realitate adiunctorum, et quidem in regione longinqua verificatorum, a ca-

none 1098 requisitorum ad hoc ut effectum suum sortiatur extra mortis periculum. Exinde dubia multa et anxietates circa valorem talis matrimonii, quod nunc impugnatur eo quod unus coniugum vel ambo vitam maritalem cum alia persona iam ducunt. Ideo maxima utilitas, ne dicam necessitas, iudicandi de adiunctorum verificatione in momento in quo matrimonium iniri debet, ad quod optime iuvat licentia hic proposita a parocho vel proprio ordinario obtinenda. Si vero tempore persecutionis religiosae in aliqua regione ordinarii vel parochi absunt, tunc Sancta Sedes alio modo providere potest iuxta circumstantias temporum vel locorum.

9. Ut authentice declaretur in Codice Iuris Canonici, non requiri ad hoc ut effectum suum sortiatur canon 209, quoad suppletionem iurisdictionis ab Ecclesia, in errore communi, pro foro tum interno tum externo, ut numerus maior minorve fidelium iam de facto in errorem incidisse circa iurisdictionem talis personae, ad hoc ut error « communis » evadat; sed sufficere a persona iurisdictione carente solam positionem talis actus qui poni solet a personis iurisdictionem habentibus, et ideo quia habent; v. gr. sedere in confessionali sede.

Ratio: Sic enim finis imponitur disputationi inter canonistas de hac re magni momenti existenti, sententiam seligendo, prout nobis videtur, in praxi securiorem et minoribus difficultatibus obnoxiam.

10. Nova structura pro Breviario Romano desideratur, praesertim cum iam nunc fere ab omnibus recitatur privatim, et ideo, saltem a privata recitatione videntur omittendae repetitiones illae quae magis ad recitationem vel cantum choralem spectant.

Item: suppressis multis quae ad vitam vel mortem sanctorum, praesertim martyrum, pertinent, et quae nunc videntur constare non esse stricte historica; desiderantur, quantitate maiore, lectiones eorum Bibliorum Sacrorum, necnon documentorum Sanctorum Patrum et Summorum Pontificum quae magis directe et explicite ad fovendam et augendam spiritualem vitam in sacerdotibus concurrunt.

Forte etiam potius quam divisio « horarum » quae iam nunc fere numquam servatur quoad tempus recitationis; magis consonet exaratio et divisio partium breviarii secundum actiones vel quasi necessitates vitae sacerdotalis quotidianae; v. gr. « ante missam » quasi obligata praeparatio ad sacrum celebrandum; « post missam » quasi obligata gratiarum actio; « lectio spiritualis », seu lectionum complexus ex libris supra notatis, quacumque hora diei habenda; et pars ultima, forte ad occasum diei recitanda, in qua affectus praeparatorii examinis conscientiae necnon poenitentiae pro commissis et omissis una cum proposito firmo cum laetitia semper Deo serviendi includi possunt.

Ita videntur et recitatio Breviarii et vita sacerdotalis magis adhuc inter se cohaerere.

✠ EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Iuarezensis

6

EXC.MI P. D. IGNATII DE ALBA Y HERNÁNDEZ
Episcopi Colimensis (Colima)

Die 12 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Postquam Tibi maximas gratias agam, ea tantum quae ad utilitatem Ecclesiae Universalis hic et nunc exigere videntur tempora, et maioris momenti esse credam, breviter Tibi exponam et dicam.

Prae oculis clare teneo, si perspicue Summi Pontificis mentem interpretare valeo, *unitatem maximam Ecclesiae* sub Supremo Pastore absolute necessariam esse. (Proinde in schemate hoc adnexo, sub n. 7, quoad disciplinam huius temporis, aliquid de argumento dixi).

Saepe etenim, aut multis in locis urgens sive sacerdotum in genere sive alicuius in determinata materia valde periti necessitas habetur; aut aliquoties etiam sacerdotis lamentabilia peccata, proh dolor!, ipsum inhabilem ad ministerium reddunt tum propter ipsa peccata cum propter acquisitum complexum sic dictum inferioritatis; aut, tandem aliquando, sacerdos aliquis propter rixas, dissensiones, et caetera, inconvenienter revera in propria dioecesi manebit.

Tunc, omnibus iisce in casibus, — misericordia Sanctae Sedis vitam in alia dioecesi faciendi novam occasionem praebens sacerdoti (quod saltem indirecte solatio Episcopi et ipsius sacerdotis erit cum innegabili populi christiani utilitate), *Unitatem* magisterii et regiminis universalis clare illuminabit.

Auctoritas Summi Pontificis de facto in omnibus episcopis et sacerdotibus exercita, maximum adiutorium nobismetipsis erit, et coram mundo verum et magnificum spectaculum fortitudinis et Unitatis.

Quae omnia, reverenter et coram Deo, Eiusque omnino intendens Gloriam, dico.

Et Deus ...

✠ IGNATIUS DE ALBA Y HERNÁNDEZ
Episcopus Colimensis

Colima (in Messico), 12 septembris 1959

Quoad doctrinam

1. Ea quae in schemate Concilii Vaticani erant, et neque in Concilio neque postea resolutionem habuerunt, definire.

2. Doctrinam perpendere, et in casu, Universalem Mediationem Mariae, eiusque Spiritualem Maternitatem, *ut Fidei Dogmata definire.*

3. Mutuis relationibus (armoniae et subordinationis) Theologiam inter et Sacram Scripturam studere easque declarare.

Quoad disciplinam

1. Ad remotionem parochorum ea omnia quae respiciunt, *ad simpliciorem formam* intuitu maioris fructus et utilitatis in sacerdotali ministerio reddere.

2. Concursus ad beneficia obtinenda *supprimere.*

3. *Integram* revisionem *religiosae exemptionis* facere.

4. Item de *disciplina* religiosarum.

5. Privilegium altaris portatilis *facilius* reddere ita ut eo, *pro ipsius etiam tantum sacerdotis celebrantis ultilitate* (tempore praesertim vacationum) frui possibile sit.

6. Problemati Cleri (novi praesertim) spiritualis attentionis, *practicas solutiones invenire,* iis in locis et circustantiis praesertim ubi clericorum vita communis impossibilis sit.

7. Maximum studium *pro directa interventione Sanctae Sedis circa Dioecesanam activitatem* (clericorum et laicorum) facere.

Unitas Ecclesiae eiusque practica et Universalis Auctoritas, sic, maxima cum utilitate, *resplendebit.*

8. *Iuridicam figuram Actionis Catholicae* (technice consideratae) statuere.

✠ IGNATIUS DE ALBA Y HERNÁNDEZ
Episcopus Colimensis

7

EXC.MI P. D. LINI AGUIRRE GARCIA
Episcopi Culiacanensis (Culiacán)

Culiacan Sinaloa Mexico, in mense aprile an. 1960

Caput I

1. Optandum est ut Concilium declararet in quo consistat sanctitas sacerdotalis et in quo differat a statu perfectionis ad quem religiosi tendere debent.

Rationes:

a) Scriptores religiosi ita sanctitatem status religiosi, ad perfectionem quod attinet, prae statu sacerdotali, laudibus ornant, quasi secundario gradu aestimari debeat.

b) Sacerdotes « cleri saecularis » ut dicitur, in iisdem fere conditionibus inveniuntur ac religiosi quoad votum castitatis; fere in iisdem etiam quoad oboedientiam, et non raro vivunt in exemplari paupertate.

c) Iuvaret ut a sermone ordinario tolleretur terminus aliquando ambiguus et aliquanto etiam despectivus « cleri saecularis ».

2. Quam maxime decet ut in singulis Dioecesibus statis in locis, sacerdotes, pietate et scientia praestantes, destinentur; ad quos facilis recursus praesto sit, pro aliis sacerdotibus et etiam pro fidelibus eos consulendi vel ab ipsis moderationem spiritualem recipiendi gratia. Horum saltem visitatio statis temporibus uberrimos fructus procul dubio proferret.

Rationes:

a) Praxis quotidiana docet quod sacerdotes post formationem ecclesiasticam in Seminario, propriis viribus inveniuntur derelicti, sive propter penuriam sive propter longinquam regionem ubi degunt.

b) Fidelibus ubique indigent hoc adiutorio.

c) Sacerdotes gravitate et peritia in re spirituali et sacerdotali ornati fiduciam in animo aliorum sacerdotum penitus infundunt.

3. Omnes normae et regulae ad sanctitatem sacerdotum pertinentes, quae passim in documentis pontificibus inveniuntur, in forma canonum in Codice includantur.

Rationes:

a) Non conveniunt auctores in iisdem documentis explicandis; aliquando enim sunt rigidiores, aliquando vero laxiores.

b) Agitur de re maximi momenti in disciplina et unificatione clericorum obtinenda.

4. Inde a tempore Seminarii, innitendum est ut candidati in spiritu oboedientiae penitus imbuantur, ne forte post ordinationem difficultates inter eos et Episcopum suboriantur.

Rationes:

a) Doctrinae hodiernae psycologicae, ita extollunt « personalitatem » quam vocant, ut hic error etiam oboedientiam Episcopis debitam nonnumquam pervadat.

5. Concilium praecipiat cursum intensivum praxis ministerialis, sive in Seminario, sive in alia domo ad hoc electa, antequam ad ministerium proprie dictum destinentur.

Rationes:

a) Frequenter accidit quod cursus Theologiae pastoralis, in Seminario habitus, non plane sufficiat ut novus sacerdos cito expeditus evadat in ministeriis exercendis.

b) Item, non raro evenit ut sacerdotes, alioquin peritissimi, maximo cum timore in rebus practicis procedant.

6. Laudandum esset ut Concilium praeciperet ut sacerdotes post exactum quinquennium, ad Seminarium vel aliquam domum redirent per aliquod temporis spatium ad eorum vitam sacerdotalem et ministerialem tuendam vel resarciendam.

Rationes:

a) Praxis Religiosorum hoc comprobat et quidem cum magno fructu.

b) Apostolatus animarum ita vitam sacerdotalem praefocat, ut facile sine dubio in activitatem a Pio XII, fel. rec. « Haeresim actionis » nominatam paulatim prolabatur.

c) In dies ex scientiarum progressu videre licet quaenam media nova in apostolatu adhiberi possint.

7. Cum Concilium unitatem Ecclesiae prosequatur, maxime convenit ut haec unio prae primis inter ambos cleros curetur. Debent ergo religiosi etiam exempti, iurisdictioni Episcopi ubi domus religiosa inveniatur se in omnibus subicere.

Rationes:

a) Fere semper exemptio plus aequo interpretatur et detrimentum unitatis inter membra Ecclesiae miserabiliter affert.

b) Christifideles non bene instructi in catholica doctrina, exemplum a sacerdotibus capiunt, dissensiones etiam inter semetipsos non raro solent facere.

c) Inter « sacerdotes saeculares » et sacerdotes religiosos inest quaedam male intellecta aemulatio, quae frequenter ad lites et dissensiones eos perducit.

Caput II

De disciplina populi christiani

1. Urgeat Sancta Synodus ut in singulis Dioecesibus institutio catechetica curetur. Si fieri posset conficiatur *textus unicus* pro unaquaque natione vel saltem pro unaquaque provincia ecclesiastica.

Rationes:

a) Pravi mores quos nostris temporibus deploramus originem ducunt a mediocri vel fere nulla religiosa institutione.

b) Hac de causa errores omnes praesertim protestantismi, facillime inter ignorantes fideles pervulgantur et exercentur.

c) Diversitas textuum in edicenda doctrina christiana aliquando ambiguitatem parit in formulis memoriae tradendis.

2. Optandum est ut Concilium instet ut christifideles conentur vivere in statu gratiae; quod procul dubio obtinebitur per cognitionem perfectiorem doctrinae gratiae.

Rationes:

Patet christianos degentes in gratia Christi optimos esse in communitate christiana (Litt. Enc. *Mystici Corporis Christi* »).

3. Actio Catholica includatur in Codice, loco principali; quia praecipua est inter omnes formas apostolatus laicorum.

Rationes:

a) Generaliter non producit fructus ob ignaviam sacerdotum; ex eo quod non eam habent ut stricte obligatoriam.

b) Si Actio Catholica inveniretur in Codice et quidem ut obligatoria, inde a tempore formationis in Seminario locum debitum inter ceteras disciplinas haberet quae culturae clericorum maxime inserviunt.

4. Leges praecisae condantur ad fidelium in functionibus liturgicis participationem, praesertim in assistentia almo Missae Sacrificio.

Rationes:

a) Motus liturgicus ab Encyclica *Mediator Dei* inductus non habet formam claram cum ad praxim deducendi.

b) In aliquibus Dioecesibus libelli quibus Sancta Missa paulatim prosequatur existunt; hi autem non satisfactorie munus suum explent.

c) Fidelibus maxime iuvat active interesse functionibus liturgicis et sic paulatim obliviscuntur alios ritus etiam superstitiosos, praesertim inter ruricolas et indigenas.

5. Decernat Concilium sedulam vigilantiam super has leges liturgicas ut eae adamussim custodiantur.

Rationes:

a) Privata interpretatio numquam bonos fructus referre potest; praesertim in iis rebus quae vitam christianam quasi manu ducunt.

b) De facto, in anteriori disciplina de ieiunio Eucharistico, iudicium confessarii necessarium erat ad utendum novo privilegio et plurimae et diversae interpretationes a sacerdotibus adlaboratae fuerunt.

6. Concilium, prae oculis habitis omnes exitiales errores qui Matrimonii sanctitatem minantur, normas sapientes decernat quibus hoc Sacramentum ad pristinum splendorem restituatur.

Rationes:

a) Plures errores in familiis christianis de natura huius status et de usu matrimonii existunt, unde sequuntur; vel nulla, vel quod peius est mala educatio familiae; methodus anticonceptiva.

b) Ceterum, his problematibus mala solutio ut sequelam naturalem habet errores luendos in educatione familiae, in praxibus et in fine dissolutionem vitae familiaris.

7. Formula quae maximum conferret in excitando spiritu christiano in Dioecesibus haec esset: « fovere in sacerdotibus spiritum missionale ut exerceatur in propria Dioecesi ».

Rationes:

a) Quod sponte fit, fructuosius et iucundius fit.

b) Spiritus missionalis est quasi quaedam perfectio zeli animarum; qui eum habet non opus est ut Dioecesim deserat ut suum ardorem missionalem exequatur.

c) Episcoporum est perpendere omne quod ad sustentationem, iurisdictionem et amicabile commercium refertur, inter sacerdotes missionarios et eos quibus cura animarum in iis regionibus concredita est.

Caput III

De Ecclesiae activitate in diversis rerum adiunctis

1. Concilium, rogamus urgeat ut renovetur et foveatur inter fideles spiritus familiae in paroeciis; nempe ut omnes agnoscant paroeciam, ut propriam domum et parochum, ut patrem communem omnium.

Rationes:

a) In hodiernis paroeciis conceptus « familiae » in dies paulatim evanescit cum magno detrimento apostolatus et disciplinae paroecialis.

b) In paroeciis ruralibus spes magna affulget hunc effectum facile obtinendi.

2. Media ad profectum obtinendum in re catechetica:

a) Scholae catecheticae dioecesanae.

b) In parochis et sacerdotibus animarum curam gerentibus requiritur plenior persuasio de necessitudine institutionis fidelium in addiscendis veritatibus christianis et in vera pietate.

c) Ex defectu istius persuasionis affert: *quod* parochus tandem aliquando, omittat quasdam formas apostolatus quae vere instruunt animas fidelium in vera et solida pietate; *quod* praedicatio frequentius in homiliis, et exercitiis vespertinis non respiciant ad materias quibus vere fideles instruantur.

d) Uti ministerio religiosorum et religiosarum forte in iurisdictione parochi domicilium habentium, ad normam Can. 1334.

e) Vigilantia Ordinarii.

3. Ordines, Instituta et Congregationes Religiosae quorum ex legibus suae fundationis, finis praecipuus est educatio christiana *pauperum* procuranda, ad pristinum finem redigantur.

Rationes:

a) Inter religiosos, de quibus supra, abusus invaluit habendi collegia pro divitibus, cum detrimento pauperum quibus non remanet locus neque in scholis officialibus Gubernii.

Caput IV

Quaedam problemata ab Ecclesia solvenda

1. Praecipuum problema et finis Concilii est pervenire ad unionem omnium christianorum.

Media:

a) Generaliter loquendo dici potest quod e medio tollendum est quidquid obest et ponendum quidquid prodest unioni christianorum.

b) Dissidentes renuunt historice tractare de sua a catholica Ecclesia defectione ex eo quod semper invenientur aliquomodo culpabiles; ergo, de hoc non est loquendum. Sufficit proinde quod constet de sua recta intentione ingrediendi Ecclesiam catholicam.

c) Inter catholicos suadenda est plena concordia erga olim protestantes vel alios haereticos, ac si hi semper catholici fuissent: revera inveniant « fratres » inter catholicos fideles.

d) Magis catholicus quam haereticus ponat omnia quae opus sint ut exoptata unio inter omnes restituatur. Catholici ergo vitare debent tam in conversatione quam in moribus et in omni ratione vitae quod aliquomodo unificationi obstet.

2. Salva semper doctrina catholica, aliqua possunt mutari in favorem unionis.

Exempla:

a) Plura concessit S. S. Pius Papa XII, fel. reg. quae, orbe plaudente recepta sunt, quin disciplina ecclesiastica ullo modo dilaberetur, v. gr.: modificationem ieiunii Eucharistici, Missas Vespertinas, novum Ordinem Hebdomadae Sacrae.

b) Eodem iure plura modificari, mutari vel supprimi possunt, modo non Ecclesiae constitutioni adversentur, v. gr.: de numero festorum de praecepto; multi enim, ob actuales vitae conditiones, plane non ea observant quoad opera servilia omittenda.

c) Mutari possunt vestes quarumdam Religiosarum ad facilius apostolatum exercendum. Iam S. S. Pius XII, fel. reg. hoc Religiosis innuebat.

d) Religiosi et Religiosae vitae contemplativae incumbentes, apprime se tradere possent operibus apostolatus.

3. Concilium, si opportunum iudicabitur, urgeat in Dioecesibus aequam distributionem bonorum ipsius Dioecesis clericorum sustentationem procurandi gratia.

Rationes:

Omnibus patet palmaria inaequalitas existens inter sacerdotes, inter quos aliqui vere pauperes inveniuntur.

Mens Codicis et S. S. Pii Papae XII, in Litt. Enc. *Menti Nostrae* est ut sacerdotes habeant quemdam decorum modum vivendi ut in societate possint ministerium exercere; nempe, nec divites (nisi forsan a familia) nec absolute pauperes sint.

4. Sacerdotes quibus cura animarum concredita est, debent opificibus vel quoquo modo ecclesiae ministrantibus subsidia necessaria praebere ita ut adimpleant cum illis iustitiam commutativam et socialem.

Rationes:

Bonus iudex a propria domo incipere debet. Si sacerdotes praedicamus iustitiam, factis verba confirmemus.

Non raro accidit ut ecclesiae ministrantes furta patrent ex bonis ecclesiae pertinentibus; aliquando (sincere loquendo) non sunt nisi occultae compensationes ad quas aliquomodo coguntur.

5. Opifices et fabri, phaenomeno lamentabili, ab Ecclesia frequenter discedunt. Urget ut Concilium suppetat apta et adaequata subsidia ut sacerdotes huic tam necessario apostolatui ex toto corde incumbant.

Rationes:

Doctrina communista omnibus mediis satagit ad efformandos asseclas inter ordines cuiuscumque generis laborantium pro suis cuiusque rerum adiunctis.

Necesse est ut omnibus pateat opus Ecclesiae in favorem egentium. Historice cognoscitur labor Ecclesiae praeteritis temporibus; nunc temporis urget necessitas idem ac antea faciendi ut omnibus innotescat operositas Ecclesiae in omnibus ordinibus.

6. Reformatio in re liturgica quae, orbe plaudente, incepit cum Instauratione novi Ordinis Hebdomadae Sanctae, ad alios aspectus liturgiae extendatur, v. gr.: ad Breviarium Romanum, ad modum Sacrum litandi, ad expurgationem martyrologii etc.

Rationes:

Prolixitas rituum et significatio ceremoniarum non omnibus clara, fere semper est obstaculum ut fideles nimis defatigentur videndo vel audiendo quod non intelligunt.

Aliquando quaedam inveniuntur in martyrologio aut Breviario quae non sunt conformia cum notis historicis et non raro cum mediocri gravitate.

7. Concilium faciat declarationem sollemnem contra hodiernos errores materialismi, antiintellectualismi, communismi, existentialismi et naturalismi.

Rationes:

Monitiones Summorum Pontificum circa hos vitandos errores, potius loquuntur bonae voluntati audientium, sed non indicant distincte et cum omni claritate quid in unoquoque casu agendum sit.

1. *Ad can. 142.*

Cum in dies crescere possunt abusus in clericis et religiosis, qui contra prohibitionem Ecclesiae mercaturam seu negotiationem exercent, Nobis videtur munienda prohibitio, includendo inter poenas Codicis Iuris illam, nuper inflictam contra hoc delictum.

« Clerici et religiosi omnes ritus latini, de quibus in cann. 487-681, ne exceptis quidem recentium institutionum sodalibus, per se vel per alios, mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam exercentes, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, ccntra praescriptum can. 142, utpote huius criminis rei, excomunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi speciali modo reservatam incurrant, et si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur ».

« Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus ».

« Pro omnibus denique, quorum dolo vel culpae patrata facinora tribuenda sint, firma semper manet obligatio reparandi damna illata » (S. C. Concilii, decr. diei 22 martii an 1950).

2. *De indulgentiis.*

Canones de indulgentiis reformentur iuxta recentes dispositiones et ad normam legum liturgicarum quae novissime datae sunt.

3. *De Institutis saecularibus.*

Cum de die in diem Instituta Saecularia, ad normam Constitutionis « Provida Mater » S. S. Pii XII f. r., multiplicentur, opus est ut de hac re legislatio detur et Codici Canonico incorporetur.

4. *De ieiunio eucharistico, de tempore Missae celebrationis et de S. Communione.*

Canones de his rebus, iuxta concessiones a Sancta Sede novissime factas mutari debent.

Can. 867.

Ex benignitate Sanctissimi Nostri Papae Pii XII f. r., in Motu Proprio diei 19 martii an. 1957 concessa fuit celebratio Missarum horis vespertinis, quaestio exurgit de facultate distribuendi fidelibus Sacram Communionem extra illas Missas vespertinas, cum tandem aliquando, frequenter fideles nequeant Missam audire, et tamen velint Sacram Synaxim sumere, praesertim in primis feriis sextis cuiusque mensis, ad plenariam indulgentiam et alias gratias lucrandas.

Desideratur ergo ut can. 867 mutetur in paragrapho quarta hoc modo: « Sacra Communio his tantum horis, *etiam vespertinis* distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat ».

Propter penuriam sacerdotum, quae in nostris regionibus maior est, in pluribus parvis locis, fideles numquam vel fere numquam Sancto Sacrificio Missae assistunt, cum magno illorum damno spirituali. Huic necessitati attenderetur, si can. 806 hoc modo mutetur: « Hanc facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum prudenti ipsius iudicio propter penuriam sacerdotum, die festo de praecepto, notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; est ergo in eius potestate usque *ad tres Missas* eidem sacerdoti permittere ».

5. *Can. 1129.*

Cum divortia civilia coniugibus occasionem praebeant attentandi alium matrimonium, saltem coram magistratu civili, necessarium est ut in Codice exprimantur causae ad concedendam licentiam tollerandi divortium civile.

6. *Can. 1248.*

Saepissime impossibile est ut pauperes diebus festivis non dominicalibus a suis laboribus abstineant, nam illi necessitatem habent singulis diebus, pro eorum sustentatione salarium lucrandi, quod utique nemo eis reddet si non laborant. Proinde rogamus ut tollatur obligatio abstinendi ab operibus servilibus praedictis diebus festivis non dominicalibus, cum obligatione tamen audiendi Sacrum.

7. *De actione catholica.*

Auxilium laicorum in ministerio salvationis animarum necessarium omnino est, in praesentibus temporibus, ita ut saepe sacerdos, si solus remanet, nequeat, cum fructu, in suo ministerio adlaborare. Quapropter opus est addere Canoni 129 aliquod praeceptum de hac re ut e. g.:

« ... clerici studia praesertim sacra, recepto sacerdotio ne intermittant; studiis Actionis Catholicae et quaestionibus, quas sociales vocant, incumbere conentur, et in sacris disciplinis etc. ... ».

8. *De Communismo.*

Cum in Encyclica *Divini Redemptoris* diei 19 martii 1937 et in Decreto S. Officii diei 1 iulii 1949, damnata fuit doctrina communistarum et excommunicatione munita, opus est ut haec poena, aliis in Iure Canonico positis addatur.

9. *De consecratione Episcoporum.*

Loco canonis 2370 ponatur Decretum S. C. S. Officii diei 9 aprilis 1951 hoc modo:

« Episcopus, cuiusvis ritus vel dignitatis, aliquem, neque ab Apostolica Sede nominatum, neque ab Eadem expresse confirmatum, consecrans in Episcopum, et qui consecrationem recipit, etsi metu coacti (can. 2229 p. 3, n. 3) incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae *specialissimo modo* reservatam ».

10. *De quaestione sociali.*

Sine dubio quaestionis socialis solutio perdifficilis est, et evidens est quod haec solutio urgenter omnino desideratur. Ecclesiae interventus minime pro hac solutione sufficiens est, sed civilis potestatis adiutorii opus est et etiam privatorum hominum cooperatio. Sed si Ecclesia in hac materia leges speciales et praecisas ferret, et canonibus Iuris addantur, catholici his legibus faciliorem obedientiam praestarent.

11. *De rebus politicis.*

Ut in Codice Iuris Canonici ponatur doctrina quoad suffragium dandum pro iis, de quibus speratur ut possint favere positive, principiis catholicis.

✠ LINUS AGUIRRE GARCIA
Episcopus Culiacanensis

8

Em.mi P. D. IOSEPHI Card. GARIBI Y RIVERA
Archiepiscopi Guadalajarensis (Guadalajara)

Guadalaiarae, 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, diei 18 iunii 1959, V. E. R. mihi significavit desiderium Sanctissimi Patris Ioannis, D. P. Papae XXIII, cognoscendi opiniones seu sententiam Exc.morum Episcoporum pro Concilii argumentis parandis.

Meas igitur animadversiones in tria doctrinae dividenda putavi, scilicet: 1) de mutationibus et additionibus in *C.I.C.* inducendis, 2) de Sacra Scriptura, 3) de quaestionibus theologicis, quorum adiuncta exemplaria V. E. R. mittere mihi pregratum est.

Spero fore ut hae humillimae meae animadversiones — quae consilio virorum peritorum et prudentium fuerunt confectae —, Ecclesiae animarumque bono profuturae videantur.

Interim E. V. R. manus humiliter deosculor meque profunda veneratione profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
dev.mum servum

✠ Ioseph Card. Garibi y Rivera
Archiepiscopus Guadalajarensis

Caput I

De cleri disciplina

1. Apta Dioeceseon ordinatio ad spiritualem sacerdotum curam, pietatis moderatorum ope, qui optime in re spirituali instructi, locis accessu facilibus, huic muneri dent operam.

Argumenta:

Aetate nostra quam maxime cogit necessitas ut sacerdos revera « Homo Dei » (*I Tim.* VI, 11) sit.

Documenta praesertim « Haerent animo » Sancti Pii X; « Ad catholici Sacerdotii » Pii P. P. XI; « Menti Nostrae » Pii P. P. XII; « Ad

Petri Cathedram » et « Sacerdotii nostri primordia » Ioannis P. P. XXIII vehementer premunt cleri sanctitatem.

Concilium id potissimum prae se ferat oportet quod ad sanctitatem cleri populique christiani spectat, ut et Ecclesia succrescat et christianorum dissidentium unio foveatur.

2. Concilium praecipiat et adiumenta indicet communis vitae consuetudinem sacerdotum qui Dioecesi inserviunt inducendam, ad mentem can. 134 *C.I.C.*

Argumenta:

« Caritatis atque alacritatis studium magis magisque quotidie apud sacerdotes incenditur ».

« Christiano populo documentum supponitur ».

« A suis ipsorum rationibus a suisque propinquis voluntate sacerdotes seiunguntur ».

« Religiosa cura, sacerdotes castimoniae suae consulunt » (*Menti Nostrae,* 23 septembris 1950).

Apostolicorum operum compositio.

Quantum sacerdotibus prosit quaedam opera in communi vitae consuetudine peragere, vel saltem in curiae (paroeciae) aedibus pernoctare, omnibus compertum est.

3. Sollemnis declaratio quae sit natura, quae sanctitatis necessitas, quae adiumenta membris dioecesani cleri ipse sacerdotalis status praebeat, et, si id opportunum videbitur, Concilium iuridicam positionem inter perfectionis status patefaciat.

Argumenta:

In dies persuasio augetur clerum Dioeceseos validum et immediatum cooperatorem Episcopi, ministrum pastoralis caritatis et « dispensatorem mysteriorum Dei » (*I Cor.* IV, 1) esse.

Dioecesani enim sacerdotes gravi tenentur officio servandae castitatis, voto etiam ut probanda omnibus sententia fert; quotidiana hierarchiae praepositis oboedientia adstringuntur; a vitae commodis nostra hac aetate praesertim re seiuncti pauperum more vitam degunt.

Dolendum et reprobandum sane est quod cleri dioecesani existimatio discutiatur necnon commenta circa eumdem spargantur.

Huic optationi maxime favent saecularia Instituta a Pio P. P. XII, in Apostolica Constitutione « Provida Mater Ecclesia » laudata.

Optandum tandem est ut ab ecclesiastico sermone ambigua appellatio « clerus saecularis » expungatur.

4. Quo efficacius universi apostolatus constitutio in Dioecesi fructus afferat, Concilium pressius instet ut unius Episcopi moderamini omnes apostolici nisus viresque subiciantur.

Argumenta:

Pastoralis Episcoporum sollicitudo.

Ecclesiae quam maxime interest ut omnium catholicorum in unum contra insidias communis hostis redigantur.

Unanimis conspiratio cleri tam Dioeceseos quam Ordinum Religiosorum sub authentica et valida Episcoporum sollicitudine, uberiores fructus proculdubio edet Ecclesiae.

Hac in re ne falsae interpretationi cedat religiosorum exemptio, unde haud raro conflictationum, perturbationum et obnubilationum fomes promanat.

5. Quae hucusque a S. Sede normae consilia hortationes monita quaecumque ad rectam clericorum hodiernam conformationem sunt edita, ea tandem in codicem redacta, legibus exprimantur.

Argumenta:

Crebrae et sapientes normae quae omnibus plaudentibus acceptae, Ecclesiae fuerunt solamini.

Mentium consensio in hac re quae maximopere refert Ecclesiae.

Ambiguae interpretationes quorumdam haec documenta extorquentium quae clericorum institutioni exitiales existimandae sunt, praesertim in negotio disciplinae omnino vitari debent.

Concilium item urgeat ea quae apta videantur ad institutionem praesertim in virtute oboedientiae eorum qui in spem Ecclesiae erudiuntur, ut peregrinae commentationes arceantur quae conflictionem inducunt auctoritatem inter et quam recenter vocamus « personalitatem ».

Argumenta:

Sapientissimae normae Pii P. P. XII in adhortatione apostolica *Menti Nostrae* et in oratione ad Rectores Seminariorum Americae Latinae (23 septembris 1958) item Ioannis P. P. XXIII in Encyclicis *Ad Petri Cathedram* et *Sacerdotii nostri primordia.*

Commentis obsistere quae in dies serpunt adversus christianam obtemperationem.

7. Leges a Concilio condantur ut novelli sacerdotes per aliquod tempus ad sacerdotalia munera, sive in Seminariis sive in aptis domibus excolantur; tirocinium quoque pastorale peragant in curiis quae omni-

bus extent exemplo, praeeuntibus curionibus multarum rerum peritis et probitate vitae praecellentibus.

Argumenta:

Monita Pii P. P. XII in adhortatione apostolica « Menti Nostrae ».

Institutio et excitatio domus Sancti Eugenii in Urbe, prout in Constitutione « Quandoquidem » (*A.A.S.*, 1959, pp. 165-167) constat.

Institutio in Pontificiis Athenaeis disciplinarum pastoralium.

Hodierna adiuncta tot ac tam diversis — in omni humanae consortionis aspectu — technicae artis adiumentis imbuta, iure pleniorem institutionem in Dei ministris exigunt.

8. Concilium in praescriptis disciplinaribus vehementer moneat aut iubeat sacerdotes post aliquod ministerii tempus, v. gr. quinque exactis annis, in Seminarium aut in appositam in Dioecesi domum redeant.

Argumenta:

Causa reficiendi vitam spiritualem potissimum exercitiis spiritualibus congruentibus diutiusque protractis; rursus excitandi animarum studium; conferendi quae quisque in usu et pastoralis vitae consuetudine expertus est; item communiter doctrinae acquirendae operam navandi circa hodierni apostolatus vias ac rationes quo dexterius pastoralibus negotiis applicentur.

Si Religiosorum quorumdam Instituta sodales suos, statis temporibus, cum maxime id sibi intersit, asceticis exercitiis reficiendos curant, iure merito sacerdotes Dioeceseos id exercere debent ut eorum vita maturius pendatur congruisque subsidiis confirmetur.

Caput II

De populi christiani disciplina

1. Concilium iubeat ut in universo terrarum orbe singulae Dioeceses religiosae institutionis rationem accurate concinnatam adamussim exequantur.

Argumenta:

Vitae ratio atque morum in rem deductio arcte omnino pendent a religiosa institutione menti hominum et cordi penitus instillata.

Hodiernus laicismus quem, proh dolor, tumentem in dies conspicimus maximis in probos mores irruit periculis.

Insidiosae ab haereticis pugnae in catholicorum institutionem item

materialismi, nostris praesertim diebus, et naturalismi grassantes et serpentes errores.

Ignorantia in rebus religionem spectantibus quemquam reddit proclivem ad quoscumque funestos errores.

2. Concilium doceat atque vehementer instet opus omnino esse ut catholici omnes in Dei gratia atque ex gratia vitam degant; idcirco pro suo quisque sociali coetu « in aedificationem Corporis Christi » quamdam saltem apostolatus formam exerceant (cf. *Eph.* IV, 12).

Argumenta:

Characteris christiani validissima ac clara persuasio, atque officium vitam congruenter transigendi.

Quam plurimae ac gravissimae nostrorum temporum necessitates.

Laicorum catholicorum facilitas in civili consortione permeandi proprium cuiusque coetum, bona diffundendi gratia.

Sacerdotum ubique fere penuria.

Summorum Pontificum crebrae adhortationes ut apostolatus operibus christiani optime instructi se accingant.

3. Catholica Actio in Codice Iuris Canonici illum sortiatur locum, quem pro ipsius momento obtineat oportet.

Argumenta:

Fundamenta theologica; Summorum Pontificum instantissimae commendationes; Actionis Catholicae ubique necessitas; suum praeterea est Hierarchiae, ut organon, arctissime coniungi.

Quod ad rationes cum aliis apostolatus quoque consociationibus attinet, dolendum forte dissensiones extitisse, quae quidem unitati obtemperationi atque apostolatus efficacitati refragantur.

Si suum quisque locum agnoscat et servet, lites inter catholicorum consociationes vitari sane possunt.

4. Congrua legislatio quae actuosam fidelium participationem in liturgicis functionibus provehat atque expediat.

Argumenta:

Clara persuasio christianae vitae expetit ut christifideles ita in actibus liturgicis se gerant, prout eorum munus postulat quo in Corpore Christi Mystico funguntur (*Mediator Dei,* 20 nov. 1947).

Excultiori christianae institutioni respondere debet cultus divini altior aestimatio, ideoque forma in cultu Dei participandi, quem Ipsi Deo Ecclesia exhibet.

Fructus quem omnes percipere possunt, cum liturgia primus sit fons unde fideles christianam conformationem haurire debent (S. Pius X *Tra le Sollecitudini,* 22 nov. 1903).

Uberrima et acceptissima ex Liturgia argumenta expromi possunt quae multum sane conferunt ad religiosam christianorum institutionem quam intuitivam vocant.

5. Concilium imperet atque invigilet ut plene servetur disciplina quae fidelibus retinenda est, in liturgica eorum participatione.

Argumenta:

Unius Ecclesiae est gradum et modum indicere cuiusque liturgicae participationis, quippe Ecclesiae refert publicum ordinare cultum, qui suo nomine Deo solvendus est (cf. *Mediator Dei*).

De facto in laudanda hodierna liturgica navitate pro actuosa fidelium participatione, perturbationes ortae sunt privatorum arbitrio inductae; quae in excessus quosdam et errores devenerunt, causae adeo nobili nocentes, modum insuper excedentes, quandoque etiam auctoritatem praetermittentes.

6. Potissimum curanda est sollicitudo pro Missionibus ut problema Evangelici praeconii, quod quidem anxietatem atque necessitatem parit, plene solvatur.

Argumenta:

Missio salvifica Ecclesiae omnem repetit curam ipsius.

Premunt crebrae hac de re doctrinae atque adhortationes in ordinario Pastorum magisterio.

Gentes nostra aetate quam latissime ubique explicantur vitamque degunt proficientes in cultiori vitae humanae usu; e contra Evangelii praedicatio ac christiana institutio retroiacere videtur.

Piorum hominum studium, qui huic praestantissimo muneri exercendo se devovent ubique.

Suppetit unde profectus magni habeantur: cleri dioecesani consociatio, si rerum adiuncta id sinant, ut ipsi sacerdotes ad tempus saltem Evangelii praecones evadant. Laicorum quoque coetus congruenter instructi, ut diversis operibus auxilio sint missionibus.

7. Matrimonii sanctitas omni ope Concilii auctoritate restituatur necesse est.

Argumenta:

Frequenter nostris temporibus multi in christiani connubii indissolubilitatem invehunt.

Crebra in dies damna funestiora, eo quod Matrimonii leges infringuntur.

Instituatur oportet legislatio qua teneantur sponsi ad plenam ac claram status, quem sunt amplexuri, persuasionem, dignitatis etiam et servandarum legum animo forti ac fideli.

Perspicua hac in re doctrina firmiter omnibus tradita in Encyclicis Litteris *Casti Connubii* Pii XI, necnon passim in Pii XII orationibus tempestive ad sponsos exaratis.

8. Sollemnis eorum doctrinae christianae capitum declaratio super sic dictae « quaestionis socialis » elementa, unde spes affulgeat eiusdem solutionis.

Argumenta:

Iam diu huius quaestionis urget ubique solutio, ingenti enim perturbatione plurimi laborant, tam speciosis quibusdam rationibus, quam usu ac consuetudine rerum a Communismi asseclis propositis.

Ecclesia diu per Summorum Pontificum doctrinam et rerum miserandum statum hanc in re docuit, problemata quoque cum solutionis principiis ac normis satis ostendit.

Requiritur insuper principiorum rerum conditionibus applicatio quae omnes obliget, praesertim cum divitiarum sociale munus ab omnibus agnoscendum sit; melior et amplior earum distributio; iustior adhuc retributio eis qui laborantes ad oeconomicam salarii formam, vitam et sibi et propriae familiae timentes ducunt.

Omnes merito Ecclesiam suspiciunt unde salutem sibi suisque curis solatium fore sperant; auctoritate tanta pollentem sentiunt quae moderari firmiter et certo possit omnibus monere insuper atque strenue imperare.

9. Obiectum iustitiae socialis ex Ecclesiae doctrina definire, necnon ut ea strenue ad rem deducatur.

Argumenta:

Ecclesiae configuratio atque civilis societatis ratio, earum finis, indoles ac natura vitae hisce nostris temporibus exigunt certe iustitiae socialis doctrinam; at revera eiusdem quoque deductionem in vitae usum et consuetudinem, quo certius profectui tam membrorum Corporis Christi quam humanae societatis civibus prospiciatur.

Aequa utilitas et hominum commoditas tum dumtaxat tuta ducenda est, cum plene ac iuridice talis iustitia in rerum usu servatur, et insuper congruis legibus exprimitur et sancitur.

10. Ea praesertim iustitia ad definitam normam reducenda est, quae vocari forte potest « professionalis ».

Argumenta:

Eorum in dies succrescit hominum in societate numerus qui vitae rationem sibi instituunt; postquam altiorum studiorum in Universitatibus curricula peregerunt, unde medici, advocati, architecti, chimiae periti, sumptorum rationem in negotiis conficiendis gerentes et huiusmodi prodeunt; eorum interventus et opera plurimis in rebus saepius in hodierna vivendi ratione ubique adhibentur.

Eorum opera expeditur ubique locorum in excultioribus praesertim civitatibus; servitia pecuniis rependuntur et honoribus cumulantur.

Officiorum harum professionum executio ex impensis in bonum civium aestimanda videtur; aequitas vero postulat ut servitium debito modo contineatur in exquirendis et exigendis stipendiis, sociali existimatione et honorum fruitione in societate.

Stimuli igitur et honores ex his professionibus dimanantes iustitia, caritate et aequitate continentur oportet.

Caput III

De Ecclesiae in diversis vitae necessitudinibus operositate

1. Principii auctoritatis momentum in pristinam existimationem redigere oportet, et conformationem in re civili inter christianos fovere ut iura munera et officia civilia plene persuasi adimplere valeant.

Commune bonum, ut christiana institutio praecipit, christianorum interventum in re civili postulat.

Apud omnes populos aestimatio in dies vehementior earum rerum quae ad rem publicam spectant succrescit.

Ius ferendi suffragii ubique locorum merito augescit.

Probi cives contra osorum christiani nominis impetus et molimina instruantur expedit.

2. Inire consilium moderationemque catholicis prorsus scholis condendis quae et primordiorum pro pueris ludos et adolescentium Athenaeis instructionem complectatur.

Argumenta:

Florentis vitae christianae fundamentum est, ubi enim ratio et consilium efformatur et vita christiana in usum adducitur.

3. In religiosa institutione innitendum est magistris optime versatis, aptis viis et rationibus, adhibitis etiam didacticis subsidiis, ex hodiernis rerum inventionibus.

Argumenta:

Si in comparanda profana eruditione omnes certatim proficere conantur, eo magis conandum est in adipiscenda doctrina vitae moralis et christianae quae ad vitam aeternam ducit.

Religiosam institutionem quandoque extenuatam et deficientem conspicimus, etiam in scholis et collegiis quae christiano nomine gloriantur.

4. Subsidia quibus religiosa institutio efficacior evadat:

Conspicua et plenior persuasio muneris pastoralis curiae (paroeciae).

In curialium rerum negotiis potius pastoralibus ministeriis quam administrationi ita vacandum esse videtur, ut id tempus fidelium instructioni cedat, quod forte in rebus quibusdam devotis quandoque nimietatem sapit.

Omnes sacerdotes, religiosi et religiosae, praeterquam quod ad Evangelii formam exemplo fulgeant atque excellant, christianae doctrinae ardenter se dedant.

Divini Verbi praedicatio firmior omnino sit et in christiana revelatione radices agat, atque sub Antistitum debita cura ac vigilantia ministerium hoc digne exerceatur.

Omnes catholici plenam suae religionis conformationem sibi comparent.

Diebus dominicis omne Sacrum apta et bene parata verbi Dei praedicatione ornetur.

5. Instituta ac Religiosae Congregationes quae pauperibus instituendis olim condita sunt ad pristinum consilium et rationem restituantur.

Argumenta:

Nostris hisce diebus ob infestas opiniones sollicitudo pauperibus efformandis instantissima apparet.

Quorumdam Institutorum agendi modus divitum dumtaxat ordinum cura seponatur.

Hac quoque in re Antistitum auctoritas, consilium et moderamen agnoscenda prorsus sunt.

6. Paroecialis vitae sensus inter fideles restituatur et omni ope foveatur.

Argumenta:

Ecclesiae constitutio quae Dioecesibus constat; Dioeceses vero curiis (paroeciis).

In urbibus praesertim curialis sensus familiae in dies evanescit, non sine apostolatus detrimento.

Curio (parochus) facilius pastorali muneri incumbet iuvantibus christifidelibus, apprime illis qui Actioni Catholicae operam dant.

7. Inspiret ac moderetur Concilium huiusmodi oeconomicam rerum constitutionem quae hodiernis temporum conditionibus respondeat.

Argumenta:

Novi divitiarum fontes.

Abusus coercere et compescere.

Materialia bona, si rite adhibeantur, ad humaniorem vitam christianamque frugem ducunt.

Caput IV

Problemata quaedam quae Ecclesiae nostra aetate solvenda obversantur.

1. Maximum etiam huius temporis problema, Ecclesiae cordi diu infixum, quod omnes solutum velint, est omnium christianorum unio vere efficienda.

Insinuantur ea quae unioni efficiendae favere possunt:

Imprimis arcta catholicorum unio quae fundamentum, stimulus, et exemplar omnibus esse debet.

Omnia rerum hominumque emolumenta ac iuvamina unioni restituendae adhibenda sunt; idcirco omnes benigne respicere et caritate amplecti, quicumque ab Ecclesia catholica defecerunt.

Expedit praecipue ut conversatione, amicitia et vitae consuetudine, prudenter tamen reciproce devinciantur, quo efficacius animi ad optatissimam unionem flectantur.

Seponendum nobis est ex moribus praesertim, tum conversando, tum colloquendo, quidquid officere unioni aut in scandalum ipsis verti forte potest.

Enixe praecibus instandum est « Ut omnes unum sint » (*Io.* XVII, 21).

2. Congrua quorumdam praeceptorum ac disciplinae ecclesiasticae morum adaptatio; usus quidam in christiana vita recepti sine detrimento mutari posse videntur.

Argumenta:

Festa quaedam de praecepto, praeter dies dominicos, quod ad opera servilia spectat, expediet fortasse restringere, cum maxima operositas, quae in hodiernis vitae conditionibus viget, id videatur exigere.

Vestes quaedam Religiosarum mutentur quae peregrinae et obsoletae exstimantur. Si enim talis vestium forma mutetur, earum opera ad omnes facilius perveniet apostolatus exercendi causa (cf. *Orationes* Pii P.P. XII ad Religiosas).

In labore quodam et apostolatus operibus exerceri fructuose possunt etiam religiosi et religiosae vitam contemplativam agentes.

Temporum adiuncta et hominum necessitates id postulare videntur.

Ad Ecclesiae in re oeconomica sustentationem omnes civium ordines, quibus uberior bonorum est copia, sive machinarum arte, sive labore, sive natura comparatorum, aequo modo concurrere debent; itaque minime aliquis eorum coetus sub ceteris se gravari sentiet.

3. Ineundum est consilium congrue cleri sustentationi procurandae, aequiore bonorum in Dioecesibus distributione.

Argumenta:

Pii P. P. XII sollicitudo ad pauperiorum sacerdotum relevandam indigentiam (*Menti Nostrae*).

Propter domesticarum rerum angustias, quorumdam sacerdotum apostolicum robur enervatur; quae quidem angustiae sive revera exsistunt, sive animo finguntur, quaestiones pariunt.

Alii pauciores bonis et suppetiis amplioribus potiuntur, dum alii quam plurimi egestate laborant.

4. Viri ecclesiastici ita in vitae usu erga ministrantes ecclesiarum muneribus addictos se gerant, ut revera debitis subsidiis ipsis provideant ex caritate, commutativa iustitia et sociali.

Argumenta:

Qui iustitiam aliasque praedicant virtutes, exemplis praestantes, doctrinam confirment.

Argumenta quae aliis ad persuadendum proponuntur, prius ipsos ecclesiasticos viros sane adstringunt.

5. Cum frequens ab Ecclesia discessus opificum fere ubique gentium pateat, alicubi etiam abyssus interici videatur, Concilium apta suppetat subsidia et imponat ut efficacior sacerdotum cura constituatur, opificibus sublevandis paribusque societatis ordinibus.

Argumenta:

Monita Evangelii praeclarissima.

Summorum Pontificum ingeminatae commendationes, praecipue inde a Leone XIII.

Dolenda sane consectaria quae rerum eventibus comprobari satis possunt.

Periculum successus a Communismi asseclis apud hominum ordines tenuioris condicionis egestate conquerentium.

6. Ecclesiae influxus perspicuus, validus, dirigendi vi pollens in quaestiones probos mores spectantes quae nuper prodierunt, ex alacri in universo terrarum orbe machinamentorum usu, ex rebus arte confectis radiophonicis cinematographicis, televisificis et aliis id genus molimentis hominum peritia repertis, quae periculo sunt obnoxia ne adversus christianam rationem, vitam et consilia usurpentur.

Argumenta:

Ecclesia semper salutis iuvamina et doctrinam in omnibus peritiae circuitionibus et hominum operositate perfundere debet, ut illustret, dirigat, provideat.

7. Restauratio liturgica (exemplum esto Hebdomadae Sanctae Ordo Instauratus) amplectatur quoque eventus Martyrologii Romani, rationem Breviarii recitandi, restaurandos etiam modos Sacrum litandi, (optime quaedam mutationes iam inductae sunt) aliosque ritus, si quos ad simpliciores formas redigere licet.

Argumenta:

Uberrimi spirituales fructus quos Ecclesiae Pastores postremis hisce annis affluxisse testantur ex ritibus iam restauratis, sub ecclesiasticae auctoritatis moderamine.

Rerum gestarum critice postulat ut in liturgicis libris ea dumtaxat retineantur quae rite comprobari quaeant; cetera enim nec aedificant nec decent omnino.

8. Aperta et omnibus pervia moderatio in rebus pervestigandis quae ad Sacram Scripturam spectant atque textus authentici ad pristinam aestimationem redintegratio (revalorización).

Argumenta:

Dispares et temere editae opiniones in hac colenda quam maxime re, etiam in quaestionibus quae res gestas complectuntur.

Reverentia et amor quibus Verbum Dei dignitate praecellit.

Multis hisce opinionibus perturbatio exorta est etiam apud harum rerum viros peritos; praeterea infirmari potest doctrina circa Verbum Dei.

Auctoritate Concilii decernatur recta interpretandi via et ratio cui omnes conformentur.

9. Sollemnis tandem christianae doctrinae declaratio adversus Materialismi commenta, Anti-intellectualismi figmenta; singulari tamen modo adversus noxios admodum Communismi errores, necnon Existentialismi et effossi Naturalismi aberrationes quae animos passim perturbant.

Argumenta:

Sperant homines Ecclesiam « Columnam et firmamentum veritatis » (*I Tim.* III, 15) tam Documenta et praesidia salutis omnibus fruenda, quam errorum insidiarumque reprobationem, qui in revelatam doctrinam christianosque mores grassantur.

Provida Summorum Pontificum sollicitudo illustrandi, monendi in fide ac fortitudine christianorum animos; reprobandi quoque vehementer recentissimas quasque nocentesque opiniones (*Humani Generis,* 12 augusti 1950).

COMMISSIO STUDIORUM CIRCA INTERPRETATIONEM SACRAE SCRIPTURAE

ATTENTIS, QUAE SEQUUNTUR, DOCUMENTIS ET FACTIS

S. S. Leonis XIII:

Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem (*Enchir. Biblic.* 124 [109] et 455 [468]).

Sancti Pii X:

Propositione damnata: « Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat » (*E. B.* 202 [195]).

Ex illa porro monumentorum per aetates partitione sequitur sua — sponte non posse Libros Sacros iis auctoribus — tribui, quibus reapse inscribuntur.

Quam ob causam modernistae passim non dubitant asserere, illos eosdem Libros, Pentateuchum praesertim ac prima tria Evangelia, ex

brevi quadam primigenia narratione, crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda.

Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda est vitalis evolutio Librorum Sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens.

Addunt vero, huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad Libros Sacros amplificandos, admoverint manum (*E. B.* 278 [271]).

Praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiiciendi ... (*E. B.* 286 [279]).

S. S. Benedicti XV:

Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt (*C.I.C.*, can. 1324).

Omne id, quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spirito Sancto (*E. B.* 420 [433]).

Omnino igitur quam plurimos quamque maxime idoneos excitetis oportet sanctissimae causae defensores, qui — non modo adversus eos dimicent, quibus, ordinem supernaturalem universum negantibus, nulla est Dei revelatio et afflatus — sed etiam cum iis congrediantur, qui, profanarum novitatum cupidi, Sacras Litteras quasi librum prorsus humanum interpretari audent, aut a sententiis discedunt in Ecclesia a prisca antiquitate receptis, aut magisterium eius sic negligunt, ut Apostolicae Sedis Constitutiones et Pontificii Consilii de Re Bibilca decreta parvipendant, vel silentio praetereant, vel etiam ad placita sua subdole petulanterque detorqueant (*E. B.* 474 [487]).

S. S. Pii XI:

Falsa etiam D. Brassac utitur methodo, cum, neglecta nimis expositione positiva integrae doctrinae catholicae, animo specietenus indif-

ferenti proponit ex una parte argumenta quae stant pro sententia traditionali, ex altera vero studiose offert rationes, quae arte critica, quam vocant, ex indiciis internis accumulantur ad novas opiniones commendandas, quin harum rationum inefficaciam atque debilitatem verbo indicet (*E. B.* 500 [513]).

R. D. Frid. Schimidtke ... de Pentateucho disserens, placita criticae rationalisticae sequitur, neglecto plane decreto Pontificiae Commissionis Biblicae d. d. 27 iunii 1906;

insuper, in historia Veteris Testamenti, nulla ratione habita decreti eiusdem Pont. Com. Biblicae d. d. 23 iunii 1905, genus quoddam litterarium adstruit traditionum popularium falsa veris admixta referentium;

item, miracula plura Veteris Testamenti, vim textui inferens, ut facta mere naturalia explicat (*E. B.* 515-517).

De quibusdam scriptis, recenter editis loquens, maeste conquestus est interdum proponi sententias a normis et a sensu Ecclesiae adeo alienas, ut quasi de novo modernismo biblico cogitari possit.

(Teste P. Aug. Bea S. I. in *Verbum Domini* 34 [1956] p. 129).

S. S. Pii XII:

(S. S. Leo XIII) Consilium, seu « Commissionem », quam vocant, gravium virorum constituit, « qui ea sibi haberent provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate » (*E. B.* 541).

Sicut... substantiale Dei Verbum hominibus simile factum est quoad omnia « absque peccato », ita etiam Dei verba, humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, excepto errore... (*E. B.* 559).

In exegetica expositione, magister ne unquam obliviscatur Ecclesiae a Deo traditam esse Sacram Scripturam non solum custodiendam, sed etiam interpretandam, eamque non aliter esse explicandam nisi eiusdem Ecclesiae nomine et mente, quippe quae sit « columna et firmamentum veritatis ». Quare « sanctum habebit, numquam a communi doctrina et traditione Ecclesiae vel minimum discedere: — utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum — sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget ». (*E. B.* 597).

Ut autem ad novas, quas supra attigimus, opinationes redeamus, plura etiam a nonnullis proponuntur vel mentibus instillantur in detri-

mentum divinae auctoritatis Sacrae Scripturae. Etenim ... sententiam, iam pluries reprobatam, renovant, secundum quam immunitas errorum ad ea solummodo, quae a Deo ac de rebus moralibus et religiosis traduntur, pertineat ... In sacra Scriptura interpretanda nullam haberi volunt rationem analogiae fidei ac « traditionis » Ecclesiae; ita ut Sanctorum Patrum et sacri Magisterii doctrina quasi ad trutinam Sacrae Scripturae, ratione mere humana ab exegetis explicatae sit revocanda, potius quam eadem Sacra Scriptura exponenda sit ad mentem Ecclesiae, quae a Christo Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos ac interpres constituta est... Ac mirum non est huiusmodi novitates, ad omnes fere theologiae partes quod attinet, iam venenosos peperisse fructus... (*E. B.* 612-614).

Peculiari modo deploranda est quaedam nimio liberior libros historicos Veteris Testamenti interpretandi ratio, cuius fautores Epistolam, haud ita multo ante a Pontificio Consilio de Re Biblica Archiepiscopo Parisiensi datam, ad suam defendendam causam immerito referunt ... (*E. B.* 618).

Nec denique putent, falso « Irenismo » indulgentes, ad Ecclesiae sinum dissidentes et errantes feliciter reduci posse, nisi integra veritas in Ecclesia vigens, absque ulla corruptione detractioneque, sincere omnibus tradatur (*E. B.* 620).

Opus a R. D. Bern. Bonkamp editum: Die Psalmen ... non satisfacit legibus hermeneuticis catholicis, sed posthabitis traditione catholica et noris Magisterii ecclesiastici, innititur magna ex parte criteriis subiectivis et prorsus arbitrariis. Quare illud opus in Seminaria et in Collegia religiosorum ne introducatur... (*E. B.* 621).

Decreto Sancti Officii: « Questa Suprema Congregazione ha sottoposto ad esame il volume: *Introduction à la Bible,* t. I, etc. Nella feria IV, 26 febbraio a. s., questi Eminentissimi Padri hanno ordinato che siano avvertiti gli Ordinari e i Superiori Generali degli Instituti Religiosi che per ragioni metodologiche e pedagogiche non si ritiene il sudetto libro adatto come testo o come base d'insegnamento ... ».

Et decreto Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus: Quantum Ecclesia intersit, ut ad Sacerdotium contendentes solidis quidem tutisque argumentis ad Divinas Litteras atque ad res biblicas addiscendas graviter imbuantur, omnibus compertum est. Cum vero Sacra haec Congregatio volumen cui titulus « *Introduction à la Bible,* t. I: Introduction générale. Ancien Testament (Ed. Desclée et Cie, 1957) » diligenter perpenderit, illud, tum quod sanae pedagogiae praeceptis aptaeque methodi minime satisfacere videtur, tum alliis de causis, prorsus ineptum esse censuit. Monentur igitur omnes ad quos perti-

net, ut huiusmodi opus neque ut institutionis liber neque ut praelectionum subsidium adhibendum sinant. Datum Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, d. 21 aprilis a. D. MCMLVIII. I. Card. Pizzardo, Praefectus. C. Confalonieri, *Arch. Nicop.*, A Secretis (*L'Osservatore Romano,* 2 luglio 1958).

Facto, de quo testimonium praebet P. Max Zerwick S. I., alludens ad quasdam opiniones recentiorum adversus propositum virginitatis Mariae Sanctissimae secundum Lucam (I, 34): « Quid mirum si hac nostra aetate, ubi vix quisquam influxum universalis cuiusdam naturalismi effugere potest, ubi coelibatus criticatur, virginitas parvi aestimatur, matrimonium vero cultu circumdatur et vel ipse actus matrimonialis nescio quo mysticismo glorificatur — quid mirum si animi facile accenduntur quando impugnatur vel defenditur dictum Mariae, in quantum censetur attestari, si non fundamentum, certe primarium exemplum virginitatis christianae? Traditionalis interpretatio innixa in obvio sensu verborum intelligit dictum Mariae ut assertionem propositi perpetuae virginitatis » (Max Zerwick, *Historia Infantiae* [Lukas I-II] Romae 1959).

Attentis supra citatis documentis et factis, ad tollendam anarchiam inter scriptores et studentes rei biblicae vigentem, suppliciter petimus:

1) Ut confirmentur Decreta Pontificiae Commissionis de Re Biblica;

2) Ut proscribatur sententia secundum quam hagiographus non est infallibilis quando affirmat, sed tantum quando docet.

N. B. « ... Esta distinción entre la persona privada de un escritor y su personalidad pública de « autor » es particularmente importante en el caso del escritor sagrado. Pues es « inspirado » solamente en el segundo aspecto y no en el primero ... Pueden encontrarse en el Libro Santo michas afirmaciones verdaderas que escapen al privilegio de la inerrancia *porque son enseñadas*. Son inspiradas porques desempeñan un papel en la obra total que Dios hizo escribir; pero no son inerrantes porque este papel es accesorio y no tiene un lazo necesario con el mensaje esencial que es el objeto de la enseñanza del Libro. Sería vano negar que el escritor sagrado afirma la rotación del sol en torno a la tierra, o la derrota de Baltasar « hijo de Nabonides » por « Darío el Medo » (Dan. 5, 2; 6, 1). como sería tambien ingenuo pretender que no estaba convencido de una y orta cosa; las creía perfectamente y las afirma en consuencia. *Pero no las enseña* como autor inspirado, pues no

interesan a la finalidad que lo hace escribir el libro, única respecto a la cual empeña la verdad divina ... ».

(P. Benoit O. P., *Iniciación Biblica,* Trad. Juan M. Abascal Pbro., México 1957, pág. 36. Art. « La Inspiración »).

Pars prima

MUTANDA IN CODICE IURIS CANONICI

Caput I

De vetita clericis et religiosis negotiatione et mercatura

Ad can. 142 C.I.C.

Ecclesia quovis tempore curavit ut clerici et religiosi a cuiusvis generis negotiatione et mercatura exercenda abstinerent, quae eos a studiis ecclesiasticis arcent, a spiritualibus officiis adimplendis distendunt atque eos exponunt vitiis quibus adolent illi qui commercio indulgent, nempe, mendacio, periurio, fraudibus, iniuriis, cupiditati lucri etc. quae omnia semper a clericis aliena habita sunt, iuxta illud Hieronymi: « Negotiatorem clericum tamquam pestem fuge ».

Clericis vetita est:

1) mercatura proprie dicta, quae a nonnullis negotiatio quaestuosa vocatur, cum res eo animo emitur ut carius immutata vendatur;

2) negotiatio industrialis, seu cum res ea intentione emuntur ut ope conductorum operariorum mutatae carius vendantur.

Etiam prohibetur negotiatio politica et publica licet caritatis aut religionis causa exerceatur.

Prohibetur per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere. Ab hac lege excusat:

1) necessitas extrema, quo in casu licentia ab ecclesiastica auctoritate semper petenda est;

2) si negotium clerico ex haereditate obvenerit, quod sine detrimento dimittere non potest, sed tunc requiritur venia S. Sedis, ut per procuratorem illud ad tempus exercere valeat.

Quare ad can. 142.

Quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina hac de re habeatur atque abusus praecaveantur, necessarium videtur ut in capite de Poenis addatur:

« Clerici et religiosi omnes ritus latini, de quibus in cann. 487-681, ne exceptis quidem recentium institutionum sodalibus, per se vel per alios, mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam exercentes, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, contra praescriptum can. 142, utpote huius criminis rei, excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi specialissimo modo reservatam incurrant et, si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur ».

« Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus ».

« Pro omnibus denique, quorum dolo vel culpae patrata facinora tribuenda sit, firma semper manet obligatio reparandi damna illata ».[1]

Caput II

De Indulgentiis

Ad cann. 239, n. 24; 274, n. 2; 349, § 2, n. 2.

Codex Iuris Canonici reformetur in iis canonibus de Indulgentiis, iuxta recentes normas atque liturgicam legislationem novissimam.

Caput III

De Institutis saecularibus

Post can. 681 C.I.C.

Communiter canonistae docuerunt quod nullo in casu, ne per exceptionem quidem, admittatur canonicus status perfectionis, nisi ipsius professio in religione emittatur ab Ecclesia approbata.

Sed Ecclesia ad statum canonicum perfectionis aequiparare statuit societates illas quae, quamvis aliquibus iuridicis sollemnitatibus, ad statum canonicum completum perfectionis et quibusdam conditionibus, ut votis publicis, carerent, tamen in ceteris quae ad vitam perfectionis substantialia reputantur, veris religionibus arcta similitudine et necessitate coniunguntur.

Nostris tandem temporibus accidit ut etiam in saeculo plures florerent animarum copiae quae, peculiari Dei vocatione, in mundo ma-

---

[1] S. Congr. Concilii, decr. diei 22 martii, anno 1950, *A. A. S.*, anno XXXXII, serie II, Vol. XVII, pp. 330-331.

nentes, optimas novas invenire potuerunt Consociationum formas, temporum necessitatibus apprime respondentes, in quibus vitam ducere queunt acquirendae christianae perfectioni admodum consentaneam.

Appellantur *Instituta saecularia* et sunt associationes quae ad vitam solidae perfectionis proprios sodales ducere nituntur et quae, in interna constitutione, in hierarchica regiminis ordinatione, in plena nullisque aliis vinculis limitata deditione, in ratione denique ministeria et apolatum exercendi, propius quoad substantiam accedunt ad status canonicos perfectionis ac speciatim ad societates absque votis publicis, quamvis non vita communi religiosa, sed aliis externis formis utantur.[2]

Quare:

Cum haec Instituta saecularia bonum de se specimen dederint, et cum comprobaverint, per severam sodalium selectionem, per accuratam eorum formationem, per adaequatam vitae ordinationem, etiam in saeculo posse haberi, non solum internam, sed etiam externam Domino consecrationem et ea instrumentum valde opportunum esse penetrationis et apostolatus, *convenire videtur* ut haec Instituta, — de quibus Codex Iuris Canonici consulto siluit —, in Codice obtineant peculiarem iuridicam ordinationem, quae eorum naturae, finibus et adiunctis apte pleneque respondeat atque Statutum generale institutorum saecularium Codici Iuris Canonici incorporetur, v. g. post can. 681.

Caput IV

De ieiunio et tempore celebrationis S. Sacrificii Missae

Ad cann. 808, 821, 858 et 867.

Quae in istis canonibus de ieiunio sacerdotum et fidelium atque de tempore celebrationis S. Missae etc. statuuntur, mutentur iuxta novissimas normas S. Sedis.

Caput V

De divortio

Ad can. 1128.

Cum prosperitati familiarum ac virtutum maxime inimica sint divortia, quae a depravatis moribus nascuntur, animarum pastores operam dent, ut fidelibus quam certissime notum sit, matrimonium ex Dei

---

[2] Const. *Provida Mater Ecclesia,* Pii XII, diei 2 februarii 1947, *A. A. S.*, anno XXXIX serie II, Vol. XIV, p. 114 seqq.

voluntate esse indissolubile adeoque illud partium beneplacito et omni saeculari potestati, ad vinculi solutionem quod attinet, esse omnino subtractum.

Quare ad can. 1128.

Utinam in *C.I.C.* exprimeretur, utrum adsint iustae causae, et quaenam illae sint, ob quas Ordinarius concedere possit ut coniux catholicus, manente vinculo matrimoniali canonico, possit divortium civile tollerare.

Caput VI

De diebus festis

Ad can. 1247.

Novae rationes et modi laboris, productionis, negotiationis, mercaturae etc. nostris diebus graves difficultates gignunt pro christianis, praesertim operariis, circa perfectam observantiam diei festi, non dominicalis, praesertim quoad laborem servilem hisce diebus vitandum.

Quare ad can. 1247.

Propter huiusmodi adiuncta utinam tollatur obligatio abstinendi ab operibus servilibus aliisque, in diebus festis non dominicis.

Ita plurimae habituales transgressiones huic praecepto vitarentur, sola manente obligatione Missae audiendae, cui praecepto optime satisfieri potest per Missam vespertinam.

Caput VII

De Actione Catholica

Ad can. 1365 (et 129).

Attenta magna utilitate apostolatus laicorum, quae difficillime alio modo substitui potest, necessarium est ut singulae Actionis Catholicae institutiones, secundum diversas locorum necessitates et pro diversis temporum adiunctis foveantur.

Ad hunc finem obtinendum non sufficit ut habeantur sacerdotes qui peculiari modo studiis Actionis Catholicae vacaverint, sed sacerdotes omnes Actioni Catholicae et quaestionibus quas vocant sociales incumbere conentur, ut ipsorum ministerium efficacius et operosius evadat.

Quare ad can. 129.

« Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant ... etc. » eius praescriptum extendatur ad studium, tum technicae, tum praxis Actionis Catholicae.

Idem dicendum de can. 1365.

Caput VIII

De Protestantismo

Ad can. 1374.

Cum Protestantismus soleat nostris, maxime adolescentibus insidiari, ope praesertim perniciosarum illarum consociationum Y.M.C.A. et Y.W.C.A. meminerint parentes se licite non posse, neque sub praetextu ludicrarum corporis exercitationum neque sub praetextu linguae cuiusdam exterae discendae, neque alius cuiuscumque utilitatis, filios inscribere in scholis vel associationibus quae, quamvis catholicae religioni infensae non appareant, ab acatholicis certo sustentantur; huiusmodi sunt Y.M.C.A. et Y.W.C.A.[3]

Quare ad can. 1374.

Prohibitioni frequentandi scholas acatholicas, neutras et mixtas, addatur prohibitio frequentandi instituta sic dicta Y.M.C.A. et Y.W.C.A. et idem dicatur de casu quo alicuius subiecti assistentia toleranda possit.

Caput IX

De rebus pretiosis

Ad can. 1532.

Cum Codex Iuris Canonici agit de determinando utrum agatur de rebus pretiosis, exprimit summam « triginta milia libellarum » seu francorum.

Nunc vero, cum libellarum et francorum usus non sit universalis, necessarium esset in singulis casibus summam aequipollentem determinare.

Hoc videtur necessarium ut apta norma edicatur quia cum disputetur circa interpretationem huius can. 1532; quidam enim putant sum-

---

[3] S. Congr. S. Officii, decr. 5 nov. 1920, *A. A. S.,* Vol. XXII, anno XXII p. 595.

mam quae ibidem indicatur aestimandam esse iuxta valorem actualem et legalem, alii vero pretio auri aestimare oportere, quod quidem ad magna discrimina effert.

Sacra Congregatio Consistorialis decrevit, ut « perdurantibus praesentibus adiunctis, et ad nutum S. Sedis, ad eandem Sedem Apostolicam sit recurrendum quotiescumque agatur de pecuniae summa quae millia francorum seu libellarum aurearum excedat ».[4]

Sacra Congregatio Concilii, cum agatur de moderandis iis quae bona ecclesiastica mobilia et immobilia attingunt, decrevit ut pecuniae summa, ex huiusmodi bonorum ecclesiasticorum alienationibus percepta, collocanda sit tantummodo in acquirendis bonis immobilibus in commodum Ecclesiae seu entis cui interest et quod haec quantitas pecuniae applicanda est etiam cum agitur de contractibus sensu lato.[5]

In Mexicana Natione, summa ad quam Apostolicum Beneplacitum requiritur est 5.000.00 dollarium iuxta rescriptum Apostolicae Delegationis in Mexico.

Igitur, ad can. 1532.

Cum dollarium et cuiuscumque alterius monetae vis et nutatio peculiares difficultates inducere possit, opportunum videretur si Sancta Sedes normam fixam inveniret, ut in praedicto canone pro tota Ecclesia stabiliatur, ita ut modo magis perspicuo et uniforme solvantur ea quae in cann. 534 et 1497 *C.I.C.* statuuntur.

Caput X

De communismo

Ad cann. 2317 et 2318.

Iuxta sapientissimas normas a Pio XI editas in Enc. Litt. *Divini Redemptoris,* sacerdotes expressis verbis populo christiano significent communismi doctrinam, philosophicam fallaciam redolere et ex huiusmodi commentis ipsam Aeterni Dei notionem aboleri, cum peculiare communismi propositum eo contendat ut societatis ordinationes radicibus commisceat et christianae humanitatis fundamenta subvertat.[6]

---

[4] Decr. S. Congr. Consist. diei 13 iulii 1951, *A. A. S.,* anno XXXXIII, serie II, Vol. XVIII, pp. 602-603.

[5] S. Congr. Concilii, decr. diei 17 dec. 1951, *A. A. S.,* anno XXXXIV, serie II, Vol. XIX, p. 44.

[6] Pius XI, Enc. *Divini Redemptoris,* 19 martii 1937, *A. A. S.,* anno XXIX, Vol. IV, p. 66.

Proinde, qui scienter et libere factioni communistarum nomen dederint vel faverint, qui libros, periodica, diaria aut folia quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, ediderint, propagaverint aut in eis scripserint, ad sacramenta admitti nequeunt secundum ordinaria principia de sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi.[7]

Tandem omnes qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt et propagant, ipso facto, tamquam apostatae a fide christiana incurrunt in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.[8]

Quare ad cann. 2317 et 2318.

In damnationibus quae in iis cann. continentur includantur etiam quae ad communismum referuntur.

Caput XI

De consecratione episcopi sine canonica provisione

Ad can. 2370.

Ut in capite poenis addatur:

« Episcopus, cuiusvis ritus vel dignitatis, aliquem, neque ab Apostolica Sede nominatum, neque ab Eadem expresse confirmatum, consecrans in Episcopum, et qui consecrationem recipit, etsi metu coacti (can. 2239 § 3, 3), incurrunt ipso-facto in excommunicationem Apostolicae Sedi specialissimo modo reservatam.[9]

Secunda pars

ADDENDA CODICI IURIS CANONICI

Caput I

De quaestione sociali

Perfecta et plena socialis quaestionis solutio non reponenda est in omnium hominum aequalitate, sed potius in eo quod omnes physicae miseriae, quoad fieri possit, e medio tollantur omnesque homines socialibus

---

[7] S. Congr. S. Officii, decr. diei 1 iulii 1949, *A. A. S.,* anno XXXXI, serie II, Vol. XVI, pag. 334.

[8] *Ibid.,* p. 334.

[9] Decr. Supremae S. Congr. S. Officii, diei 9 aprilis 1951, *A. A. S.,* anno XXXXIIII, serie II, Vol. XVIII, pp. 217-218.

humanitatis progressionibus aequa proportione participes fiant, ita ut et digniorem et humaniorem vitam agant.

In eo igitur stat via solutionis socialis quaestionis: quod pauperes fiant minus pauperes et divites minus divites.

Ad hanc perfectam et plenam solutionem obtinendam non sufficit solus Ecclesiae interventus, sed necesse est ut civilis auctoritas operam praestet at privati homines etiam suam cooperationem conferant.

Christianae societatis radices Liberalismus tam intime et profunde pervasit, ut sola Doctrina Socialis Ecclesiae explanatio et praedicatio non sufficiat ad christianos efficaciter excitandos neque ad ipsam socialem quaestionem penitus persolvendam, in quibusdam saltem Nationibus.

Ex alia parte, abusus et iniustae capitalis vindicationes continuo augeantur, quo paulatim paratur via propagationi Communismi athei.

Quare opportunum videtur ut christiani in forma ecclesiasticae legis urgeantur ut iustum salarium operariis suppeditent eosque faciant de perceptis lucris aliqua ratione participes, v. gr. ipsis aliquam utilitatum partem tribuendo.

Hoc posset fieri in Capite de contractibus (can. 1529 et seqq.).

Caput II

De Ecclesia in rebus politicis atque de suffragio, etiam foeminarum.

Ecclesia divinitus a Christo accepit ut esset custos ordinis naturalis et supernaturalis.

Debet igitur coram filiis et coram universo orbe normas fundamentales et immutabiles tueri, absque ulla obscuratione, errore et falsa interpretatione, eo magis quod ad earum observantia et non simpliciter a motu voluntatis nobilis atque ardentis pendet firmitas et stabilitas cuiuscumque ordinis nationalis aut internationalis.[10]

Ab eius spiritualitate et intima vita alienum non est homines perficere etiam in ordine sociali et politico.[11]

Hac ratione Ecclesia, a Christo constituta authentica interpres legum moralium christianarum, eos omnes hortatur qui publicae Status administrationi incumbunt, non solum si sint duces aut legislatores, sed

[10] Pius XII, Allocutio in festo Nativ. anno 1942.
[11] Pius XII, Allocutio in Consistorio diei 20 nov. 1940.

etiam si agatur de iis qui, suo suffragio, populorum rectores eligere debent.

Fideles edoceantur de doctrina catholica circa suffragium ad electionem moderatorum societatis civilis, id tenentes, suffragium, etiam foeminarum, non modo contra catholica principia non esse, quinimmo, ex iis principiis dimanare tanquam gravem obligationem adimplendam.

Quare, opportunum videtur ut:

In Codice Iuris Canonici doctrina Romanorum Pontificum synthetice exponatur, quoad obligationem exponendi suffragium esse dandum solum pro iis partibus vel candidatis qui non solum principia catholicae doctrinae opposita non profitentur aut christianum nomen assumunt, sed positive, pro iis qui, sua agendi ratione, principiis catholicis favent.[12]

✠ IOSEPH Card. GARIBI Y RIVERA
Archiepiscopus Guadalajarensis

9

EXC.MI P. D. IOANNIS NAVARRETE Y GUERRERO
Episcopi Hermosillensis (Hermosillo)

Eminentissime Domine,

De praeparatione futuri Oecumenici Concilii ab apposita Commissione nuntium accepi, ex rescripto N. 1 C/59-1286 ab Eminentia Vestra signato.

Cum infirmus inter episcopos Sanctae Matris Ecclesiae me profiteor, nihil aliud habeo circa spectabilissimum nuntium exponendum, praeter sensus omnimodae meae submissionis erga statuta Sanctissimi Domini Ioannis Papae XXIII.

Me fateor parum admodum percipere de Sanctae Matris Ecclesiae negotiis, praeter ea quae dioecesim cui praesum attingunt, quae quidem nihil novi prae se ferunt, sed omnia in Codice Iuris Canonici sunt sufficienter praevisa et provisa.

Unde hoc unice in votis habeo quod celebrandum Concilium in iis omnibus insistat quae circa fidem et mores christianos ex antiqua traditione sunt recepta et statuta, dum id apud nos inter Christi fideles quam maxime obtineat: quod ab omnibus et in omnibus creditum et servatum

[12] Decr. S. Officii, diei 3 aprilis 1959.

est, id a Christo Domino per Apostolos eorumque successores est habitum et receptum.

Hanc meam responsionem prius non potui mittere quia a ministeriis episcopalibus in latissimo territorio idque cum insufficienti Cleri iuvamine, detinebar.

Hanc nanciscor opportunitatem ut Eminentiae Vestrae humilis in Domino servus me profiteor.

✠ IOANNES NAVARRETE Y GUERRERO
Episcopus Hermosillensis

10

EXC.MI P. D. CAELESTINI FERNÁNDEZ Y FERNÁNDEZ
Episcopi Huajuapanensis (Huajuapan de León)

1. *Pro locorum Ordinariis*:

A) Ut facultatem erigendi Viae Crucis Stationes delegare Episcopi possint.

B) Ut ipsi concedere possint, servata quae ad rem praescripta sunt, asservationem Sanctissimae Eucharistiae in ecclesiis non paroecialibus, sicut usque adhuc, a Sancta Sede per quinquennium concessum est, attentis omnibus ut in c. 1265 § 2. Soluta eleemosyna sueta.

C) Ut suis sacerdotibus concedere possint unam Missam celebrare media nocte, diei Nativitatis Domini in ecclesiis non paroecialibus, absque recursu ad Sanctam Sedem, servatis servandis, cc. 806 § 2 et 821 § 2. Item, pro celebratione Missae, media nocte ultimi anni diei in ecclesiis paroecialibus et non paroecialibus. Remissa ordinaria praestatione.

2. *Pro Parochis*:

A) Ut ad nutum ipsorum sint omnia quae in c. 470 § 3 praescripta sunt propter laborem et inutilitatem.

B) Ut in posterum, in matrimonio celebrando, omittantur impedimenta gradus minoris utpote ab ipso c. 1054 facilitas dispensationis constat.

C) Ut dispensatio Missam applicandi « pro populo » parochis concedatur omnibus diebus suppressis.

3. *Pro clericis*:

A) Ut normae praecisius dentur relate ad omnia quae ab ipsis servandae sunt in viis publicis, praecipue quoad vestem.
B) Ut iis qui spectaculis moraliter periculosis, ut cinematographus et alia huiusmodi, assistere solent, aliqua imponatur poena.

4. *Pro mulieribus*:

Ut poenis aliquibus subiciantur mulieres quae praescriptis ecclesiasticis oboedire nolunt, circa modestiam in veste, praesertim in templis.

5. *Pro omnibus*:

A) Ut in primis feriis sextis cuiusque mensis possit Sacra Communio ministrari horis vespertinis sine Missae celebratione.
B) Ut, si fieri potest, extendatur ad paroecias omnes Iubilaeum a Portiuncula nominatum.

6. *Pro Seminarii alumnis*:

Ut possit Episcopus admittere, absque recursu ad Sanctam Sedem, alumnos propria voluntate e Seminario exeuntes, habita speciali admissionis ratione.

✠ CAELESTINUS FERNÁNDEZ Y FERNÁNDEZ
Episcopus Huajuapanensis

11

EXC.MI P. D. EMMANUELIS J. YERENA Y CAMARENA
Episcopi Huejutlensis (Huejutla)

Huejutla, 15 de agosto de 1960

La suma escasez de sacerdotes con que recibimos esta Diócesis, la que reduce al Vicario General y al Secretario el personal de nuestra Curia; las condiciones climatológicas de la misma Diócesis que urgen con frecuencia a nuestros sacerdotes a separarse de la misma para atender a su salud; y, diversos compromisos relacionados ya con el V. Episcopado, ya con las necesidades económicas de nuestro Seminario que nos obligan

a separarnos de la sede, me impidieron presentar a esa V. Comisión Pontificia los puntos de vista que se nos pidieron oportunamente. Muy atentamente, por tanto, suplico indulgencia por proponerlos hasta ahora.

I. Relaciones entre la Iglesia y el Estado

1) *Razones para proponer el tema.*

El olvido práctico en que aparentemente va pasando entre los escritores contemporaneos la definición de fe contenida en la Bula de Bonifacio VIII.

La confusión a que con frecuencia da lugar en los escritos, aun entre católicos, la terminología usada de poder *directo* e *indirecto* de *tesis* e *hipótesis.*

La tendencia cada vez más marcada de convertir en *la doctrina* propia de la Iglesia lo que no es sino la solución práctica de un problema moral.

La necesidad de doctrinas claras, acomodadas al hecho real contemporaneo de *la no unidad de fe* de los ciudadanos o de la mayoría de los ciudadanos de una nación, y a la constitución y organización política de los Estados Modernos.

La necesidad asímismo de normas generales y en cuanto sea posible iguales, es decir, de leyes universales en esta importantísima materia.

2) *El problema y sus aspectos.*

La definición de fe de Bonifacio VIII y sus alcances.

La libertad y soberanía de la Iglesia. Sus derechos inalienables.

La Iglesia y *las iglesias particulares.* ¿Cual es el alcance para cada *iglesia particular,* y en especial para cada Obispo del privilegio concedido por Cristo a su Iglesia?

Si Cristo desligó a su Iglesia — y en caso negativo hasta qué punto lo hizo — del derecho natural que tienen en la vida humana las sociedades modernas.

En caso negativo bajar a examinar las siguientes cuestiones:

a) función social de la propriedad privada de la Iglesia;

b) función social de la gestión ciudadana (como las demás sociedades y sus miembros) del bien común;

c) función social de la economía del pais;

d) actitud de la Iglesia ante la *no unidad de fe* entre los miembros de la sociedad;

e) problema educativo ante el doble derecho de los padres de familia y la función supletiva del Estado;

f) la Iglesia, y sobre todo las iglesias particulares, frente al Estado moderno: tres poderes constitucionalmente divididos, independientes y ejercidos por personas distintas. Su actitud con relación a cada uno de ellos;

g) el problema de la soberanía plena, leal y realmente reconocida, del Estado en lo temporal, en todo lo que no haya *ratio peccati*.

El problema de la reorganización social, con sus conceptos adversos de dictaduras y democracias y partidos políticos. Tal vez las sugerencias de Pío XI dieran luz para encontrar una reestructuración adecuada.

En el fondo del problema social está indudablemente latente y de él nace el problema hasta ahora sin solución cristiana, a lo menos en la práctica que tiene planteado la economía capitalista liberal. Tal vez las enseñanzas que en diversas ocasiones dió S.S. el Papa Pío XII, d. s. m., sobre la materia, podrían marcar el camino para una reestructuración económico-cristiana.

¿Convendría para quitar prejuicios y evitar equívocos aclarar o mejor suprimir, sustituyéndolos por otros menos ineptos, los conceptos *poder indirecto, tesis* o *hipótesis?*

¿Sería posible una « legislación », como tal universal y uniforme, cuyas variaciones consistieran no en la misma ley, sino en *la aplicación* de ella, cuando a juicio de la autoridad competente (el Sumo Pontífice o la Persona por él designada) lo juzgara y las circunstancias lo exigieran?

Tal vez el estudio y la solución de estas sugerencias pudieran lograr que las relaciones prácticas entre la Iglesia y los Estados contemporaneos fueran mucho más cordiales, y que los hombres, católicos y no católicos, tuvieran un conocimiento mucho más espiritual y perfecto de que la Iglesia de Nuestro Señor Jesucristo tiene por fin las almas; y, como medio para salvarlas, las cosas de este mundo.

II. Con relación a la Eucaristía

La preparación para la primera comunión es el momento en que se ponen los cimientos de la fe práctica a los cristianos; mas este momento de tanta trascendencia encuentra un obstáculo para que el niño pueda tener *una fe racional* en la Eucaristía, en el término usado en los catecismos y aun en los tratados de Teología: *Muerte mistica de Cristo*. Los catequistas aun sacerdotes se consideran impotentes para hacerlo entender a los niños. ¿Serà conveniente sustituirlo?

III. Disciplinares

Con frequencia es motivo de admiración para muchos católicos, y aun de crítica para los poco escrupulosos, ver parroquias que ebundan en

medios económicos, frente a otras, y con la más fría independencia, que carecen aun de los lienzos indispensables para el culto. Otro tanto acontece entre algunas Diócesis. Convendría establecer normas de caridad entre estas personas morales?

Además; careciendo las personas morales de normas positivas que limiten su poder adquisitivo y determinen el empleo que deba darse a los bienes cuando exceden a las necesidades con la prudente previsión, no es raro encontrar Casas Religiosas cuyos miembros ostentan una vida dispendiosa, o Diócesis y Santuarios que acumulan exageradamente bienes inmuebles o en numerario, hasta depositar millones en los Bancos. Lo que, además de las críticas de los poco escrupulosos y de las asechanzas de los perversos, despierta la ambición de los poderes públicos. ¿Valdría la pena tomar en cuenta esta irregularidad?

✠ MANUEL J. YERENA Y CAMARENA
Obispo de Huejutla

12

EXC.MI P. D. EMMANUELIS MARTÍN DEL CAMPO PADILLA
Episcopi Leonensis (León)

Leoniae, 13 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Tuas litteras, diei 18 iunii labentis anni, signatas Prot. N. 1 C/59-738, accepi, propter quod honorificatus gratias Tibi do. Significas Summum Pontificem Papam Nostrum Ioannem XXIII, fel. regn. die 17 maii 1959, Festo Pentecostes, instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, cuius Praeses merito Tua Eminentia Reverendissima electa est. Sic ope huius Pontificiae Commissionis, Pontifex Maximus cognoscere vult opiniones et colligere consilia atque vota Exc.morum Episcoporum et Praelatorum circa ea omnia quae utilitatis sint pro Concilio.

Coram Deo, omnibus perpensis, mihi videtur:

1. Quod attinet maxime ad disciplinam ecclesiasticam et bonorum spiritualem populi christiani, necesse est ut habeatur magis *comprehensio et collaboratio inter clericos,* sive dioecesanos, sive religiosos et regulares, et utriusque inter se, et sic omnis dissensio inter christifideles removeatur.

2. Quod maxime ad incrementum virtutum, fidei praesertim ac pie-

tatis christifidelibus tribuet, ut fulgentius iam resplendeat, *Dogmatica definitione,* Beatissimae Virginis Mariae *Maternitas spiritualis.*

Sacram Purpuram humiliter deosculans me profiteor Emminentiae Tuae Rev.mae addictisimum in Domino

✠ EMMANUEL MARTÍN DEL CAMPO PADILLA
Episcopus Leonensis

13

EXC.MI P. D. STANISLAI ALCARAZ FIGUEROA
Episcopi Matamorensis (Matamoros)

E Civitate Matamorensi, die 4 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Libentissime quidem cupiens obsequendi desideria Augusti Pontificis, mihi a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico patefacta litteris diei 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-1337), sincere ac reverenter sequentia tibi manifesto:

1. Convocatio et celebratio Concilii Oecumenici pro totius christianitatis bono procurando maxime opportuna ac conveniens est.

2. Uti fructus Concilii et summa omnium eius laborum maximi momenti est *unitas* Ecclesiae, non solum ad veram inter catholicos concordiam reaffirmandam, sed etiam ad communionem cum christianis dissidentibus procurandam.

3. Desiderandum certe mihi est ut Concilium declaret ac definiat tamquam dogma fidei divinae ac catholicae: doctrinam quae tenet Immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam veram esse Matrem hominum in ordine supernaturali gratiae, esse a Deo revelatam ac proinde ab omnibus fidelibus firmiter constanterque tenendam.

4. Postulare etiam interest ut Concilium studium quam maxime amplum faciat circa factum *materialismi* infestantis vitam et mores, ita ut *solutiones practicae* ad reinstaurandam vitam christianam excogitentur, et ita ut valores spirituales supra progressus technicos et materiales ab omnibus hominibus recogniti sint.

5. Actuale adhuc etiam est ut Concilium advertentias crebro a Sede Apostolica repetitas pro periculo Communismi praecavendo et repellendo reaffirmet, sed dummodo normae practicae ad illud obiectum obtinendum instituantur.

6. Necessarium videtur quod Concilium ut ita dicam Codicem Iustitiae Socialis Ecclesiae elaboret, ex doctrina evangelica desumptum et fere in documentis Sanctae Sedis circa res sociales iam contentum, sed maxime temporibus praesentibus accomodatum.

7. Tandem practicum visum est ut a Concilio consideretur multiplicitas quae in apostolatus formis hodie viget, praesertim inter laicos, quae diversitas multoties invidias et confusiones inter fideles creat; fortasse igitur necesse sit ut Concilium convenientiam illas formas unificandi bene perpendant, vel saltem in ordinem illas redigendi ut omnes in bonum generale Ecclesiae concurrant.

Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram deosculor.

✠ Stanislaus Alcaraz Figueroa
Episcopus Matamorensis

14

Exc.mi P. D. MICHAËLIS GARCÍA FRANCO
Episcopi Mazatlanensis (Mazatlán)

E Portu Mazatlanensi die 1 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Pergratissimum mihi tuas venerandas rescribere litteras, diebus 18 iunii et 21 martii datas, quibus de proximo celebrando Oecumenico Concilio, a Sanctitate Ioannis XXIII Pontificis Maximi convocato, agitur.

Quapropter, quae sequuntur exponere licebit:

1. Exultante animo ac pastorali sollicitudine de celebrando Concilio notitiam accepimus.

2. Determinationi huiusmodi ex corde obsequimur, et promptissimos in omnibus inserviendi, quacumque sint, nos profitemur.

3. De his quae maximi penduntur et hisce temporibus Ecclesiae praesertim obeunda, duo velimus in Concilio tractari posse:

a) *Ignorantiam religiosam,* qua in dies ingravescente, ita ubique gentium pervasit ut pavescat animus et angatur.

b) *Sacerdotum egestatem,* qua Ecclesia veluti brachiis dolenter orbata, nec divinitus commissum redemptionis opus, nec insidiantibus animarum salutem inimicis obsistere valet.

Quibus expositis, de Tua erga nos humanitate gratias perplurimas rependimus et obsequentissimos in Domino profitemur.

✠ Michaël García Franco
Episcopus Mazatlanensis

15

Exc.mi P. D. MICHAËLIS D. MIRANDA Y GÓMEZ
Archiepiscopi Mexicani (México)

Una cum eo responsum dedit

Exc.mus P. D. FRANCISCUS OROZCO LOMELIN
Episcopus tit. Vitensis, Auxiliaris Mexicani

I. *Religiosorum exemptio*

Exemptio qua gaudent Religiosi, secundum Codicem Iuris Canonici, graviter vertitur in damnum auctoritatis Ordinarii loci et ad animarum bonum non iuvat, praesertim in Dioecesibus sufficienti clero dioecesano carentibus (ut accidit in Archidioecesi Mexicana, ubi Religiosi amplissimo numero superant sacerdotes dioecesanos).

Ideo:

a) Maior desideratur Religiosorum dependentia ab auctoritate Ordinarii, saepe enim operam suam in communi ministerio sacerdotali Religiosi recusant, intenti vero ad ea tantum quae utilitati sunt propriae familiae religiosae. Sic v. gr. systematice, paucis laudabiliter exceptis, nunquam extra Urbem ministeria admittunt aut inter pauperes, quia eis, aiunt, sacerdotes desunt; si autem agitur de paroeciis divitum, praesertim intra Urbem, aut in genere de ecclesiis ubi magna emolumenta acquiruntur, tunc sacerdotes eorum miraculoso modo multiplicantur et hanc animarum curam ardentes desiderant, immoderati ambiunt.

b) Nec, item, operam communem et oeconomicum adiutorium conferunt necessitatibus at causis totius Archidioeceseos, exemptos enim se dicunt et ita iuris argumento protecti a bono catholicae communitatis separantur. Gravius inde apparet incommodum pro Archidioecesi si considerantur Religiosorum numerus qui fere triplicat sacerdotum dioecesanorum numerum; et dum illi magnas inter opes pro suis finibus laborant, opera ipsius Ecclesiae vel urgentiora fieri ex paupertate non possunt.

c) Haud praeterea difficile est praevidere in Archidioecesi Mexicana paroecias et ecclesias, pro maxima parte, volventibus annis, in Religiosorum manus esse venturas. Una tantum, nostro iudicio, imponitur solutio: Auctoritatis Supremae ordinatio secundum quam, iure

communi, omnes paroeciae plene sint dioecesanae; quae, si tradantur Religiosis administrandae, hoc modo fiat dum clerus dioecesanus sufficiens non habeatur.

II. *Binationis licentia*

Pro sacerdotum exiguo numero qui sunt in Archidioecesi Mexicana, optima esset potestas ex iure communi, ut Ordinarii suis sacerdotibus duas Missas cotidie celebrandas permittere possent; diebusque dominicis et festis de praecepto, etiam quatuor.

Huius petitionis causa pastoralis est: multi enim audiendi Missam praeceptum adimplere non possunt nec ad christianam instructionem accedunt; aliunde vero protestantismus indefessus laborat et, proh dolor, in dies progreditur.

II. *Bonorum paroecialium administratio*

Systema hodiernum administrandi bona paroecialia oportet mutari, ita ut haec administratio plene tradatur Curiae; auferentur sic aviditatis stimula, sic ambitiones vitabuntur et perniciosae aemulationes inter Sacerdotes, qui omnes tunc ab Ordinario ea quae ad eorum congruam sustentationem requiruntur directe recipiant.

IV. *Sacra Communio vespere extra Missam permittenda*

Cum saepe fideles Sacram Communionem vespere extra Missam petant et, praesertim, ut facilius infirmorum cura spiritualis habeatur, extendere oportet privilegia in Const. « Christus Dominus » concessa, ita ut Sacra Communio qualibet hora etiam extra Missam distribui possit sub condicionibus in eadem Constitutione expressis.

V. *Beneficiorum reservatio*

Bonum esset supprimere in Iure communi beneficiorum reservationem, quae regimen Dioeceseos torpore afficit.

VI. *Parochorum inamovibilitas*

Status parochorum inamovibilium diversis condicionibus subiciendus est, fortasse tollendus, nam, experientia teste, haec inamovibilitas in damnum haud raro vertitur animarum.

VII. *Dispensatio ab officio divino*

Ab officio divino dispensare vel illud commutare ex Iure communi fas sit Ordinario, qui muneris vi facilius de Sacerdotum suorum adversa valetudine certior esse potest.

VIII. *Error communis in matrimonio*

In Codice Iuris Canonici clara sit erroris communis applicatio ad matrimonium, nam post responsionem Pont. Commissionis pro Codicis interpretatione, haec doctrina adhuc obscura manet.

IX. *Oleum infirmorum*

Cum dies magis crescant pericula in itinere et eventus mortem inferentes undequaque surgant, omnis sacerdos secum ferre possit Oleum infirmorum.

✠ MICHAËL D. MIRANDA Y GÓMEZ
Archiepiscopus Primas Mexicanus

✠ FRANCISCUS OROZCO LOMELIN
Episcopus tit. Vitensis
Auxiliaris Mexicani

16

EXC.MI P. D. ALFONSI ESPINO Y SILVA
Archiepiscopi Monterreyensis (Monterrey)

In Civitate Monterrey, die 1 septembris anno 1959

I. *In re dogmatica*

1. Prosequatur argumentum Constitutionis Dogmaticae Concilii Vaticani de Ecclesia Christi, circa institutionem Episcoporum: *a*) eorum divina origo; et *b*) munera et iura regiminis et magisterii quibus in Ecclesia gaudent, ut veri pastores et magistri ordinarii et immediati suarum Dioecesium, sub auctoritate Romani Pontificis.

2. Cum, ultimis temporibus, universo plaudente orbe, a Summis Pontificibus Pio IX et Pio XII definita fuerint privilegia Immaculatae Conceptionis et Assumptionis in coelum Beatissimae Virginis Mariae, nunc officia eius erga homines maternitatis et universalis mediationis definiantur.

3. Recentiorum errores qui, quamvis a magisterio ordinario damnati fuerunt, sollemniori modo proscribantur; scl. liberalismus, modernismus, laicismus, communismus et existentialismus atheus.

II. *In re disciplinari*

1. Cum adiuncta in quibus evolvitur vita oeconomica populorum et circumstantiae in quibus, non tantum opifices, sed fere omnes versantur ad proprios labores exercendos, sive necessitate compulsi, sive a contractibus obligati, nimis difficilem reddant abstentionem a laboribus diebus festis de praecepto qui intra hebdomadam occurrunt; reducatur numerus horum festorum et legem abstinendi a laboribus pro his diebus abrogetur, firmo manente praecepto Sacrum audiendi.

2. Cum videatur non decere Episcopum carere facultate qua gaudet aliquis sacerdos suae Dioecesis, sive a clero saeculari ob speciale indultum, sive a clero religioso ob privilegium sui Ordinis vel Congregationis, Episcopis communicetur quaelibet facultas qua gaudeant sacerdotes suae Dioecesis; pari modo ac de oratoriis Cardinalium et Episcoporum statutum est in cann. 249 et 239 *Codicis Iuris Canonici* quo lucrare valent in suo proprio sacello sacras indugentias, ad quas acquirendas praescripta sit visitatio templi alicuius vel publicae aediculae civitatis seu loci ubi actu commorantur.

3. Cum magis in dies urgeat omnes vires catholicas in unum colligendi, ut ipsa constitutio Ecclesiae postulat, clare stabiliatur omnes apostolatus externi formas, sive Actionis Catholicae (apostolatus laicorum princeps), sive e religiosis familiis vel a coetibus nationalibus et internationalibus exercitas, in unaquaque Dioecesi auctoritati Episcopi subiici.

✠ ALFONSUS ESPINO Y SILVA
Archiepiscopus Monterreyensis

17

EXC.MI P. D. ALOYSII M. ALTAMIRANO Y BULNES
Archiepiscopi Moreliensis (Morelia)

Moreliae, die 3 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras Eminentiae Tuae Rev.mae diei 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-875) accepi, quibus me certiorem reddis de institutione Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, cui Commissioni Ipse praeest; et a me postulas animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Nuntium de Concilio Oecumenico proxime celebrando laetabundo

animo ab omnibus receptum est: perspicuum enim apparet sollemnem conventum episcoporum qui ex omnibus orbis partibus collecti sub auctoritate Summi Pastoris magisterium ecclesiasticum luculenter repraesentent, indubitanter in splendorem et incrementum Christianae religionis cessurum fore. Etenim lumen divinae revelationis splendescere faciet, dubia quibus conscientiae multorum agitantur auferre poterit et oculos omnium ad veram Christi Ecclesiam, « signum levatum in nationibus », sine dubio convertet.

Quae sequuntur mihi proponenda videntur:

1. Quoniam pietas et devotio erga Deiparam Virginem Mariam continuo in dies crescit et omnes fideles Illam tamquam matrem agnoscunt et venerantur, atque per mediationem Illius omnes gratias provenire persuasum habent, opportunus mihi videtur ut in proximo Concilio tamquam veritates ad fidem pertinentes et spiritualis Maternitas omnium hominum Beatae Dei Genitricis, et eius mediatio universalis definiantur.

2. Inter errores hodiernos praecipuum locum habet communismus atheus, qui sub specie redimendi operarios atque illos omnes qui oeconomica laborant egestate, ab oppressione, ut dicunt, eorum qui bona temporalia detinent, illos allicere student ad subversionem totius ordinis socialis. Quapropter opportunum etiam iudicamus accuratius instituere studium de doctrina communismi, ut errores qui in ea continentur, sollemniter damnentur simulque principia de iustitia sociali, iam saepe a Summis Pontificibus tradita, exponantur et vindicentur; necnon si necessarium hoc videbitur, formula iurisiurandi anticommunistici conficiatur, quae ab illis emittatur qui fidei professionem facere debent.

3. Ad modernos errores impensius debellandos, multum iuvabit in memoriam hominum revocare Christum esse unicum fontem veritatis et ad hoc efficaciter conferre poterit institutio festivitatis in universa ecclesia celebranda Christi Magistri.

4. Omnibus notum est quot et quanta contra fidem et mores pericula deriventur ex spectaculis cinematographicis et ex transmissionibus quae ope radii et televisionis fiunt; simulque ex immodestia vestium mulierum, quae pudorem offendit et occasio est multorum peccatorum. Patres proinde Concilii opportuna remedia proponere poterunt et normas ut modestia in vestitu servetur, praesertim pro ingressu in ecclesias ubi divina officia peraguntur.

5. Novae etiam scholae exsurgunt in arte pictorica et architectonica; unde a multis normae desiderantur ut repraesentationes imaginum D. N. Iesu Christi, B. Mariae Virginis et Sanctorum, et aedes sacrae

quae nostris temporibus aedificantur, accommodatae sint ad pietatem devotionemque fovendam, quaeque animos fidelium a terrenis rebus ad caelestia erigant, omnesque illae imagines et constructiones quae hunc finem attingere non valeant, reprobentur.

Dum haec tibi communico, qua par est reverentia me profiteor Eminentiae Tuae Rev.mae servum obsequentissimum salutemque plurimam in Domino dico.

✠ ALOYSIUS M. ALTAMIRANO Y BULNES
Archiepiscopus Moreliensis

18

EXC.MI P. D. ALFONSI SÁNCHEZ TINOCO
Episcopi Papantlensis (Papantla)

Die 16 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Quamquam multa mea est inexperientia, quando quidem quatuor abhinc menses antistes fui renuntiatus, attamen, attento tuo desiderio, quod benigne mihi manifestasti aestimabili tua communicatione N. 1 C/59-990, die 18 iulii, humillime certiorem te facio earum quae mihi, inter alia, videntur tractanda in Oecumenico Concilio a nostro Sanctissimo Papa Ioanne XXIII, quem Deus large adiuvet, nuntiato:

I. Definitio dogmatica Maternitatis spiritualis ac universalis Beatissimae Virginis Mariae.

II. Definitio dogmatica Mediationis universalis Beatissimae Virginis in omnium dispensatione gratiarum.

III. Accurata ordinatio de modo rite initiandi neosacerdotes ministeriis.

IV. Modus ordinandi efficaciter nationalis characteris labores episcopatus uniuscuiusque nationis.

V. Iuris Corpus Actionis Catholicae strictae dictae.

VI. Ordinatio talis de novis religiosarum congregationum erectionibus ut vitentur non necessariae, vel non bene paratae.

VII. Ordinatio de scholis catholicis, ita ut:

a) vitetur illas converti in negotium, contra bonam educationem alumnorum;

b) vere alumnos moraliter et spiritualiter forment.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

✠ ALFONSUS SÁNCHEZ TINOCO
Episcopus Papantlensis

19

EXC.MI P. D. OCTAVIANI MÁRQUEZ TÓRIZ
Archiepiscopi Angelorum (Puebla de los Angelos)

Angelopoli, die 28 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

Magni quidem honoris ac gaudii fuit mihi littera diei 18 iunii (Prot. N. 1 C/59-1077), quam Eminentia Vestra Reverendissima, qua Praeses dignissimus Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico, infrascripto mittere dignatus est.

Hinc obsecundans desideriis Sanctissimi Domini Nostri Patris Ioannis PP. XXIII, feliciter regnantis — quae mihi sunt suavia mandata — qua par est reverentia ac veneratione, exponere audeo ea quae coram Domino mihi videntur tractari posse ac debere — inter alia gravissima argumenta quae certe tractabuntur — in proximo Concilio Oecumenico:

1. *Definitio Dogmatica Maternitatis Spiritualis B. M. V.* — In magnam utilitatem Sanctae Ecclesiae, in bonum immensum animarum, in novum decus et honorem Beatissimae Virginis Mariae ac in maiorem Dei gloriam vergere aestimo, definitionem dogmaticam Maternitatis Spiritualis B. M. V. super omnes homines.

Sane, decursu anni 1954, Episcopatus Mexicanus, unanimiter ac collective, supplices preces ad Summum Pontificem Pium Papam XII, sanctae memoriae, hanc definitionem postulans obtulit. Multi vero alii Archiepiscopi ac Episcopi — non minus quam 60 — aliarum dioecesium, cum Americae Latinae, tum Americae Septentrionalis, tum denique Hispaniae, Lusitaniae atque aliarum Nationum — imo vero, aliqui ex Em.mis Patribus Cardinalibus — libentissime his Precibus adhaeserunt: sive precibus Mexicani Episcopatus adhaesionem ostendentes, sive Sanctissimo Domino documenta personalia mittentes.

Nec satis, nam multa Seminaria maiora et minora, huius Ditionis Mexicanae, coetus quidam nostri Cleri, Synodi quaedam Dioecesanae, Capitula Cathedralitia, Congressus Mariani, Instituta Religiosa et innumerabiles fideles, in scriptis et magno cum iubilo, hanc eamdem petitionem Sanctissimo Domino proposuerunt.

Haec omnia documenta quae huc spectant, ab infrascripto personaliter tradita sunt Exc.mo ac Rev.mo D. Angelo Dell'Acqua, ad hoc ut in Manibus Ss.mi Patris Pii XII, f. m., ponere dignaretur. Ac postea

praefatus Exc.mus D.nus Dell'Acqua huic infrascripto benigne significare dignatus est ita factum fuisse, ac Summum Pontificem benevolo animo ea recepisse, ac iussisse ea omnia documenta transmittenda esse S. C. Sancti Officii, in qua, absque dubio nunc inveniri debent.

Non est cur hic immorer, Eminentissime Princeps, in expositione fundamentorum doctrinalium huius petitionis, cum in supra laudatis Precibus Mexicani Episcopatus eadem abunde exposita sint. Sufficiat nunc compendiose dicere: innumerabilia documenta Summorum Pontificum, magisterium ordinarium dispersum Episcopatus universi, explicationem theologorum ac exegetarum illorum verborum Redemptoris Nostri in Cruce pendentis: « Mulier ecce filius tuus ... Ecce Mater tua ... » (Ioann. 19,26), sensus unanimem Ecclesiae ac cor totius populi christiani, hoc firmiter tenere: Mariam esse Matrem nostram spiritualem; Ipsam nobis datam fuisse ab ipso Deo, et ex hac veritate doctrinali — sicut sapienter dictum est in Congressu Mariali Internationali Lapurdiensi, anno praeterito elapso, 1958 — multas alias veritates promanare, v.g. Mariam esse Mediatricem omnium gratiarum: eatenus Mediatrix, quatenus Mater Nostra Spiritualis.

Difficillimis hisce temporibus in quibus mundus magis ac magis persentit necessitatem protectionis B. M. V., manifesto summae consolationis ac solatii pro fidelibus omnibus esset, ac novus fons benedictionum Sanctissimae Matris, definitio qua Christi Vicarius in terris, infallibili sua auctoritate atque audito Oecumenico Concilio, proclamaret ut Dogma Fidei, esse veritatem a Deo revelatam id quod omnes in intimo cordis habemus atque Ecclesia tum docens tum discens iugiter profitetur: videlicet, Beatissimam Virginem Mariam esse Matrem Nostram Spiritualem.

2. *Doctrina Catholica de Episcopis.* — Non minoris utilitatis esset pro Ecclesia si Concilium Oecumenicum in considerationem iterum vocaret, studuerit atque aptis declarationibus rite statuerit doctrinam catholicam circa episcopos, quaeque iam parabatur in Concilio Vaticano ac in suspenso mansit. Etenim, postquam Concilium Vaticanum tam sapienter tamque opportune declaravit ac definivit doctrinam catholicam de Romano Pontifice, valde consentaneum et logicum videtur tractare ac definire doctrinam catholicam de Episcopis; eo vel magis quod his temporibus non pauca sint pericula quae minitantur Ecclesiae unitatem ideoque ingentia undique persentiuntur desideria unitatem catholicam corroborandi.

3. *Potestas Episcoporum relate ad apostolatum catholicum.* — Valde necessaria desiderantur — ut mihi videtur — speciale studium

atque opportunae declarationes conciliares circa auctoritatem Episcoporum in suis dioecesibus relate ad apostolatum catholicum.

Cum Episcopatus institutionis sit divinae, cumque Spiritus Sanctus sit qui « posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act. Ap.* 20, 28), cum tandem Episcopus sit Pastor proprius in universa sua dioecesi, evidens est quod ipse centrum ac fons totius vitae catholicae debeat esse, et quod ab ipso dependet seu pendere debet universus apostolatus catholicus dioecesis, non excluso eo qui ab exemptis religiosis, atque a fortiori qui a laicis omnibus peragatur.

Proh dolor! multis in locis huc tendunt diversi conatus: ut apostolatus opera evolvantur practice praeter auctoritatem episcopalem.

Minime agitur — ut ex dictis liquet — de praedicto apostolatu absorbendo aut nullificando, sed potius de eo promovendo, excitando ac coordinando. Quapropter, in aestimandis convenientia, necessitate, opportunitate atque circumstantiis seu modis quibus quilibet apostolatus, qui in dioecesi locum teneat, peragatur, Episcopus sit vere et realiter iudex, magister atque supremus moderator.

4. *Aetas ad sacerdotium requisita.* — Multum iam pridem de hac re cogitatum est: videlicet, de augenda aetate minima ad receptionem Presbyteratus Ordinis requisita. Etenim: aetatis 24 annorum sacerdos adhuc satis iuvenis ostenditur. Et, quod numquam satis lugendum, sunt dioeceses in quibus sacerdotes huius aetatis inter pericula mundi, singuli seu soli mittuntur.

5. *Obligatio Exercitiorum Spiritualium annualium.* — Ob bonum spirituale tum sacerdotum tum ipsorum fidelium mihi videtur consentaneum quod sacerdotibus saecularibus imponatur obligatio Exercitiorum Spiritualium annualium. Nam si sacerdotes — religiosi, qui in minoribus periculis — ob eorum vitam communem — versantur, an eorum Constitutionibus ad Exercitia Spiritualia annua adiguntur, quanto magis sacerdotes saeculares ad hanc obligationem amplectendam compellendi videretur, praetermissa hucusque — vigente obligatione Exercitiis Spiritualibus vacandi tertio quoque anno (Can. 126).

Iam in multis dioecesibus urget obligatio Exercitiorum Spiritualium annualium pro clero dioecesano; vel saltem de facto sic praxis observatur. In aliis vero, neo-sacerdotibus imponitur obligatio per quinquennium peragendi Exercitia Spiritualia singulis annis, ab ipsis statutis synodalibus, ac, expleto quinquennio, singulis duobus annis.

6. *Sacer Recessus spiritualis.* — Si canon 131 loquitur de « Conferentiis seu collationibus » saepius in anno peragendis, quaeque multis in dioecesibus singulis mensibus peraguntur; valde opportunum videtur quod sacri canones aliquid statuant circa menstruum recessum

quem adeo Summi Pontifices ac Magistri Spiritus extollunt et de quo nihil in hodierno *C.I.C.*

7. *Magisterium pro alumnis in Seminariis.* — Cum sermo erit de meliori quo fieri potest praeparatione futurorum sacerdotum in Seminario, magnae utilitatis fore aestimo, si Concilium Oecumenicum declarationem specialem proferat circa momentum illius praxis quae iam in multis dioecesibus atque Institutis Religiosis peragitur, videlicet: quod alumni, expleta philosophia et ante cursum theologicum, operam dent magisterio, per unum saltem annum, sub vigilantia propriorum Ordinariorum, in Seminariis Minoribus, scholis apostolicis, vel collegiis catholicis elementaribus virorum.

8. *Quintus S. Theologiae curriculus.* — Etsi multis in dioecesibus — ob magnam penuriam sacerdotum — difficultatibus laboraretur, tamen mihi videtur magnae utilitatis fore si Oecumenicum Concilium momentum declararet circa 5um. Theologiae curriculum, cuius finis specialiter huc tenderet: ad meliorem profectum neo-sacerdotum in disciplinis pastoralibus atque ad graduale et prudentiale incrementum in eorum contactu cum saecularibus fidelibus.

9. *Tempus ad Novitiatum requisitum.* — Non solum summae utilitatis, verum etiam necessitatis videtur quod tempus novitiatus in Institutis Religiosis, tam virorum quam mulierum, ad duos integros annos protrahatur, lege universali Ecclesiae.

10. *Observantia dierum festorum.* — Magna evolutio ordinis socialis et oeconomici quae de die in diem maius capit incrementum hoc effecit: ut dies festorum de praecepto quae intra hebdomadam incidunt, proh dolor! multis in locis fere non observentur, saltem quoad abstinentiam laborum servilium.

Immo vero, hoc iam contingere cernimus diebus etiam dominicis. Quapropter — firma obligatione de sacro audiendo — optimum esset si Concilium Oecumenicum opportunas declarationes de hac re tulerit: sive auferendo talem obligationem relate ad labores serviles, sive etiam amplissimas normas edendo quibus etiam simplices confessarii dispensare possent ab hac labe in casibus particularibus, etiam pro diebus dominicis, rationabili de causa.

Haec communicans cum Eminentia Vestra Reverendissima, occasionem libentissime nanciscor ad significandos sensus meae devotionis et obsequii, dum me profiteor

addictissimum in Domino

✠ OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ
Archiepiscopus Angelorum

20

Exc.mi P. D. LUDOVICI CABRERA CRUZ

Episcopi S. Ludovici Potosiensis (San Luis Potosí)

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ludovicus Cabrera Cruz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus S. Ludovici Potosiensis, in Mexicana ditione, sequentia argumenta in proximo Concilio Oecumenico tractanda proponit:

I. Cum iam vere difficile fiat, propter oeconomicam structuram populorum, quod multi operarii et alii salario vel stipendio conducti, festa praecepti inter hebdomadam servent, indicetur obligatio pro omnibus qui in huiusmodi necessitate versentur, illam supplendi cum recitatione privata Rosarii B. Mariae Virginis. Hoc etiam intimetur omnibus qui in dominica die vel intra hebdomadam in festis praecepti, propter distantiam, inopiam sacerdotum et alias similes rationes, Missae non intersunt, in parvis oppidis ruralibus.

II. Incorporentur Codici I. C. postulatus de Actione Catholica, Ordo instauratus Hebdomadae Sanctae, et recentiores leges de ieiunio eucharistico, missa vespertina, administratione confirmationis, et sic de caeteris.

III. Res magni momenti nunc est in desiderio omnium fidelium huius Mexicanae ditionis: ut veritas Maternitatis Spiritualis B. Mariae Virginis supra omnes homines redemptos, iam inter nos a saeculis corde et mente professa, dogma fidei declaretur. Haec postulatio abhinc tribus annis exhibita Sedi Apostolicae fuit, ab omnibus singillatim et collective Episcopis Mexicanis, a multis fidelibus huius ditionis et non paucis Praelatis Americae Latinae. Si haec declaratio in Patruum Concilii Sessionibus promoveatur, gradus egregius indubitanter progredietur in devotione, pietate atque vita confidenter christiana instauranda fidelium. Hanc causam Concilium promovens, innecteret novam pretiosam fulgentem margaritam in splendida Corona B. Virginis Mariae, Matris Nostrae Amantissimae.

Vestram Purpuram humillime deosculans,

Servum in Christo me profiteor

✠ Ludovicus Cabrera Cruz
Episcopus S. Ludovici Potosiensis

21

Exc.mi P. D. ERNESTI CORRIPIO AHUMADA
Episcopi Tampicensis (Tampico)

Tampici, 21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ut Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. reg. Voluntati obsecundem relate ad res argumentaque in futuro Oecumenico Concilio tractanda, mihi a Vestra Eminentia, Praeside Commissionis Antepraeparatoriae Consilii, manifestatae in litteris sub Prot. N. 1 C/59-1326 diei 18 iunii 1959, usus consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium iudicavi maximi momenti ad munera pastoralis administrationis prae oculis habere quasdam quaestiones quas humiliter Vestrae Eminentiae mitto.

Animadversiones circa res pastorales malui proponere cum mea Dioecesis inopia sacerdotum laboret cumque, ob eandem rem, caream elementis qui tempus consumere valeant in profundioribus studiis doctrinalibus quin patiantur animae fidelium eisdem commissae.

Indicationibus Summi Pontificis necnon Vestrae Eminentiae intentus, summa reverentia, me profiteor vestri addictissimum servum in Domino.

✠ Ernestus Corripio Ahumada
Episcopus Tampicensis

Doctrinae Caput.

Filiali dilectioni iterum petitionem facimus ab Episcopis, clericis et fidelibus huius Mexicanae Nationis nuper propositam: *Ut definiatur tanquam dogma fidei maternitas spiritualis B. V. Mariae.*

Disciplinares quaestiones:

Postulamus:

1. Ut quaedam normae Iustitiae Socialis circa sacerdotes pauperes, infirmos et senes includantur in Codice Iuris Canonici.

2. Ut paroeciae omnes sint amovibiles ad nutum Episcopi. Motiva ratio: Ut consulatur regimini administrativo.

3. Ut studia fiant circa privilegium exemptionis religiosorum ad obtinendam eorum maiorem disponibilitatem iussis Episcopi: *a*) In administratione oeconomica beneficiorum eisdem commissorum in Dioecesi. *b*) In administratione pastorali. *c*) In praescriptionibus disciplinaribus datis ad bonum Dioeceseos.

4. Ut in administratione sacramentorum Baptismatis, Confirmationis, Extremae Unctionis et Matrimonii fas sit uti lingua sive latina sive vernacula. Quod itidem liceat in sacramentalibus. Rationes motivae: Ut fideles intelligant ritus atque maior profectus spiritualis ipsis sit.

5. Ut brevior fiat formula ritualis tum absolutionis tum distributionis S. Eucharistiae. Motivae rationes: Inopia sacerdotum, magnus concursus fidelium, regionum feritas, multiplicia officia sacerdotum.

6. Ut sit delegabilis potestas ordinaria audiendi confessiones qua parochus gaudet. Motivae rationes: Inopia sacerdotum et bonum animarum.

7. Ut ab Ecclesia concedatur potestas audiendi confessiones cuilibet sacerdoti qui, gaudens iurisdictione in sua dioecesi, ministerium sacrum obeat ipsi commissum ab aliquo Parocho vel Ecclesiae Rectore. Ratio motiva: Bonum spirituale fidelium.

8. Ut Sacra Communio distribui possit omnibus diei horis, iuxta praescripta canonis 867-4 *C.I.C.* cum, nostris temporibus, e constitutione « Christus Dominus » diei 6 ianuarii 1953 et Motu Proprio « Sacram Communionem » diei 19 martii 1957, concedatur missarum celebratio horis vespertinis. Motiva ratio: Bonum spirituale fidelium.

9. Ut Sacram Communionem possint distribuere viri religiosi atque laici pii designati ab Ordinario. Motiva ratio: Ministrorum inopia.

10. Ut habitualiter custodiri possint Sanctissima Eucharistia in locis de quibus agit can. 1265-1, 2° *C.I.C.* quin necessarium sit ut sacerdos celebret ibi Missam semel in hebdomada. Motiva ratio: Sacerdotum inopia.

11. Ut sufficiat Episcopi licentia ad Sacram Eucharistiam in locis de quibus agit can. 1265-2 *C.I.C.* Rationes motivae: Consulendi bono spirituali fidelium et promovendi cultum Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti.

12. Ut Episcopus possit concedere cuilibet sacerdoti delegationem generalem assistendi matrimoniis.

13. Denique ut poena statuta in can. 2335 *C.I.C.* sit pro « pertinaciter adhaerentibus » cum in perpluribus dioecesibus sint fideles qui nomen his sectis vel associationibus dent propter ignorantiam curiositatem aut necessitatem laboris vel sustentationis familiaris.

✠ Ernestus Corripio Ahumada
Episcopus Tampicensis

22

EXC.MI P. D. ADOLFI HERNÁNDEZ HURTADO
Episcopi Tapacolensis (Tapachula)

E civitate Tapacolensi, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Cum dignitate episcopali nuper indigne gaudeam, minima in iudicium Concilii Oecumenici futuri praestare valeo. Attamen, vehementer desiderans ut Fratres carissimi in officio pastorali, magna sui ministerii experientia praediti, de hac re amplissime proponant, meo iudicio, ut non sileam, pauca haec reverenter exponat:

1. Ut doctrina quae tenet Beatam Mariam, Matrem Dei, esse veram Matrem nostram in ordine supernaturali gratiae, declaretur tamquam Dogma fidei, divinae et catholicae, ac proinde ab omnibus fidelibus firmiter constanterque tenenda.

2. Ut prudens distributio cleri, tum saecularis quam regularis, saltem pro tempore, in favorem locorum vel regionum eiusdemque carentium habeatur.

Dum, simul cum fidelibus pro futuro Concilio Oecumenico preces Deo vehementer agimus, Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram deosculor et subsignor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

addictissimus

✠ ADOLFUS HERNÁNDEZ HURTADO
Episcopus Tapacolensis

23

EXC.MI P. D. IESUS VILLAREAL Y FIERRO
Episcopi Tehuantepecensis (Tehuantepec)

Sancti Andreae Tuxtla Ver, die 5 augusti a. D. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

In litteris tuis mensis iunii dignatus es nuntiare mihi praeparationem proximi Concilii Oecumenici, quod mihi pergratum fuit.

Inter res et argumenta quae in Concilio tractari poterunt, mihi videntur convenire haec:

1. Ut meliori modo servetur spiritus supernaturalis in sacerdotibus, oportet ut sub gravi, saltem quarta pars horae orationis mentalis quotidie imponatur.

2. Suadeantur Reverendi Superiores Ordinum vel Congregationum Religiosarum ut velint fundare missiones, in dioecesibus in quibus minor est numerus sacerdotum saecularium.

3. Ut Exc.mi Domini Archiepiscopi dignentur adiuvare dioeceses pauperes ad suum seminarium efformandum, aut saltem ingressum in seminario proprio concedendo alumnis harum dioecesium cum modico stipendio.

Fausta quaeque Tibi adprecor, meque profiteor Eminentiae Vestrae

addictissimum servum

✠ Iesus Villareal y Fierro
Episcopus Tehuantepecensis

24

Exc.mi P. D. ANASTASII HURTADO Y ROBLES
Episcopi Tepicensis (Tepic)

Una cum eo responsum dedit

Exc.mus P. D. IOSEPH M. PIÑA TORRES
Episcopus tit. Milevitanus, Auxiliaris Tepicensis

Tepici, die 22 mensis aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Episcopus Residentialis et *Episcopus Auxiliaris Dioeceseos Tepicensis,* in Mexicana Ditione, qua par est reverentia, sequentia capita proponunt tractanda in proximo Concilio Oecumenico Vaticano Secundo:

I. De Maternitate Spirituali Beatae Mariae Virginis. Utinam talis veritas dogma fidei definiatur in Concilio.

II. De Codice Iuris Canonici in simpliciorem formam redigendo, deque addendis in Codice pluribus ex facultatibus quinquennalibus et decennalibus quae Ordinariis locorum conceduntur, ad facilius citiusque bono animarum providendum.

III. De inserendis in Kalendario Ecclesiae Universalis festivitatibus sanctorum principalium uniuscuiusque nationis, ita ut catholicitas Ecclesiae Christi magis eluceat.

IV. De revisione et correctione lectionum historicarum Officii Divini.

V. De Conciliis Oecumenicis frequentius celebrandis, e.g., quinquagesimo quoque anno.

VI. De vestibus clericorum hodiernis rerum adiunctis prudenter accommodandis, ita ut vestes nec spiritum mundanum sapiant sed statui clericali vere conveniant, nec obsoletae videantur.

✠ ANASTASIUS HURTADO Y ROBLES
Episcopus Tepicensis

✠ IOSEPHS M. PIÑA TORRES
Episcopus tit. Milevitanus
Auxiliaris Tepicensis

25

EXC.MI P. D. ARTURI VÉLEZ MARTÍNEZ
Episcopi Tolucensis (Toluca)

Tolucae, die 6 octobris a. D. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

Cum litterae, quae ab Eminentia Tua Reverendissima transmissae fuerunt die 18 iunii huius anni (Prot. N. 1 C/59-1360), ad me pervenerunt, versus Urbem iter parabam perficiendi causa Visitationem ad Limina.

His autem diebus reversus de earum rebus edoctus sum, quaeque cum sint maximi momenti, de eisdem ob temporis angustiam, opinionem meam exponere non audeo, quoniam eas communicare cum meis Sacerdotibus et ab ipsis sententiam exquirere ad praesens perdifficile est. Attamen, ut res ipsa expostulat, non possum non adhaerere huiusmodi propositis, omni plausu dignis, atque ea Deo maxime commendare simulque in hac tota dioecesi preces orationesque pro felici exitu, tam praeparationis quam celebrationis istius futuri Oecumenici Concilii, admoventur.

Hanc nactus occasionem, dum Eminentiae Tuae Reverendissimae omnia fausta quaeque exopto, me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae add.mum
✠ ARTURUS VÉLEZ MARTÍNEZ
Episcopus Tolucensis

26

EXC.MI P. D. EMMANUELIS P. LÓPEZ ESTRADA

Archiepiscopi Verae Crucis (Veracruz)

Ialapae in sede Archidioecesis Verecrucensis,
die 15 augusti a. 1959

Eminentissime Domine,

Cum tuas acceperim litteras cumque eas attente perlegerim, gaudio magno sum affectus eo quod iterum atque iterum Ecclesiae robur, vita et foecunditas eluceat; cum enim tot ac tantis curis praeoccupetur nihilominus, de singulis providens, et ad hanc tanti momenti Concilii sc. Oecumenici quaestionem oculos vertit. Hoc ad Deo gratias fundendas nec non et ad opportuna ab Eo pro bono exitu Concilii auxilia expostulanda cor admovet.

Debita cum reverentia quae sequuntur considerationi themata exponenda iudicavi.

In re morali.

I. In diebus numerus augetur eorum qui matrimonii iuris usui indebito indulgent; item qui chirurgi interventione nuptam mulierem sterilem reddent. Argumenta vero ab ipsis proposita haec sunt: Valetudo mulieris. Ius ad vitam et ad salutem cui iuri matrimonio non est renuntiatum. Difficultas, impossibilitas nonnulli dicunt, servandi castitatem quando ad ipsam vocatio non habetur. Theoria « Ogino-Knaus » nullam affert securitatem, unde: Homo nuptus « ius » habet, non tenetur ad abstinentiam; si vero, nullo adhibito artificio, matrimonio utitur contra medicorum consilia ob defectus salutis in foemina, quando consequenter ad usum matrimonii sponsa obiit, ipse sponsus, positive, etiamsi non immediate est causa mortis.

II. Asseritur activitatem ordinis sexualis respondere sic dictis « indigentiis biologicis » quibus obstare ita est absurdum ut a cibo abstinere.

III. Praevia restitutio in casu expropriationis publicae utilitatis causa nonnumquam pro Statu novum potest creare problema per ius prius.

IV. Consideretur subditorum indigentium conditio quando, accepto beneficio ex facto expropriationis provenienti, Auctoritas munus restituendi omittit.

V. Videtur divites non aliam admittere respectu propriarum divitiarum obligationem praeter illam a charitatis praecepto provenientem.

In re psycologico-theologica.

Non desunt qui non dubitent affirmare sanctitatem esse « phaenomena psycologica », seu factum explicabile ob innatae tendentias.

In re pastorali.

I. Eo quod in sacerdotali ministerio nonnumquam obliviscantur verba Domini « Filius hominis non venit ministrari sed ministrare » deest in nonnullis sacerdotibus illa charitas, bonitas, mansuetudo ac patientia quorum Christus exempla praebuit, et quibus ornatos voluit suos sacerdotes, qua de causa plures infideles non accedunt, quinimmo et plures etiam ab Ecclesia recedunt fideles.

II. Urget specialis et bene excogitatus in favorem operariorum apostolatus. Diffusores pravarum doctrinarum, sive in ordine religioso, sive morali sive sociali, scholae, bibliothecas, stadia et opera similia construunt quibus adeptus non paucos adipiscuntur.

II. Non desunt fideles qui aliquo sacramento carent (Matrimonio praesertim) eo quod etiamsi impares sint stipendia solvere, gratuita administratio eisdem denegatur.

IV. Specialis cura videtur adhibenda in constructione aedificii apti ut efficacius religiosa instructio, pueris praesertim, tradatur.

In re disciplinari.

Sacerdotes « ad modum divitum » propter fastositatem domus, currus, etc. vitam degentes argumenta et opportunas occasiones seminantibus communismi semina videntur praebere.

Haec humillime proposita pergratum mihi est Eminentiae Tuae fraternam patefacere dilectionem, simulque a Domino gratiarum copiam animae Tuae infundendam expostulare.

✠ EMMANUEL P. LÓPEZ ESTRADA
Archiepiscopus Verae Crucis

27

Exc.mi P. D. FERDINÁNDI RUIZ Y SOLÓRZANO
Archiepiscopi Yucatanensis (Yucatán)

Emeritae, Yucatan, Mexico, 31 augusti 1959

Die octava huius mensis recepta communicatione supra signata, Eminentiae Tuae Reverendissimae expono quae mihi ratione habita aliorum Presbyterorum, opportuna videntur:

1. Materialismum ac neo-pelagianismum nostri temporis: Loquimur de materialismo, attamen hoc nomine non tam plenam spiritus negationem connotatam volumus, quam generalem in vita cogitandi iudicandique modum.

Deus scilicet, subiectio hominis erga Deum, salus aeterna, peccatum, ordo supernaturalis, dona gratiae eiusque oeconomia, omnia temporalia esse media ad Deum serviendum; quodam universalissimo ac summe lamentando modo, in hominum vita, etiam christianorum, ignorantur et despiciuntur.

Necessitas ergo summa adesse videtur ut Concilium de novo, fortiter et efficaciter remedia speculativa et practica Ecclesiae praebeat ad hoc detrimentum evertendum.

Consequentia necessaria huius materialistici spiritus est insana mundi hominumque, etiam plurimorum christianorum, persuasio, quae homines ducit ad contemptum gratiae donorum, atque ad integram suam fiduciam in rebus et viribus mere naturalibus, scilicet, scientia humana, divitiis, oeconomico, ut aiunt, progressu, etc., etc. reponendam. Gratia autem, divinumque auxilium penitus parvipenduntur. Homo itaque bonus ac rectus iudicatur, qui sine debita Deo subiectione atque obedientia, sine vera religione vivit.

Desideratur igitur iterum iterumque atque apprime « mentalitati », ut dicunt, nostri temporis ut detur accommodata doctrina et praxis absolutae necessitatis Ecclesiae Christi ad uniuscuiusque salutem aeternam.

2. Pugna maxima ac maximum Ecclesiae animabusque detrimentum est illa, quae communismum atque capitalismum tabe liberalismi praesertim oeconomici infectum infeliciter vexat.

Saepe ac saepius sapientissimae doctrinae atque animadversiones, necnon activitates Sanctae Sedis de his rebus christifideles ditavere. Tamen necessarium omnino ducimus ut clare, expresse, in concreto, haereses atque errores sive in ordine theologico, sive in philosophico, sive

in sociali, tum communismi athei, tum capitalismi liberalis, ita fidelibus inculcentur ut etiam rudiores facile tantos errores intelligant atque sese ab eisdem servare sciant.

3. Nostro iudicio, summa cura, integra doctrina quae ad Ecclesiam, Statum, atque ad eorum relationes mutuas, sive speculative, sive practice sese refert, est attendenda. Eo modo quo fideles doctrinam facillime intelligere possent atque in praxim adferre, — nullo modo praetermissa aut quadam lenitate dulcificata definitione dogmatica Ss.mi Domini Nostri Bonifacii VIII in Bulla « Unam Sanctam » —; atque postquam serio et profundo studio id subiiciatur, doctrina de mutuis Ecclesiae atque civilis potestatis relationibus, modernis populorum circumstantiis examinatis, declaranda ac percipienda esset.

En aliqua circa hanc rem principaliora vota:

a) Ius divinum, unicum et exclusivum verae religionis, ac eiusdem iuris falsis religionibus denegatio;

b) ipsam civilem societatem, etsi perfectam ac in suo ordine supremam, merum medium esse ex divina ordinatione ad salutem animarum;

c) summi momenti problema de puerorum ac iuvenum educatione;

d) monopolium educationale Status, intentatum ac haud in paucis nationibus in praxim plene deductum;

e) ingens ac difficillimum problema, quod vaguissimo ac complexivo modo volumus significare dum « de quaestione sociali » loquimur;

f) problema oeconomico, sive nationale, sive internationale;

g) iura civium in unoquoque populo ad rem civicam pertractandam.

4. Opinamur multis futuris modis conveniens ad facilius et efficacius Ecclesiam Dei regendam, ius divinum Episcoporum, ut ipsis successores Apostolorum sunt, ius inquimus, legislativum et iudiciale praesertim uniuscuiusque Episcopi in sua dioecesi, non modo doctrinam immutatam atque ab omnibus recognitum esse, verum etiam practice exerceri posse.

In tuto ergo repositis et custoditis: *a*) Primato Romani Pontificis, etiam quoad ipsos Episcopos, ac plena eorum erga Sancti Petri Successorem subiectione; *b*) libera ac expedita facultate uniuscuiusque christifidelis ad directum et immediatum recursum in unoquoque casu ad Sanctam Sedem; corrigendum esse putamus Ius Canonicum, ita tamen ut iura christifidelium atque securitas, praesertim in exercitio potestatis iudicialis Episcoporum, magis magisque firma permaneat, atque omnia

denique ad realitates et obiectivas circumstantias vitae actualis accommodetur.

De facto, secundum normas et leges hodiernas Ecclesiae nulla est potestas legislativa Ordinariorum; potestas vero iudicialis, ita, vellis nollis, circumscripta manet ut fere nulla etiam reddatur. Ex quo quidem, ut nobis videtur, oritur et detrimentum salutis animarum et quod Ordinarii non vere et proprie tales sint, sed administratores portionis Ecclesiae.

5. Ad gloriam maximam Omnipotentis Dei et Domini Nostri Iesu Christi, ad maiorem Beatissimae Virginis Mariae, ad augendam populi christiani devotionem ac filialem fiduciam, atque ad aperiendum innumerabilibus hominibus iter ad salutem in omnipotenti intercessione Beatissimae Virginis Mariae ab Ipso Christo Domino benignissimae constitutum; votum populis christianis vehementer desideratum adimpleretur, si Concilium definitionem dogmaticam proclamaret Beatam Virginem Mariam, ex liberrima Dei voluntate et electione, esse vere et proprie nostram Matrem Spiritualem atque Corredemptricem.

6. Participatio laicorum in hierarchico Ecclesiae apostolatu, quae quidem simpliciter est necessaria, prout nobis realitates obiectivae ostendunt, videtur haud spernendum periculum in semetipso continere.

Generali modo mentem nostram enuntiamus si dixerimus bonum spirituale animarum et bonum Ecclesiae spirituale sensim sine sensu in medium, merum medium, converti, quod dirigitur veluti in usum proprium finem ad res temporales.

Temporalia quidem ex insipientia atque mala hominum voluntate maxime detorta, maxime iniusta, quibus sine dubio efficax remedium est afferendum; sed tandem aliquando res temporales, ut sunt, v. gr. res oeconomicae, organizationes sociales, labores directe tendentes ad bonum commoditatemque corporis atque ad res temporales et externas.

Requiritur ergo doctrina ac prudens sapiensque legislatio, quae res ex contrario ordinet, scilicet, temporalia esse media, supernaturalia et aeterna finem; apostolatum etiam laicorum, si apostolatus hierarchicus Ecclesiae esse debet, exclusive ad supernaturalia, veluti in finem, et aeterna tendere debere, nec officium Ecclesiae esse umquam temporalia, ut temporalia, quaerere et ordinare.

En praeterea aliqua quae magis ad pastoralem praxim spectant.

1. Ut qui ad Sacerdotium in Seminariis parantur, sacrum presbyteratum non recipiant studiis expletis, sed ante subdiaconatum exeant ad ministerium exercendum, et post praefinitum tempus, si seipsi apti videantur et Ordinarius ita eos etiam iudicet, ad presbyteratum vocentur;

supposita potestate voti castitatis dispensandi pro iis qui subdiaconatum receperunt.

2. Ut Missa et communio vespertina, atque etiam dispositiones circa ieiunium eucharisticum, disciplina ordinaria et communis reddatur.

3. Ut sacerdotibus, tam saecularibus quam religiosis, privilegia non concedantur, si ea ipsa Ordinarii locorum non habeant.

4. Ut religiosis: *a*) maior spiritus vel sensus apostolicus collectivus exigatur; *b*) ut adsint ubi re vera detur necessitas apostolica, et non primum et ante omnia in populosioribus civitatibus; *c*) ut magis subditi maneant, habita ratione eorum exemptionis, Ordinariis locorum in iis quae ad pastorale opus spectant.

5. Ut lingua propria fidelium utatur in administratione sacramentorum, atque etiam in collatione ordinum maiorum, saltem in iis orationibus quae populo diriguntur.

6. Ut Missa obligatoria pro fidelibus christianis dominicis et diebus de praecepto ita disponatur ut populus assistens veram participationem activam, realem et externam sumat.

7. Ut beneficia ecclesiastica supprimantur, ita ut officia tantum maneant.

8. Ut ad suum proprium valorem reddantur ordines minores, forsan etiam in personis nuptis.

9. Ut in multis, sensus vel spiritus christianus legibus ecclesiasticis detur. Sunt v. gr. ordinationes canonicorum in quibus fere tantum loquitur de modo distribuendi pecunias.

10. Ut recitatio Breviarii minuatur, ita v. gr. Matutinum: psalmus et tres lectiones. Horae: psalmus et una oratio.

11. Ut in SS. Congregationibus Romanis praesens sit universalis Ecclesia praeclaris viris omnis loci.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus in Domino

✠ FERDINANDUS RUIZ Y SOLÓRZANO
Archiepiscopus Yucatanensis

28

Exc.mi P. D. ANTONII LÓPEZ AVIÑA
Episcopi Zacatecensis (Zacatecas)

Die 19 augusti 1959

Litteris Eminentiae Tuae Rev.mae mense iunio die 18 currentis anni, qua par est reverentia sic respondeo.

Sicut iam Eminentia Tua Rev.ma suadebat, in hoc labore conficiendo perutile mihi visum fuit consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium uti, eaque de causa, consilium V. Capituli Cathedralis et vicariorum foranaeorum inquiri, quibus addo proprias meas sententias et vota, quae per praesentes litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae exponam:

1. Dogmaticam definitionem tum Maternitatis spiritualis Beatae Mariae Virginis erga Christifideles omnes, tum Mediatricis officium eiusdem B. Virginis in omnium gratiarum fidelibus concessione.

2. Doctrina moralis circa huius temporis problemata tam lucide a Summis Pontificibus huius aetatis, praecipue a Pio XII s. m. exposita, in unum corpus redigere ac forsan, si necesse sit, complere.

3. Systhematizare et praesentis temporum circunstantiis aptare, ratione praecipue communismi athei, Ecclesiae doctrinae capita Actionis socialis et Actionis Catholicae, necnon novam organizationem Actionis Catholicae.

4. Quae omnia tractanda erant in Vaticano Concilio perficere.

5. Capitula Canonicorum ita instaurare, ut Canonici officiis dioecesani maximi momenti iuxta hodiernas necessitates sese incumbant, quod quidem alicubi iam exstat.

6. Can. *C.I.C.* 476-3 complere eo sensu quod etiam in vicariorum remotione parochum audire necesse sit.

7. Omnium Religiosorum in exercitio pastoralium et ministerialium officiorum subiectionem omnimodam ecclesiasticae Hierarchiae.

8. Ut in Codice Iuris Canonici inducatur obligatorietas iubilationis in favorem sacerdotum senium invalidorumque.

9. In unum corpus redigere complexus omnium legum liturgicarum, sicut in legibus canonicis factum est, eorumque simplificationem, praecipue in sacramentorum administratione. In Rituali Romano novae benedictiones magis opportunae desiderantur. In Breviario abbreviationem officii dominicalis praesertim, ratione maioris laboris pastoralis huius diei.

10. Ut s. Communio horis postmeridianis, etiam sine Missae celebratione distribuere liceat.

Omnia fausta Tibi adprecando, in Christo me addictissimum profiteor

✠ ANTONIUS LÓPEZ AVIÑA
Episcopus Zacatecensis

29

EXC.MI P. D. IOSEPHI G. ANAYA Y DIEZ DE BONILLA
Episcopi Zamorensis in Mexico (Zamora)

Zamorae, in Mexico, die 26 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Tuas pergratas Litteras diei 18 iunii huius anni, sub N. 1 C/59-1498 datas, opportune recepi, statimque Commissionem constitui virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium qui in hac quaestiones de rebus pro futuro Concilio proponendis me adiuvarent. Porro, pro modulo nostro qui in parva sumus Dioecesi, sequentia visum est subicere Pontificiae Commissioni Antipraeparatoriae pro eodem V. Concilio:

I. *Quoad doctrinam*

Ut ea videantur quae in Concilio Vaticano pertractari non potuerunt propter Urbem captam, nempe: De Episcopis, sive in se, sive relate ad alios Episcopos cum Summo Pastore, Romano Pontifice. Deinde de Presbyteris, quomodo nempe coniungantur cum Episcopo ratione ordinationis, ac tandem de laicis.

II. *Quoad disciplinam*

a) Utinam tota disciplina de matrimonialibus impedimentis sub trutina revocetur, ut appareat an expediat quaedam impedimenta dirimentia vel supprimere vel impedientia commutare.

b) Ut Sacra Communio administrari possit omnibus christifidelibus horis etiam vespertinis independenter a Missae celebratione, et Missae vespertinae celebrari possint absque speciali venia Ordinarii.

c) Aliqui Sacerdotes optarent ut, si id expedire videatur, quaedam partes ad Missam Catechumenorum pertinentes vulgari lingua dici possent, ut fideles fructuosius Sacro adstarent.

d) Optarent etiam quidam Sacerdotes ut quaedam dicantur de legibus civilibus mere poenalibus.

e) Ut amplior facultas detur Ordinariis permittendi lectionem librorum prohibitorum.

f) Ut magis ac magis exigatur ut beneficia sint propter officia, ne parochi onus relinquant vicariis cooperatoribus et ipsi accipiant emolumenta, inter alia.

Interim quo par est obsequio et Sacram Purpuram deosculans mihi honori est me profiteri

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addic.mum in Domino servum

✠ IOSEPHUS G. ANAYA Y DIEZ DE BONILLA
Episcopus Zamorensis in Mexico

30

EXC.MI P. D. ALOYSII RAIMONDI
Archiepiscopi tit. Tarsensis, Delegati Ap. in Mexico

Romae, die 29 mensis septembris a. D. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Honori mihi duco responsionem facere Litteris Prot. 1 C/59-1692, die mensis iunii a. D. 1959 datis, quibus Eminentiae Tuae Reverendissimae placuit a me petere ut mentem meam aperiam circa Concilium Oecumenicum, quod Sanctitas Sua Ioannes Papa XXIII, f. r., peropportune ac provide mox convocabit.

Meum esse aestimo, imprimis, maximas grates Eminentiae Tuae ex imo corde referre pro hac dignatione Tua et, quamquam me imparem esse sentiam tanto operi, humiliter tamen sensum meum super hoc gravissimo negotio manifestare conabor.

Haud dubium est quin Concilium proxime indicendum additam in Ecclesiam Sancti Spiritus infusionem afferat, quo fiet ut vita christiana in toto orbe catholico uberius incrementum accipiat et optima opportunitas praebeatur populis in angustiis positis atque in incertum vagantibus conspiciendi Ecclesiam tamquam lucernam lucentem in caliginoso loco unamque eorum spem salutis et pacis.

Summus Pontifex iam paternum Suum desiderium patefecit haereticos et schismaticos ad unitatem Ecclesiae revocandi. Ad optatum hunc

finem, qui respondet ardentissimo voto Divini Redemptoris ut omnes unum sint, Patres Concilii, magnos conatus, collatis consiliis, dirigent. Interea, prae oculis habendum est quod plurimae sectae protestanticae callide catholicae fidei insidiari non desinunt et populos usque adhuc Ecclesiae fideles ad haeresim omnibus viribus et acri contentione, lucrifacere conantur.

Cum nihil omittendum sit quod ad fidei puritatem spectat, Concilium Oecumenicum de iis quoque doctrinis tractare poterit, quae hisce nostris temporibus fideles a veritate avertunt eorumque mores corrumpunt, immo ipsius revelationis et ordinis supernaturalis evertere attemptant, e. g. sic dictus materialismus dialecticus, positivismus, laicismus et existentialismus. Quamquam enim hae doctrinae saepius ab auctoritate ecclesiastica damnatae sint, cum late diffusae atque valde perniciosae permaneant, haud superfluum videtur, occasione Concilii, eorum fallaciam Christianorum mentibus iterato illustrare.

Perplurimae sunt gentes quae Redemptoris doctrinam et legem ignorant et in umbra mortis sedent. Earum conversio nonnumquam difficilis evadit propter earum antiquas traditiones patriosque usus, quo fit ut si religionem catholicam amplectantur, videantur, peccare contra pietatem et ab acceptis traditionibus recedere. Cum autem necesse sit omnes gentes ad agnitionem veritatis venire, iter eis, in quantum fieri potest, facilius parandum erit, si necesse sit nonnullas concessiones earum indoli ac civilitati adaptatas faciendo, e. g. quoad formas cultus liturgici vel etiam leges ecclesiasticas, salva semper doctrinae catholicae integritate.

Cum fere universalis sit paucitas operariorum evangelicorum, valde utile videtur exquirere causas ex quibus proveniat et opportuna remedia perpendere. Nonnulla circa cleri disciplinam considerari poterunt, etiam quoad lapsos qui ad bonam frugem regredi requirunt.

Quaedam difficultates oriri videntur inter episcopos et religiosos circa ministerii sacerdotalis exercitium propter duplicem iurisdictionem, episcopalem nempe et religiosam. Similiter quoad exercitium operum quae cuique Religioni, praecipue clericali, sunt propria. Opportunum videtur accuratius singulorum iura definire. Idem dicendum videtur quoad regimen et administrationem bonorum ecclesiasticorum, inamovibilitatem parochorum, capitula canonicorum et similia.

Participatio laicorum in apostolatum magis ac magis, novis his temporibus, feliciter aucta est, instantibus et exhortantibus Summis Pontificibus. In votis est ut haec participatio augeatur de die in diem, sed ut pleniorem efficaciam nanciscatur, opus esse videtur ut clarioribus normis

regatur, quibus iura et obligationes sive episcoporum, sive cleri et laicorum definiantur.

Has animadversiones examini Eminentiae Tuae humiliter submitto easque ut benigne accipere faveas rogo.

Interea, qua par est reverentia, Sacram Purpuram deosculans, me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimum ac Reverendissimum
Servum in Domino

✠ Aloysius Raimondi
Archiepiscopus tit. Tarsensis
Delegatus Ap. in Mexico

31

Exc.mi P. D. SALVATORIS MARTINEZ AGUIRRE

Episcopi tit. Arcensis, Vicarii Ap. Tarahumarensis
(Tarahumara)

2 septembris 1959

Eminentia Reverendissima,

Haec prima pro exoptatissimo Concilio Oecumenico communicatio ad nos valde sero nuperrime pervenit. Et cum in itineribus hac in Missione magnae sint difficultates vix possumus plenam responsionem mittere, cum non sit facile adire viros peritos qui in Missione laborant.

Tamen aliqua forte nunc mittere possumus. Et imprimis incredibili cum gaudio nuntius acceptus est de cogendo proxime desideratissimo Concilio Oecumenico ex quo tot bona pro Ecclesia Sancta et pro bono spirituali populi christiani provenire poterunt. Exoptamusque ut D.O.M. gratias quam maximas concedere dignetur Augustissimo Pontifici, feliciter regnanti, omnibusque Patribus qui huic praeclaro eventui praeesse debebunt.

Igitur mentem nostram nunc modeste et reverenter aperimus.

1. Ut Ecclesia Sancta propius efficaciusque accedat fratribus nostris separatis ad hoc ut eos attrahat ad unicum Christi ovile ea omnia eis concedendo quae sine iactura depositi Fidei concedi possunt adeo ut Fratres nostri clarissime videant et intime sentiant optimam in eos atque maternam Sanctae Ecclesiae voluntatem.

2. Ut Sancta Missa celebrari possit in lingua vernacula, et Sacramenta pariter in eadem lingua administrari possint ad hoc ut pleniorem populi participationem in sanctis mysteriis consequi possimus.

3. Ut plenior laicatui participatio concedatur ad hoc ut eius collaboratio cum Ecclesia efficacior evadat maxime inter pauperes.

4. Ut leges condantur quae templorum aedificandorum architecturam moderentur ne tot sumptus fiant qui cum paupertate populorum minime componi videatur. Condanturque pariter leges quae Praelatorum, caeterorumque Ecclesiae Principum vitam et sumptus moderentur, tam in aedibus episcopalibus quam in Praelatorum vestibus.

5. Ut doctrina socialis Ecclesiae latius efficaciusque in praxim redigatur in illis vel maxime regionibus in quibus pauperior populus existit.

Et iam ut tandem finem meae communicationi nunc imponam, vehementer exopto ut Spiritus Sanctus clare et efficaciter velit in proximo Concilio sese ostendere.

Amplitudini Tuae Reverendissimae
addictissimus in Christo

✠ Salvator Martinez Aguirre, S. I.
Episcopus tit. Arcensis
Vicarius Ap. Tarahumarensis

32

Exc.mi P. D. AEMILII ABASCAL SALMERÓN
Episcopi tit. Abziritani, Auxiliaris Angelorum

Angelopoli, die 1 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

Velit Eminentia Vestra Reverendissima accipere sensus meae gratitudinis ob epistolam (Prot. N. 1 C/59-2113), diei 18 iunii 1959, per quam dignatur a me quaerere quid sentiam de argumentis quae in futuro Concilio tractari poterunt.

His desideriis Eminentiae Vestrae Reverendissimae satisfacere cupiens, quae sequuntur, maxima cum veneratione ac animi demissione, propono:

De Episcopis.

De Corpore Christi Mystico.

De natura et extensione Inspirationis sacrorum librorum.

De B. M. V. Corredentione, Mediatione necnon, praesertim, de Spirituali Maternitate erga homines.

De actione Missae propriae sacrificali.

De pluribus religiosorum privilegiis supprimendis, deque exemptione minuenda, ita ut ipsi religiosi potestati Episcoporum subdantur.

De presbyterorum oboedientiae voto erga Episcopum et Romanum Pontificem statuendo.

Rogo ergo Eminentiam Vestram Reverendissimam ut dignetur acceptos habere sensus meae venerationis et obsequii, dum me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimum in Domino

✠ Aemilius Abascal Salmerón
Episcopus tit. Abziritanus
Auxiliaris Angelorum

33

Exc.mi P. D. IOSEPHI A IESU ALBA PALACIOS
Episcopi tit. Amiseni, Auxiliaris Mexicani

Eminentissime Princeps,

Post diem 3 mensis augusti proxime elapsi, humanissimam accepi communicationem diei 18 iunii (1 C/59-2135) quam ad me mittere dignatus es, ut Praeses Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, qua, nomine Beatissimi Domini Papae Ioannis XXIII rogas et hortaris ut omni cum libertate et sinceritate exponam quae utilia possim opinari ut in futuro tractentur Concilio.

Haud potui hoc qualecumque scriptum opportune remittere infra terminum qui tamquam optabilis assignatus fuit, eo quod primis diebus mensis augusti mater mea usque ad mortem aegrotavit, ita ut die 22 eiusdem mensis animam Deo reddiderit.

Adiuvante Domino Nostro Iesu Christo, haec exponam:

Quoad doctrinae capita

I) Sunt quaedam dogmata a Vaticano definita quae mereri videntur ulteriorem declarationem et applicationem; II) aliqua in schematibus Conc. Vaticani inclusa cuius interruptio causa fuit ut non possent proclamari; III) alia doctrinae capita quorum sollemnis elucidatio opportuna videtur, quamvis a magisterio ecclesiastico proponuntur ordinario.

1. Tum dogmata fidei prolegomena respiciunt, tum veritates cum iisdem connexae obiectum fuerunt doctrinae et definitionum Concilii

Vaticani, postea vero sollicitudinis Summorum Pontificum aliorumque Pastorum, praesertim vero S. Pii X et f. r. Pii XII: naturalis capacitas humanae rationis ad Dei existentiam et naturam certo cognoscendam et demonstrandam; certa cognitio naturalis spiritualitatis et immortalitatis animae humanae et officiorum hominis erga Deum, naturalis capacitas cognoscendi summa principia ordinis moralis.

Quoniam Concilium Vaticanum noluit expresse definire capacitatem humanae rationis ad demonstrandam Dei existentiam, non clare apparet, etiam post Iuramentum Antimodernisticum a S. Pio X praescriptum, capacitatem huiusmodi de qua etiam catholici aliquando dubia exprimunt, esse fidei dogma (Enc. *Humani Generis*); nec desunt qui inficiant possibilitatem Metaphysicae et certi criterii ad divinae revelationis factum attingendum.

Quamvis in Vaticani doctrina, in praeclaris Pontificum documentis (v. gr. Leonis XIII eorumque successorum), necnon in universali praedicatione doctrina certa proponitur de vivo magisterio ecclesiastico, tum in authentico semper, tum quibusdam conditionibus infallibili, ex multis declarationibus, nuperrimis etiam, constat a multis praedictam auctoritatem non attendi, neque ad sanctae Sedis doctrinales decisiones, quae scilicet a Sancto Officio et Biblica Commissione promulgantur.

Quae maiori usque claritate docuerunt Leo XIII, S. Pius X, Benedictus XV et Pius XII, de sacrae Scripturae inspiratione et huius actionis ex parte Dei et ex parte hagiographi natura, de extensione inspirationis divinae eiusque indivisibili effectu, inerrantia Sacrae Scripturae cum omnibus suis partibus, de eiusdem pro vita christiana utilitate, de normis interpretationis, videntur ea omnia digna ut sollemni et infallibili Ecclesiae iudicio in Concilio proponantur, saltem quae sufficienti studio matura aestimentur.

Eo vel magis hoc videtur opportunum, quia aliquibus persuasum est Summum Pontificem Pium XII mitiorem reddidisse et emendasse rigidiorem hac de re doctrinam praedecessorum. De valore decisionum Commissionis biblicae non est una auctorum sententia, saltem relate ad antiquiora decreta, quorum vis non ab omnibus eodem modo aestimatur, ita ut plures auctores iam considerent certas modernae Biblicae Scientiae acquisitiones, quae in huiusmodi responsionibus plus minus firmiter excludebantur, circa recentiorem Pentateuchi originem et eiusdem dependentiam a doctrina Prophetarum et praxi liturgica populi et sacerdotii hebraici, de origine davidico et messianitate Psalmorum, de auctoribus libri Isaiae prophetae, etc.

Inter libros qui publice proferuntur tamquam in catholica scientia exegetica solide fundati et aptissimi ad vitam spiritualem fovendam

non raro inveniuntur irreverentes expressiones, v. g., cum de errore sanctus Lucas insinuatur, cum loquitur de « eorum purificatione » (*Luc.*, 2, 22), cum dubium exprimitur circa valorem religiosum circumcisionis Abrahae patriarchae, quando despectui habentur redactores quibus tribuuntur irrisiones idolorum quae leguntur in libro Ieremiae prophetae, quando asseritur sanctum Lucam, per quandam retroproiectionem, tribuere actoribus scenarum infantiae Domini, sensus qui proprii sunt temporum fundationis Ecclesiae, post Paracliti adventum. Et sic de caeteris.

2. In schematibus Concilii Vaticani, proponebatur exactior doctrina de Redemptione, contra rationalistas, eius vero definitio opportunior apparet post modernistarum errores et extenuationem huiusmodi fundamentalis doctrinae, de qua Summus Pontifex Pius XII conqueritur in Enc. *Humani Generis*.

Eiusdem S. Concilii interruptio impedimentum fuit quominus compleretur tractatio de Ecclesiae constitutione hierarchica, in qua explicite de potestate Collegii Episcoporum, quod Apostolorum Collegio divina institutione succedit. Videretur vero opportunum doctrinae propositionem complere, ad pleniores doctrinae agnitionem, pro christianorum vita utillimam, ad melius unitatem Ecclesiae contra interna et externa pericula tutandam, ut etiam schismaticis, qui nondum Episcopatus charisma amiserunt, sed sacram ordinationem conservant, facilior fiat ad catholicam Ecclesiam reditus et facilius propulsentur accusationes de usurpatione et centralismo Apostolicae Sedis. Quapropter utiliter ageretur de potestate Episcopi divinitus accepta eiusque functionibus, de relationibus cum Summo Pontifice, visibili capite Collegii episcopalis, de officiis fidelium erga suos Pastores, ut praeclare praestiterunt Leo XIII et Pius XII.

3. Doctrina de Ecclesia societate perfecta, de eiusdem iuribus erga fideles, necnon respectu acatholicorum relate ad Statum civilem, sive huius membra et praesides fidem catholicam profiteantur, sive non, videntur utiliter tractanda fore in Concilio ad sollemniorem sanctionem et accuratiorem etiam propositionem doctrinae saepius a Pontificibus Summis et Episcopis proclamatam. Haud momenti videretur definitio officiorum fidelium laicorum erga magisterium ecclesiasticum et auctoritatem disciplinarem sacrae Hierarchiae, etiam in rebus civilibus, socialibus et politicis, tum debitae subiectionis tum iustae suae libertatis, et ita perfectior esset submissio et alacrior necessaria cooperatio laicorum cum ad terrenam Civitatem attendere debent.

De disciplina

Post expositam completam doctrinam de Ecclesiae divina constitutione, quae perficienda foret per lucidam tractationem de Mystico Chri-

sti Corpore, optandum videtur ut in Ecclesiae gubernatione clarius appareat non tantum potestas Summi Pontificis, sed etiam Collegii Episcoporum sub Petro capite, et divina auctoritas Episcopi in sua sede.

Plura quae optimo iure et sub ductu Spiritus Sancti opportunissime reservavit sibi Sancta Sedes, videtur nunc, aliquatenus mutatis circumstantiis, moleque negotio maximi momenti in immensum aucta, saltem si non appareat periculum pro Ecclesiae unitate posse facilius in unaquaque sede, vel saltem in singulis regionibus administrari; v. g., facilior tramitatio informationum matrimonialium et dispensatio impedimentorum iuris ecclesiastici, quae minoris videantur momenti; facilior remissio poenarum et dispensatio irregularitatum, amplior facultas ad expensas et dispositionem de bonis ecclesiasticis, quae saepius necessariae apparent pro convenienti administratione, maior facilitas ad saepius permittendam iteratam in eodem die Missae celebrationem, efficaciter cautis abusibus qui supervenire possent, etc.

Ad maiorem uniformitatem disciplinae in favorem fidelium eiusdem civilis status civium, necnon regionum inter se vicinarum, saltem si similibus moribus et particularibus traditionibus coniungantur, optabilis est maior uniformitas, de qua egit summus Pontifex Pius XII in allocutione diei 2 novembris anno D.ni 1954, et ut media proposuit, frequentiorem communicationem Pastorum. Ut autem efficax medium sit huiusmodi, videtur necessaria maior vis obligatoria, non solum Conciliorum Nationalium et Provincialium, quae rarius celebrantur, sed etiam efficacioribus et tutioribus normis in antecessum approbatis, ut maior vis obligatoria tribuatur etiam decisionibus Collationum Episcoporum unius Nationis et Conventibus Episcoporum Provinciae.

Ita haberetur maior uniformitas in Fidei et morum defensione, in christiana educatione, in catholicis scholis impertienda, in cautelis adhibendis ut pueris et adolescentibus permittatur frequentatio scholarum laicarum et acatholicarum, in defensione libertatis et parentum et Ecclesiae ad religiosam puerorum educationem, maiorem efficaciam haberet civilis et politica catholicorum actio ad sua essentialia iura in ordine religioso et mere humano tutanda vel recuperanda; uniformior esset instructio catechistica puerorum et adultorum et unitas textus, et alia huiusmodi.

Ad efficaciam episcopalis gubernationis clarius oporteret definire doctrinam a Pontificibus, praesertim vero a Pio XI et Pio XII saepius propositam, de unicitate auctoritatis in dioecesi, quoad labores apostolicos in bonum fidelium, ita ut non habeantur exemptiones a potestate Episcopi in activitate apostolica quam associationes fidelium exercent, salva semper interna organizatione et gubernatione ipsarum, quae

conformanda est ad regulas et statuta legitime approbata sive a Romano Pontifice sive a loci Ordinario. Ita Episcopus potest revera coram Christo eiusque Vicario in terris respondere de omnibus animabus quarum spiritualis cura non est per Summum Pontificem ab eius iurisdictione directe per exemptionem sublata.

Inde deducendum videtur ut non tantum iure, sed de facto Episcopus agere possit ut verus Pastor qui suas cognoscit oves easque nominatim vocat, non vero unice gubernatorem et administratorem, omnino necessarium esse ut omnibus viribus tendatur ad hoc ut dioeceses ne sint tam extensae et populatae ut physice impossibile sit Episcopo has boni Pastoris conditiones adimplere quae leguntur in Evangelio. Diffitendum haud est multis difficultatibus praepediri dioecesium multiplicationem ex defectu sacerdotum qui ad plenitudinem officii pastoralis prudenter possint elevari, ex magnis expensis quas Seminarii, Curiae, activitatis dioecesanae instauratio supponit et carentia sacerdotum ad haec vere utilium, sed impossibile est agere Pastorem illum Episcopum, nisi sit prodigium sanctitatis, scientiae et prudentiae gubernativae, qui debeat coram Deo respondere de millibus animarum.

Curanda maior uniformitas formationis candidatorum ad Sacerdotium in unaquaque regione secundum recte interpretatas et applicatas Romanorum Pontificum normas et ad hoc maximae utilitatis erunt obligatorii, et frequentes conventus superiorum sub ductu Episcoporum.

In Instructione sacrae Congregationis de Seminariis diei 5 iunii huius eiusdem anni, clare edicitur Superiores Seminariorum saepius non audere auctoritate sua, a Deo accepta, prudenter uti ad disciplinam iuvenes in sortem Domini vocatos rite efformandos. A gravibus Praelatis et sacerdotibus audivi etiam in Collegio Pontificio Pio Latino Americano aliisque de Urbe, necnon in aliis Institutis qui clericorum educationi incumbunt, tales abusus irrepsisse, ita ut quam maxime vita communis pietatis sit extenuata, et alumni, etiam quando scholas frequentant, maxime autem in feriis inveniantur in maxima libertate absque fere ulla Superiorum vigilantia. Etiam adverti alumnos, saltem in feriis, huc illuc discurrere, expensas facere quas nec dioecesis nec eorum familia sustinere possunt, et hoc modo viam ingredi in cuius sequela sit impossibile conformari moderationi quam exigit spiritualis Evangelii paupertas, ita ut difficile sit non pervenire ad amorem pecuniarum et commodorum, cum periculo propriae conscientiae et aedificationis populi christiani.

Videretur opportunum definire coniunctionem associationum laicorum cum Sacra Hierarchia, quibus conditionibus et gradibus possint vocari Actio Catholica, et revera sint, quomodo unitas actionis apostoli-

cae in dioecesi et regione obtineri possit, ut definiatur natura privilegiata Actionis Catholicae inter organizationes apostolicas laicorum. Haec omnia afferre possunt tranquillitatem, unitatem, in laboribus apostolicis alacritatem, eo quod faciliorem redderent charitatis exercitium.

Minora quaedam de Iure Canonico

Ut impedimenta matrimonialia gradus minoris fiant impedientia tantum.

Ut aequior fiat conditio rei accusati in causis Sancti Officii, difficillima enim est eius defensio.

Quamvis clarior propositio desideretur, postulandum videtur quatenus in iure poenali et processuali magis appareant viscera misericordiae Sanctae Matris Ecclesiae, minus ius imperandi, facilior fiat expeditio causarum et citius finiantur.

Eminentissime Princeps,

Quaeso ut ad meam insufficientiam et inexperientiam attendas in accipiendis his animadversionibus, ut impetres veniam Summi Pontificis, amantissimi et misericordis Patris, si abusus sum libertate ad quam eius nomine et sinceritatem in loquendo dignatus es me hortari.

Praecor Summum Regem et Magistrum, Iesum Christum Dominum nostrum, quatenus incolumen Sanctissimum Dominum eiusque in terris Vicarium Papam Ioannem XXIII ad multos annos in sua gratia et salute conservet, ut possit laetari de uberibus fructibus Sacri Oecumenici Concilii, ad Dei laudem, bonum Sanctae et Catholicae Ecclesiae, et ut omnes errantes ad eius redeant unitatem, sicque facilius infideles ad Evangelii lucem perducantur.

Tuae Eminentiae Sacram Purpuram osculatur humilis in Christo servus

✠ IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS
Episcopus tit. Amisenus
Auxiliaris Mexicanus

34

Exc.mi P. D. FRANCISCI X. NUÑO

Archiepiscopi tit. Garellensis, Coadiutoris Guadalajarensis

Guadalaiarae, die 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

In Epistola Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, diei 18 iunii 1959, V. E. R. mihi significare voluit desiderium Sanctissimi Patris, Ioannis D. P. Papae XXIII, cognoscendi animadversiones Exc.morum. Episcoporum relate ad argumenta in Oecumenico Concilio pertractanda.

Qua par est reverentia, Vestram Eminentiam certiorem facere velim, me nihil peculiare animadvertendum habere et firmiter adhaerere iis quae ab Em.mo ac Rev.mo D. Iosepho Cardinali Garibi Rivera Eidem Commissioni proposita sunt.[1]

Interim E. V. R. manus humiliter deosculans, permaneo Eidem E. V. R. in Domino addictissimus.

✠ Franciscus X. Nuño
Archiepiscopus tit. Garellensis

35

Exc.mi P. D. SALVATORIS MARTINEZ SILVA

Episcopi tit. Iasensis, Auxiliaris Moreliensis

Eminentissime Domine,

Litteris diei 18 iunii 1959 (1 C/59-2616) Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico ab Eminentia Tua signatis, ultimisque diebus modo elapsi mensis augusti acceptis, gratias ago Tibi quam maximas.

Obsequium praestans voluntati Sanctissimi Domini Nostri Ioannis Papae XXIII, sequentia humillime expono:

Pro unione ecclesiarum:

Disciplina ecclesiastica erga christianos haeresi vel schismate dissidentes posset innovari, praesertim quoad professionem fidei, communicationem in divinis et poenas canonicas; quamplurimi enim bona fide in suis

---

[1] Cf. pp. 189-214.

inveniuntur erroribus et ignorantes rationes hodiernae Ecclesiae disciplinae existimant nobis deesse christianam charitatem.

Orationes meas libenter offero Deo pro debita praeparatione et felici exitu futuri Oecumenici Concilii.

Annulum Eminentiae Tuae reverenter deosculor ac servum in Domino me profiteor

✠ SALVATOR MARTINEZ SILVA
Episcopus tit. Iasensis
Auxiliaris Moreliensis

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Postquam responsum dedi venerabilibus litteris, quibus Eminentia Tua Reverendissima notum faciebat propositum Sanctissimi Domini Nostri Ioannis Papae XXIII celebrandi proximum Oecumenicum Concilium, visum est mihi paulisper explanare humile meum responsum eo quod existimem id posse in bonum Ecclesiae cedere. Verumtamen si propter inopportunitatem huius brevis expositionis vel ratione eius contentus existimatur spernendum, enixe rogo Te ut has litteras destruas et mihi benigne parcas.

1. Ad maiorem facilitatem unionis christianorum dissidentium possent haec fieri:

a) dispositiones canonicas contra haereticos et schismaticos substantialiter modificare, quamplurimi enim bona versantur fide. Oportet ipsos trahere ad unitatem per caritatem;

b) proponere simpliciorem professionem fidei, quae explicite contineat dogmata ab omnibus christianis admissa et implicite coetera, hac vel simili forma: « ... credo etiam caeterea omnia a Deo hominibus revelata »;

c) permittere ut dissidentes (praefinitis adiunctis) actibus liturgicis nostris intersint nosque interesse valeamus actibus liturgicis acatholicorum, exempli causa, in Basilica Vaticana occasione alicuius centenariae commemorationis, in ecclesia constantinopolitana Sanctae Sophiae, occasione festivitatis in honorem Apostoli vel Sancti orientalis Ecclesiae.

2. Propagare oportet in universa Ecclesia praxim actus contritionis perfectae ut peccatores possint statim gratiam sanctificantem acquirere et moriantur in amicitia Dei, etiamsi, variis de causis, non accipiant sacramenta Ecclesiae:

a) ad hoc Theologi eximii scribant formulam actus contritionis

perfectae, quae contineat obiectum materiale et formale caritatis, talibus terminis ut acceptabiles sint omnibus theistis non tantum christianis ac forma intelligibili indoctis et rudibus ut recitari valeat etiam ab hominibus magnos errores habentibus in mente vel gravia peccata in corde;

b) cum talis contritionis actus « medium efficax sit sanctificationis » curandum est ne minuatur in fidelibus existimatio sacramenti Poenitentiae;

c) in concionibus et in catechesi adultorum et puerorum maxima cura instruantur fideles circa naturam, praxim atque effectum sanctificationis huiusmodi actus contritionis perfectae.

3. Necesse mihi videtur statuere aliam formam processus contra sacerdotes ad turpia sollicitantes in confessione, ita ut facilior evadat, ianua remissionis non omnino claudatur, ius naturale non prodendi seipsum seque defendendi integre servetur, sigillum sacramentale nullum patiatur periculum detrimenti, fidelis sollicitatus nullum de bono nomine amittendo timorem experiatur, nec sacerdos qui sollicitavit certe vel probabiliter sciat a quo fideli denuntiatus fuerit (quod in disciplina vigenti vix servari potest).

4. Forte oporteat concedere ut Sacerdotes post septuaginta quinque annos aetatis vel post quinquaginta annos propriae ordinationis ab onere recitandi officium divinum liberentur eo quod « ipsa senectus morbus ».

5. Utinam possent Episcopi et Sacerdotes valde solemniter litantes, exempli causa, in officiis Maioris Hebdomadae, in Missis pontificalibus, praesertim in sacris ordinationibus, tempus ieiunii eucharistici computare ad horam qua reficiuntur corpore Christi, non ad horam qua Missa initium habet.

Salutationem meam Tibi, Eminentissime Domine, reverenter offero. Annulum tuum deosculatur humilis in Christo servus

✠ SALVATOR MARTINEZ SILVA
Episcopus tit. Iasensis
Auxiliaris Moreliensis

36

REV.MI P. D. IOANNIS GIORDANI

Praefecti Ap. Paciensis in California Inferiori
(La Paz en la Baja California)

16 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Mi permetto unire due povere mie osservazioni ai molti suggerimenti e osservazioni che saranno venute da ogni parte del mondo.

La prima è sopra il can. 1098. Se si potesse restringere un poco di più!

Disgraziatamente è grande la facilità e la leggerezza con la quale ci si sposa; naturalmente altrettanto rapidamente, direi, in moltissimi casi, ne avviene la separazione, e il passaggio ad altre nozze.

Questa Prefettura è solo da una decina di anni che può essere discretamente assistita. Nel passato, neanche una volta all'anno ci poteva passare il Sacerdote. La stragrande maggioranza si sposava così, nè sentivano la convenienza di dirlo poi al Sacerdote. Forse la maggioranza di questi matrimoni, si sfascia, e si passa a un secondo e a un terzo matrimonio. Avviene poi che la coscienza o il buon senso si fa avanti e ci si presenta al Padre per mettere a posto, naturalmente l'ultimo matrimonio. Alle volte si è potuto, altre volte stando a detto canone, essendovi stata prima la volontà di sposarsi, non si può far niente. Andar con la prima donna, la quale avrà già avuto figli nel frattempo da più di un marito, neanche pensarlo. Si tirerà avanti così nel peccato fino alla morte.

Mi parrebbe che sarebbe da preferirsi permettere, o meglio tollerare che vivano prima qualche tempo in peccato, perchè il can. 1098 s'è fatto più difficile, piuttosto che rimangano irretiti più tardi e per tutta la vita.

La seconda osservazione riguarda la *Cresima.*

Ci tengono tanto qui, forse più del Battesimo! Perchè lasciano passare vari mesi, ordinariamente, e alle volte qualche anno prima di far battezzare; ma una volta che hanno ricevuto il primo Sacramento c'è tutta una premura e quasi preoccupazione per la Cresima. E una volta che l'hanno ricevuta sono a posto. L'istruirsi nella Dottrina, il preoccuparsi per ricevere la Santa Comunione, non hanno per loro importanza.

Io vedrei volentieri che si desse la Cresima a suo tempo, come si usa altrove, fuori dell'America Latina. Sarebbe una occasione buona per obbligarli a una istruzione più accurata e completa.

Per questo ci vorrebbe però un ordine; solo la esortazione a fare come fanno altrove, non gioverebbe a nulla, perchè è troppo radicata nei Fedeli (e un po' forse nei Pastori) questa usanza di ricevere la Cresima da piccolini.

Io vedrei volentieri abolita la tassa o elemosina che dir si voglia del Battesimo. Così pure per il matrimonio. Varie volte, al rimprovero dato perchè non avessero fatto prima le loro cose in regola, risposero ch'era per povertà. Sebbene dovessero sapere che ai poveri non si chiede nulla.

E abolire gli stessi Padrini sarebbe una rivoluzione troppo grande nella Tradizione della Chiesa? Però come verrebbe a cadere presto il pretesto, alle volte abbastanza giustificato, di ritardare il Battesimo. Più di un piccolo è morto senza Battesimo per causa del padrino che non veniva.

Desiderando e pregando che il Concilio porti abbondanza di frutti, chiedo scusa del modo affrettato con il quale ho messo giù queste osservazioni, — N. S. e Sedes Sapientiae rendano lieto il lavoro della Commissione antipreparatoria del Concilio.

GIOVANNI GIORDANI
Prefetto Apostolico di La Paz nella California Inferiore

37

CONFERENTIA EPISCOPALIS MEXICANA

Cui interfuerunt:

EM.MUS P. D. CARD. IOSEPHUS GARIBI Y RIVERA, *Archiepiscopus Guadalajarensis* (Guadalajara)

EXC.MUS P. D. IOSEPHUS QUEZADA CALDÉS, *Episcopus Acapulcanus* (Acapulco)

EXC.MUS P. D. FORTINUS GÓMEZ LEÓN, *Archiepiscopus Antequerensis* (Antequera)

EXC.MUS P. D. ANTONIUS GUÍZAR VALENCIA, *Archiepiscopus Chihuahuensis* (Chihuahua)

EXC.MUS P. D. FIDELIS CORTÉS PÉREZ, *Episcopus Chilapensis* (Chilapa)

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI, *Episcopus Civitatis Iarezensis* (Ciudad Juárez)

Exc.mus P. D. IGNATIUS DE ALBA Y HERNÁNDEZ, *Episcopus Colimensis* (Colima)

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO, *Episcopus Cuernavacensis* (Cuernavaca)

Exc.mus P. D. LUCIUS TORREBLANCA, *Archiepiscopus Durangensis* (Durango)

Exc.mus P. D. CAELESTINUS FERNÁNDEZ Y FERNÁNDEZ, *Episcopus Huajuapanensis* (Huajuapan de León)

Exc.mus P. D. EMMANUEL MARTÍN DEL CAMPO PADILLA, *Episcopus Leonensis* (León)

Exc.mus P. D. STANISLAUS ALCARAZ FIGUEROA, *Episcopus Matamorensis* (Matamoros)

Exc.mus P. D. MICHAËL DARIUS MIRANDA Y GOMEZ, *Archiepiscopus Primas Mexicanus* (México)

Exc.mus P. D. ALFONSUS ESPINO Y SILVA, *Archiepiscopus Monterreyensis* (Monterrey)

Exc.mus P. D. ALOYSIUS M. ALTAMIRANO Y BULNES, *Archiepiscopus Moreliensis* (Morelia)

Exc.mus P. D. ALFONSUS SANCHEZ TINOCO, *Episcopus Papantlensis* (Papantla)

Exc.mus P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ, *Archiepiscopus* Angelorum (Puebla de los Angeles)

Exc.mus P. D. ALFONSUS TORIS COBIÁN, *Episcopus Queretarensis* (Querétaro)

Exc.mus P. D. ALOYSIUS GUÍZAR BARTAGÁN, *Episcopus Saltillensis* (Saltillo)

Exc.mus P. D. LUDOVICUS CABRERA CRUZ, *Episcopus S. Ludovici Potosiensis* (San Luis Potosí)

Exc.mus P. D. IOSEPH A IESU ANGULO DEL VALLE Y NAVARRO, *Episcopus Tabasquensis* (Tabasco)

Exc.mus P. D. IOSEPHUS ABRAHAMUS MARTÍNEZ BETANCOURT, *Episcopus Tacambarensis* (Tacámbaro)

Exc.mus P. D. ADOLFUS HERNÁNDEZ HURTADO, *Episcopus Tapacolensis* (Tapachula)

Exc.mus P. D. ARTURUS VÉLEZ MARTÍNEZ, *Episcopus Tolucensis* (Toluca)

Exc.mus P. D. FERDINANDUS ROMO GUTIERREZ, *Episcopus Torreonensis* (Torreón)

Exc.mus P. D. ADALBERTUS ALMEIDA MERINO, *Episcopus Tulancingensis* (Tulancingo)

EXC.MUS P. D. ANTONIUS LÓPEZ AVIÑA, *Episcopus Zacatecensis* (Zacatecas)

EXC.MUS P. D. IOSEPH G. ANAYA Y DIEZ DE BONILLA, *Episcopus Bamorensis in Mexico* (Zamora)

EXC.MUS P. D. ALAPHRIDUS GALINDO MENDOZA, *Episcopus tit. Liparensis, Vicarius Ap. Tigiuanaënsis* (Tijuana)

EXC.MUS P. D. AEMILIUS ABASCAL SALMERÓN, *Episcopus tit. Abziritanus*

EXC.MUS P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS, *Episcopus tit. Amisenus, Auxiliaris Mexicani*

EXC.MUS P. D. IOSEPH VILLALÓN MERCADO, *Episcopus tit. Hermianensis, Auxiliaris Mexicani*

EXC.MUS P. D. SALVATOR MARTINEZ SILVA, *Episcopus tit. Iasensis, Auxiliaris Moreliensis*

EXC.MUS P. D. IOSEPH E. PIÑA TORRES, *Episcopus tit. Milevitanus, Auxiliaris Tepicensis*

EXC.MUS P. D. ALFONSUS M. ESCALANTE, *Episcopus tit. Soranus, Vicarius Ap. Pandoënsis* (Pando)

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS OROZCO LOMELIN, *Episcopus tit. Vitensis, Auxiliaris Mexicani*

REV.MUS P. D. IOANNES GIORDANI, *Praefectus Ap. Paciensis in California Inferiori* (La Paz en la Baja California)

Die 16 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Episcopalis Hierarchia Mexicana vehementer desiderat ut Maternitas Spiritualis B. M. Virginis dogma fidei a Supremo Ecclesiae Magisterio sollemniter definiatur.

Hac de causa omnes et singuli Praesules qui Conventui Plenario intersumus Eminentiam Vestram Reverendissimam humiliter exoramus ut inter res in Concilio Oecumenico tractandas definibilitas Maternitatis Spiritualis adnumeretur.

Rationes autem quibus haec postulatio nititur iam inde ab anno 1955 exponere conabamur in Praecibus quas Ss.mo D.no Nostro Pio XII (f. r.) subiecimus et quarum exemplar his litteris adiungimus.

Ceteroquin unio omnium christianorum quam Beatissimus Papa noster Ioannes XXIII, gloriose regnans, exoptat, efficacius (uti credimus) vinculo filiationis marianae obtinebitur. An non matris est filios reconciliare, unire unitosque servare?

Faxit Deus ut sicut olim definitio privilegiorum personalium Mariae a Divina Maternitate initium sumpsit, ita nunc definitio privilegiorum socialium ex definitione Maternitatis Spiritualis procedat!

Dum haec nostra desideria et vota Eminentiae Vestrae Reverendissimae iterum atque iterum commendamus Sacram Purpuram deosculamur addictissimosque in Corde coelestis Matris Mariae profitemur.

OMNES SEQUUNTUR SUBSIGNATIONES

STATUS FOEDERATI
AMERICAE SEPTEMTRIONALIS

1

Exc.mi P. D. GULIELMI A. SCULLY

Episcopi Albanensis in America (Albany)

Die 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris Eminentiae Vestrae diei 18 iunii, a. c. iugiter obsecundans, honorem mihi duco quaedam suggerere Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, scilicet:

1. Ut Divinum Officium quadantenus abbrevietur praesertim pro sacerdotibus curam animarum exercentibus.

2. Ut liceat sacerdoti Missam celebrare sine ministro qui ei inserviat et respondeat uti in can. 813, suadente causa iusta et proportionata.

3. Ut liceat sacerdotibus oleum infirmorum apud se retinere et, sub clavi tamen, in curru automobili custodire, unde ei semper praesto sit maxime his temporibus quando tam multis viatoribus mors subitanea imminet.

4. Ut transitus de ritu orientali ad latinum ritum facilius citiusque reddatur, absque iustis diuturnis nunc necessario observandis.

Haec dum proferre satago, Sacram Purpuram reverenter deosculans, me profiteor

Eminentiae Vestrae
obsequentissimum servum in Domino
✠ Gulielmus A. Scully
Episcopus Albanensis in America

2

Exc.mi P. D. CAROLI P. GRECO

Episcopi Alexandrini (Alexandria)

Alexandriae, die 24 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Responsionem litteris Vestris, in quibus Eminentia Vestra declarat Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn., opiniones, sententias et vota Episcoporum pro Concilio Oecumenico futuro cognoscere velle, hisce mihi pergratum est remittere.

Proinde nonnulla quae, iudicio meo humillimo, in concilio futuro tractari poterunt haec sunt:

1. Instituere Ordinem sacrum supplementarium virorum qui « Diaconi Laici », aliove simili nomine, appellari poterint. Hi gauderent potestate concionandi, quaedam sacramenta administrandi, ecc., ac libertate matrimonium ineundi. Pro his cursus studiorum brevior esset, et sine studio linguae latinae. (Pro multis iuvenibus secus aptissimis studium linguae latinae est maximum obstaculum ad sacerdotium. Propter hanc rationem multi alumni relinquunt seminarium ecclesiasticum).

Quia vero numerus sacerdotum semper fuit, et est praesertim hoc tempore, valde insufficiens, et quia inter causas huius insufficientiae praeprimis ponendae sunt coelibatus et difficultates linguam latinam addiscendi, institutio huius ordinis Ecclesiae maximum iuvamen afferret.

2. Concedere Ministris probatis Ecclesiae Anglicanae (et quarumcumque aliarum Ecclesiarum), post conversionem ad fidem Catholicam et post ordinationem acceptam, libertate vitam matrimonialem et familialem degendi, si iam matrimonio iuncti sint, etiam dum officia pastoralia perficerent. Hae concessiones magnum impulsum darent ministrorum eorumque congregationum conversioni.

3. Sacerdotibus qui defecerunt et matrimonium attemptaverunt, sed nunc paenitentibus, dispensationem voti coelibatus concedere, ut ad Ecclesiam et statum gratiae redire possint, modo tamen quo disciplina ecclesiastica non relaxaretur. Admittendum est clerum, quia modus vivendi hodie multum mutatus est, magis magisque experiri difficultatem aut coelibatum aut castitatem observandi, praesertim in quibusdam regionibus, ac proinde multi sunt qui sacerdotium relinquunt et matrimonium ineunt.

4. Omittere preces et generatim omnes devotiones post Missas lectas, quia haec omnia superflua et redundantia videntur. Missae adiungere preces et alias devotiones videtur manifestare defectum fidei, eo quod Missa non esset sufficiens ad Dei honorem promovendum vel eius benevolentiam impetrandam. Sufficeret annuntiare ante Missam varias intentiones in Missa habendas.

5. Abrogare vigiliam diei Natalis Domini, quia haec dies fere ubique et praesertim in America, cum magno gaudio et festivitate observatur. Haec vigilia (sicut iam pluribus nationibus concessum est) anticipari potest, e. g., sabbato Quattuor Temporum Adventus.

6. Abrogare impedimentum impediens mixtae religionis et habere *omnia* impedimenta religionis, in quantum ad matrimonium, ut *dirimentia.*

Adest maius periculum fidei partis Catholicae in matrimonio cum

parte *baptizata* acatholica quam in matrimonio cum disparitate cultus.

Insuper, de die in diem crescit numerus acatholicorum baptizatorum qui, instantibus eorum Ecclesiis, cautiones vel nolunt praestare vel *insincero modo* praestant. Quando haec matrimonia civiliter dissolverentur propter rixas de rebus religiosis, pars catholica a vinculo liberaretur propter illam insinceritatem partis acatholicae in praestandis cautionibus (i. e. si impedimentum esset dirimens).

7. Instituere aetatem annorum 16 et 18, respective, pro muliere et viro ad matrimonium validum contrahendum. Nimia sunt matrimonia iuvenum infra sexdecim annos. Magna pars horum matrimoniorum brevi in civili tribunali dissolvitur.

8. Concedere Tribunalibus Dioecesanis maiorem facultatem in casibus matrimonialibus.

9. Quia reditus omnium ecclesiarum in sinum Sanctae Matris Ecclesiae Catholicae est voluntas Domini Nostri Iesu Christi, urgentem invitationem peramantis SS. Patris Nostri, Papae Ioannis XXIII, toto corde commendamus, precesque incessanter effundimus ut Deus hanc magnam gratiam benigne concedere dignetur, necnon maximum universi Concilii profectum.

Mihi videtur has esse aliquas res et animadversiones quae in futuro concilio tractari poterint pro Ecclesiae animarumque bono, et gratias ferventes Eminentiae Vestrae Reverendissimae ago pro opportunitate eas exponendi.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
add.mus

✠ CAROLUS P. GRECO
Episcopus Alexandrinus

3

Exc.mi P. D. IOANNIS MORKOWSKY
Episcopi Amarillensis (Amarillo)

Die, 11 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Quamquam tardus et haesitans, aliquid suggerere velim quoad Ecclesiae disciplinam de beneficiis et bonis temporalibus, quod profuturum puto. Et quidem credo Ecclesiae Christi prodesse disciplinam de rebus istis ita disponere, ut sustentatio cleri et operum bonorum magis directe et immediate dependeat a bona voluntate ipsorum fidelium.

Clerus et religiosi qui e fructu bonorum sustinentur, occasioni nimis exponuntur, insensibiles se tenere conditionis non solummodo economicae sed etiam spiritualis gregis sibi commissae necnon fidelium in genere. Propter invidiam non solummodo acatholicorum, sed ipsorum etiam fidelium, Ecclesia Christi multoties passa est persecutiones, non semper ob fidem, sed ob bona et previlegia, quamquam iusta, temporalia.

Bona usufructuaria acquisita quidem fuerunt maxima e parte per bonam voluntatem fidelium; sed, semel acquisita, in possessione Ecclesiae perpetim manendo a generatione in generationem, iam multoties nihil habent commune cum voluntate seu conditione spirituali generationis existentis, cuius cura est opus essentiale Ecclesiae in unaquaque generatione.

Mihi ergo videtur Ecclesiae multum profuturum iri, ita disciplinam de beneficiis, fundationibus, et bonis temporalibus in genere reformare, ut magis faveat alienationi istorum bonorum, praeter scilicet ipsorum quae ad cultum, educationem et opera caritatis essentialiter et immediate per se adhibentur.

Humillimo e corde in Christo oblatum.

✠ Ioannes Morkowsky
Episcopus Amarillensis

4

Exc.mi P. D. FRANCISCI E. HYLAND
Episcopi Atlantensis (Atlanta)

Die 18 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Litteras Eminentiae Vestrae, de futuro Concilio Oecumenico, die decima octava iunii scriptas, recepi.

Secundum voluntatem Eminentiae Vestrae hisce litteris expressam, mihi omni cum libertate et sinceritate respondere placet.

1. Etsi futurum Concilium sine dubio occasionem arripiet aliquas Ecclesiae doctrinas elucidare, mihi videtur quod Concilium « nova » dogmata definire non debet. Definitio dogmatum, quando definitio non est necessaria vel valde utilis ad tuendum depositum fidei, ab acatholicis facillime male interpretatur; hoc verum est praesertim de Protestantibus qui firmiter credunt Sacram Scripturam et solam Sacram Scripturam esse regulam fidei. In hac regione, quae anglice « Bible Belt » vocatur, per menses post definitionem Assumptionis B. M. V. ministri Protestantici verbis et scriptis impetum in Ecclesiam faciebant. Si finis Concilii principalis est promovere unitatem inter Christianos cum Sede Apostolica Romana, hic finis minime assequetur definitionibus quae non sunt necessariae vel valde utiles ad tuendum depositum fidei.

2. Latina est lingua officialis Ecclesiae Occidentalis et magni momenti est quia, inter alias rationes, est signum et symbolum unitatis. Sed in mentem revocare debemus quod Ecclesia in saeculis post apostolicis lingua Latina uti incipiebat accurate quia tunc erat lingua fidelium.

Puto fortiter linguam Latinam debere totaliter retineri in ipsa Missae celebratione a sacerdote celebrante, sed cum aequali firmitate puto maximum vernaculi usum debere permitti fidelibus in eorum participatione liturgica etiam in Sacrosancto Sacrificio Missae. Instructio Sacrae Congregationis Rituum diei tertiae septembris ultimi anni fideles fere obligat orare et cantare in lingua cum qua exiguam aut nullam habent familiaritatem.

In usu vernaculi in ritibus et caeremoniis Ecclesia debet suos favores aequaliter concedere fidelibus omnium nationum. Hoc minime accidit. Exempli gratia, die tertia februarii ultimi anni Sacra Congregatio de Propaganda Fide facultatem concessit fidelibus totius Provinciae Agraensis in India cantare Missam in vernaculo, etiam *Gloria* et *Credo* post intonationem latinam a celebrante.

Dicetur Indiam esse territorium missionarium. Sed hoc verum est etiam de Statibus Foederatis ubi saltem 70 per centum plebis est acatholicum: est verissimum de dioecesi mea in qua tantummodo duo per centum populationis est catholicum. Sed inter Indiam et Americam est magna differentia. Ex maxima parte plebs Americana est Christiana. Multi eorum sunt boni Christiani praesertim in regione meridiana ubi Dioecesis Atlantensis locatur; et hi Christiani ab incunabulis in orationibus et canticis spiritualibus lingua anglica usi sunt.

In humili opinione mea, non lingua Latina, sed liberalis vernaculi usus pietatem et devotionem fidelium promovebit et conversionem acatholicorum ad veram fidem stimulabit.

Cum omni devotione et reverentia me profiteor

Eminentiae Vestrae
humillimum servum

✠ FRANCISCUS E. HYLAND
Episcopus Atlantensis

5

EXC.MI P. D. LUDOVICI I. REICHER
Episcopi Austiniensis (Austin)

Quoad Matrimonium

Propter numerositatem casuum matrimoniorum quae nunc Tribunalibus submittuntur nobis videtur quod melius esset Reverendissimis Ordinariis facultates concedere ut ipsi matrimonium non sacramentale dissolvere possint in favorem fidei.

Itemque in hac quaestione matrimonii utiliter discuterentur matrimonia acatholicorum. Hic refertur sententia magis ac magis communis, quae nunc invenitur apud protestantes, qui unionem personarum per vinculum matrimonii considerant dissolubilem. Nunc quaeritur: utrum persona, quae imbuta est idea matrimonii uti unionis dissolubilis, matrimonium verum contrahat, quando unionem matrimonialem init laborans errori quoad naturam matrimonii. Certe distinguimus errorem ab intentione; sed, non valde in intentione influit scienia erronea? Possuntne Patres Concilii discussionem habere de hac quaestione?

Petimus ut addatur casibus quae resolvere possunt per modum prae-

scriptum in canone 1990 casus matrimonii invalidi propter impedimentum aetatis.

Item petitur facultas pro Ordinariis Locorum concedendi dispensationem ab interpellationibus faciendis. Multis occasionibus certitudo moralis quoad impossibilitatem resumptionis vitae matrimonialis iam habetur antequam investigatio habitura est.

✠ LUDOVICUS I. REICHER
Episcopus Austiniensis

6

EXC.MI P. D. FRANCISCI P. LEIPZIG
Episcopi Bakeriensis (Baker)

Die 4 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Mihi Episcopo Bakeriensi in Oregon, discreto etiam adhibito consilio quod Eminentia Tua suasit adhibendum, desideranda videntur haec:

1. Potestas Ordinario detur permittendi sacerdotibus suis Missae iterationem omnibus diebus in hebdomada, ob penuriam cleri.

2. Pars secunda can. 824, i. e. « Quoties autem pluries in die celebrat... aliam eleemosynam recipere nequit... », deleatur.

3. Clausula restrictiva potestatis Ordinarii: « ... non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere » (can. 806, § 2) deleatur.

4. Consideratio benigna detur sacerdotibus qui ob humanam fragilitatem matrimonium attentant et qui nolunt vel non possunt ad sacerdotium revertere.

5. Potestas amplior Ordinariis locorum detur quoad causas matrimoniales praesertim quoad causas Privilegii Fidei.

6. Privilegia quibus Religiosi nunc fruuntur, v. g. erectio Viae Crucis et benedictio Rosarii, etc. omnibus sacerdotibus saecularibus detur.

7. Libri IV et V, *C.I.C.* mutentur extensive propter nimiam difficultatem applicandi eos uti nunc sunt.

Tuam deosculor S. Purpuram devote in Domino.

✠ FRANCISCUS P. LEIPZIG
Episcopus Bakeriensis

7

Exc.mi P. D. FRANCISCI P. KEOUGH
Archiepiscopi Baltimorensis (Baltimore)

Baltimorae die 16 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Post discretas consultationes cum peritis in Archidioecesi uti in litteris vestris sub prot. n. 1 C/59-186 suggerebat Eminentia Vestra, necnon multa cum deliberata cogitatione de futuro Concilio Oecumenico, humiliter haec pauca Pontificiae Commissioni Antepreparatoriae expono:

1. Videtur non expedire ut dogmata in hoc Concilio definiantur. Sanctissimus Dominus Noster Papa Ioannes XXIII feliciter regnans exoptat e Concilio reunionem imprimis dissidentium tum ab Oriente tum ab Occidente. Dogmata autem, cum definita sunt vel a Romano Pontifice vel a Concilio cum Ipso, difficultates psychologicas ad Ecclesiam ingrediendam ponunt fatribus nostris dissidentibus fere insuperabiles.

2. Pro Ecclesia saltem Latina regulae uniformes pro omnibus de re liturgica desiderantur. Reformatio Ritualis Romani de Sacramentis administrandis aliorumque circa cultum sacrum ad hunc finem attingendum multum proferat.

3. Revisio Codicis Iuris Canonici praesertim Libri V multum desideratur et quidem iuste a Canonistis. Commissio ad hanc revisionem forsan constitui possit a Concilio.

Haec submitto Eminentiae Vestrae et Commissioni Antepraeparatoriae omni qua par est reverentia.

Eminentiae Vestrae Servus in Christo

✠ Franciscus P. Keough
Archiepiscopus Baltimorensis

8

EXC.MI P. D. ALBERTI ZUROWESTE
Episcopi Bellevillensis (Belleville)

Bellevillii, 22 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Hisce remittimus animadversiones Nostras circa capita quae Nobis videntur opportuna pro deliberatione in Concilio Oecumenico:

1. Nobis videtur quod, saltem in Nostra patria, maximum obstaculum ad salutem animarum sit conceptus paganus matrimonii. Talis conceptus vitam et actiones non tantum acatholicorum sed etiam catholicorum tangit. Igitur suademus ut Concilium de mediis ad talem philosophiam paganam evellendam deliberet. Uti auxilia ad remedia supplenda offerimus:

a) definitionem formalem onanismum esse vitium contra naturam simul cum explicatione facti continentiam totalem vel periodicam solum legitimum medium esse ad familiam limitandam, ubi adest ratio sufficiens et iustificans pro tali limitatione. Sunt etiam inter cleros qui non sunt persuasi de intrinseca immoralitate onanismi;

b) affixionem poenae excommunicationis crimini divortium civile petendi sine permissu ecclesiastico debito;

c) discussionem normarum ad concedendas permissiones iis qui matrimonio invalido, quod validari non potest, insunt ut tanquam frater et soror vivere queant. Utrum concessio talis permissionis semper Ordinario reservari debeat, excepto periculo mortis, atque utrum in aliquibus circumstantiis, privilegio dicto concesso, factum publicum fieri debeat;

d) definitionem matrimonium inter personam baptizatam et personam non baptizatam esse vinculum naturale, potius quam supernaturale atque delegationem Ordinariis potestatis dissolvendi vinculum naturale in favorem fidei;

e) Concessionem Ordinariis locorum facultatis dispensandi ab interpellationibus in Privilegiis Paulinis quando pars infidelis iam matrimonium aliud attentavit. Ratio talem delegationem et delegationem sub « d » relatam suggerendi haec est: ita notabiliter reduceretur tempus ad solutionem in talibus casibus requisitum. Igitur, iuxta opinionem nostram, multi actores decisionem Ecclesiae expectarent antequam matrimonium cum acatholico prius nupto attentarent ac antequam unionem civilem ante casus propositionem auctoritatibus ecclesiasticis intrarent.

2. Videtur esse etiam inter Catholicos, revera inter cleros catholicos,

defectus aestimationis Ecclesiae uti *medii necessarii salutis*. Praesumitur acatholicos, qui in communitate uti « individui boni » accipiuntur, facile animas suas salvare posse tam ob ignorantiam praescriptorum Revelationis Divinae quam ob ignorantiam praeceptorum Legis Naturalis. Nobis videtur quod clarior explicatio modi quo acatholici animas servare possunt ac clarior explanatio Ecclesiae uti medii salutis zelum intra cleros et laicos ad catechumenos faciendos generabunt. Ad rem esset etiam utilis discussio de turbationibus psychicis uti elementis ad culpam moralem minuendam.

3. Ut matres, quarum infantes absque culpa matris sine baptismo moriuntur, consolentur sacerdotes quidam ad theoriam sic dictam « illuminationis specialis » recursum habent. Ita desiderant offerre matribus spem quamdam, nempe quod infantes tales beatitudinem supernaturalem adepti sint. Cum nullum videtur fundamentum in Revelatione pro theoria dicta, et cum talis doctrina fideles inducat ad necessitatem baptismi parvipendendam, optamus ut theoria « illuminationis specialis » formaliter damnetur. Ut sacerdotes medium tales matres consolandi habeant, explicatio officialis, seu definitio, de beatitudine naturali in « Limbo puerorum » detur. Similiter definitio detur de iudicio particulari tempore mortis. Sic fidelibus necessitas praeparationis ad mortem magis inculcaretur.

4. Ad promovendam acriorem collaborationem fidelium in operibus hierarchiae enuntiationem formalem de fundamento in Revelatione suggerimus pro obligatione fidelium ut ad perfectionem contendant et ut active in missione Ecclesiae participent. Hic etiam suggestionem offerimus ut Concilium deliberetur de opportunitate permittendi ut lingua vernacula magis in Liturgia adhibeatur ita ut laici uberius Liturgiae participare possent.

5. Cum de Mariologia apud Theologos multo disceptetur hodie, et cum Theologi varias notas theologicas variis doctrinis Ecclesiae de mediatione Dominae Nostrae assignent, formalis definitio de mediatione Mariae fiat.

6. Cum pro discipulis Catholicis apud Universitates saeculares saepe necessitas existat legendi libros prohibitos, et cum iuxta legem praesentem saepe impossibile sit permissum requisitum acquirere, leges ecclesiasticae hac de re saepe negliguntur. Nobis videtur quod lex Ecclesiae de libris prohibitis efficacior esset si Index emendaretur, prohibitiones generales, de quibus in Codice Iuris Canonici, restringendo, et confessores ditando facultate concedendi permissionem tales libros legendi in definitis casibus.

7. Optamus ut principia moralia ad integrationem prosapiarum (Racial Integration) et ad usum hypnosis pertinentia enucleentur.

8. Cum abstinentia Feria VI non amplius in aliquibus regionibus observetur, et cum Catholici in patriis Catholicis saepe legem de abstinentia violent (ad scandalum catholicorum et acatholicorum visitantium) deliberatio seria de de lege abstinentiae Feria VI mutanda detur. Fortasse practicum esset restringere abstinentiae legem diebus Feriis Sextis Quattuor temporum et Quadragesimae.

Dum Sacram purpuram osculor, in Domino sum,

✠ ALBERTUS ZUROWESTE
Episcopus Bellevillensis

9

EXC.MI P. D. HILARII B. HACKER
Episcopi Bismarckiensis (Bismarck)

Die 14 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

In responsione ad litteras datas die 18 iunii 1959, opus maximi momenti in Concilio videtur esse quaestio de unificatione omnium ecclesiarum praesertim ut spectat ad ecclesias separatas in schismate. Nam multae animae tenentur in ecclesiis orthodoxis. Hae habent multas doctrinas sicut in ecclesia nostra sed magnae difficultates oriuntur e dispositionibus personarum et ignorantia doctrinae Ecclesiae ut Mystici Corporis Christi quae est unicum mysterium unitatis.

Aliae quaestiones ad considerandum:

a) Expositio de parte Beatae Mariae Virginis in distributione gratiarum ut Mediatricis gratiae.

b) Revisio Codicis Iuris Canonici.

c) Consideratio de modo publicationis novarum legum, decretorum, et dispensationum ita ut notitia earum ad episcopos veniat antequam in publicationibus saecularibus legantur.

Interim omnia fausta a Deo enixe adprecantes Eminentiae Vestrae et summa reverentia qua par est, permaneo

✠ HILARIUS B. HACKER
Episcopus Bismarckiensis

10

EXC.MI P. D. IACOBI I. BYRNE
Episcopi Xylopolitani (Boise City)

Xylopoli, Idaho, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Considerationi Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico sententias sequentes propono:

1. Definiatur ut dogma doctrina quae Mariam Mediatricem Omnium Gratiarum tenet.

2. Permittatur receptio mensualis Sacramenti Extremae Unctionis in eadem aegrotatione.

3. Detur Ordinariis facultas permittendi diebus feriis bis litandi, urgente necessitate pastorali.

Interim, Eminentissime Domine, tuus in Cordibus sacris Iesu et Mariae humiliter maneo

✠ IACOBUS I. BYRNE
Episcopus Xylopolitanus

11

EM.MI P. D. RICHARDI I. CARD. CUSHING
Archiepiscopi Bostoniensis (Boston)

Die 31 augusti 1959

Cum mandato Eminentiae Tuae congruens Prot. N. 1 C/59-47, nonnullas sententias et opiniones separatim mitto, alio implicatas integumento, a commissione antepraeparatoria pro Concilio pensandas, cui commissioni pro prudentia eius determinare competit si easdem intra res a Concilio agendas inducere vellet. Exortae sunt istae sententiae ex contemplatione adiunctorum vitae hodiernae actualium, praesertim in societate mixta ductae, in quibus necesse forsan videtur ut novae expressiones formularentur doctrinarum perennium aeternalis Ecclesiae.

Quae suggesserim spero utilia fore; si aliter auxilio possem, promptus maneo.

Quae dum communico, omnia fausta a Domino adprecans, me profiteor

Addictissimum in Domino
✠ RICHARDUS I. Card. CUSHING
Archiepiscopus Bostoniensis

1. *De Philosophia moderna.*

Grassantibus apud scholas acatholicas falsis doctrinis philosophicis, necesse habetur ut de novo et copiose doctrina Ecclesiae explicetur de materialismo dialectico, de positivismo, de existentialismo. Permulti misere putant positivismum et existentialismum nihil aliud esse quam inventa philosophica pure speculativa et theoretica; sed e contra mundum hodiernum profunde et practice tangunt haec systemata et in rebus moralibus, quamobrem ab Ecclesia, magistra mundi divinitus constituta, tractanda sunt. Accedit quod et communismus penitus perscrutandus est, non in quantum res est politica vel oeconomica, sed potius in quantum mendacium philosophicum et commentum theologicum verius est. De realitatis valore absoluto, de natura animae humanae spirituali, de libero arbitrio, de existentia Dei personalis a creatis distincti, de homine Dei dicioni subiecto, de diminutione voluntarii per determinationem sive ab intra sive ab extra adductam: de his et talibus quaedam verba authentica valde prosunt.

2. *De ratione Ecclesiae ad Statum.*

De habitudine Ecclesiae ad Statum quod dicitur modernum et saeculare, et de utriusque facultate vel competentia quoad varias vitae humanae provincias, exortae sunt controversiae valde perturbantes. Quas ut practice dirimantur, expositio perspicua prodest illorum principiorum fundamentalium, tam theologicorum quam iuridicorum, quae novum conceptum suppeditent illius habitudinis, quum veteres conceptus hucusque vigentes radicentur in rebus politicis amplius non vigentibus.

3. *De Litteris Fidei noxiis.*

Quum multitudo vulgaris hodierna litteris plus minusve edocta sit, etiam quoad magnam partem in scholis quae superiores vocantur, usui est et novum efformare conceptum illius litteraturae quae fidei et moribus noxia aestimari possit. Sunt qui causam legitimam habent libros prohibitos legendi, sed qui difficillime ordinem sequuntur quo dispensatio

canonica conceditur. Oportet ergo studio theologiae, philosophiae, historiae addictis licentiam latiorem permittere talibus libris utendi; libros modo innoxios de indice amovere; ordinariis facultatem dispensandi concedere, sacerdotibus idoneis ulterius concedendam, vel intra forum poenitentiae vel extra, pro prudentia eorum exercendam.

4. *De diebus Dominicis et de festis de praecepto.*

Res hodiernae conceptum de novo exaratum postulant operis servilis devitandi et diei dominicae sanctificandae. Quum leges nunc usque vigentes adiuncta vitae actualia spectare non videantur, petenda est nova norma qua opera dominicae repugnantia determinentur; necnon qua dominica a festo civili discernatur, ita ut dies sanctificetur quin populus ab otio et delectatione honesta arceantur; qua tandem distinguatur dies dominica a festo de praecepto, quum in regionibus acatholicis vel mixtis talia festa publice non celebrentur et servilia postulentur. Oportet, ut videatur, legem retineri qua fideles sacris interesse debeant diebus festis; sed istis diebus prudentius apparet servilia permittere.

5. *De Indulgentiis.*

Operae praetium est et modum indulgentias lucrandi iam simpliciorem reddere, numerum precum et operum indulgentiis plenariis ditatorum forsitan minuendo, vel tantummodo potius inusitata et duriora sic ditando, e. g., pia exercitia per aliquos dies durantia, peregrinationes ad loca sacra. Difficile est populo explicare quomodo indulgentia plenaria plenum effectum non semper obtineat. Si ergo huiusmodi indulgentiae pauciores essent, facilius intelligerent christifideles partes ab indulgentiis gestas quoad remissionem poenae temporalis peccato debitae.

6. *De Poenis Canonicis.*

Liber quintus codicis iuris canonici ab integro retractandus videtur, quum valde confusus appareat, et claritate alibi in codice reperita prorsus careat. Iuvat fortasse veteres poenas abolere et novas instituere pro novis adiunctis actualibus. Item, absolutiones a reservatis aequari debent, ut ipsa reservatio efficax evaderet.

7. *De Theologia Morali.*

Intra limites theologiae moralis recensendae sunt multae quaestiones ad hodiernum diem pertinentes: de bello vi atomica gesto, de lege morali in mercaturae negotiis observanda, de divitiis aequandis, de vectigalibus solvendis, de iure potestatis civilis infoecunditatem chirurgicam vel fovendi vel exigendi, de mediis ad vitam humanam servandam adhibendis,

de prolis circumscriptione ope instrumentorum vel continentiae opportunae obtenta, de secretorum exquisitione ope speculationis vel hypnoseos vel medicamentorum narcoticorum consecuta. Principiorum fundamentalium explicatio multum prodest theologis qui istis student problematibus praesertim hisce diebus in quibus populi totius orbis terrarum numerosiores usque fiunt.

Sunt praeterea quibus placet theologiam moralem minus iuridicam, uti aiunt, videre, maius asceticam et in modum vivendi conversam, caritate formatam et animatam. Alii vero respondent, forsan melius, asceticam et moralem, quamquam cognatas, minime eamdem esse scientiam; hanc quoque necessariam esse ut nunc exstet ad iudicium forense efformandum.

8. *De forma matrimonii.*

Consulte suadeatur et lex de forma matrimonii catholicorum adhuc vigens quibusdam mutationibus afficeretur, quum catholici non pauci, decretum nullitatis futurum ob formae defectum certe praevidentes, matrimonia tantummodo experimentalia coram magistratibus civilibus tentare non dubitent. Qui postea, quando magna cum pompa et celebritate alias nuptias coram Ecclesia contrahere possunt, causa fiunt gravis scandali. Quae quum ita sint, quaerendum est an nova lex ferri possit qua omnia matrimonia censeantur valida quandocumque cum consensu et externalitate a lege naturali requisitis celebrentur, ita ut omnes, etiamsi catholici, coram auctoritate publica contrahentes, valide contrahant. Ut omnes in Ecclesia Catholica baptizati licite contrahant, sub poena excommunicationis speciali modo reservanda, obligari debeant ut coram parocho et duobus testibus nuptias ineant. Ante absolutionem ab ista censura et in signum verae poenitentiae, ambae partes ad renovandum consensum coram parocho et duobus testibus teneri debeant; tali modo eorum nuptiae in libro matrimoniorum inscribi possint.

Effectus principalis in hoc inveniretur quod ita deterrentur Catholici qui usque nunc post divortia civilia nova matrimonia inire possent quique viderentur favores obtinere ab Ecclesia omnino denegatos aliis qui rite contraxerint et qui putent in similibus circumstantiis eosdem favores sibi concedendos esse.

9. *De Ecclesia.*

Perpulchrum Mystici Corporis Christi dogma pensandum est non tantum in se sed etiam in habitudine sua ad hodiernae vitae adiuncta, v. g. ad populorum mundi copiam succrescentem, quae studium erga missiones usque auctum efflagitat; ad zelum patriae vel reipublicae immodicum,

qui uni familiae Dei adversatur; ad perfidias erga Iudaeos et Mahumetanos adhuc pessime vigentes, quorum asseclis nondum satis patefactum est Mysterium Ecclesiae in vita eius intima.

10. *De regionibus mixtae religionis.*

In societate quoad religionem mixtam, magni momenti est aeque servare tam iustitiam quam caritatem adversus bonae fidei acatholicos, quamobrem quaedam rationes harum virtutum spectandae sunt, e. g., de sacris alienis a potestate civili permittendis; de actu fidei solummodo libere praestando; de iuribus cuiusdam conscientiae agnoscendis; de habitudine Ecclesiae ad Statum qui vocatur mixtum accipiendo; de obligatione unicam veram salvificam Ecclesiam quaerendi et amplectandi; de mentis ratione catholicorum erga coetus acatholicos et erga asseclas bonae fidei eorum servanda. Quibus de rebus multum prodest regulam authenticam praesto habere, casibus peculiaribus aptandam.

11. *De ieiunio et abstinentia.*

Ieiunii et abstinentiae disciplina aliquantulum immutanda esse videtur, forsitan iuxta leges ab ordinariis americanis nuperrime latas, potestate dispensandi delegata utentibus. Insuper, oportet discrimina inter partialem abstinentiam et totalem includere in ipso textu legis universalis; iuxta alios, oportet potius abstinentiam partialem penitus obrogare, totalem semper sed minus frequenter imponendo.

12. *De Sacra Liturgia.*

Videtur quod necessaria sit nova formulatio legum liturgicarum de celebratione Missae et de recitatione Breviarii, ita ut modificationes iam factae exponantur in forma permanente et sibi cohaerente, et ut etiam fiant novae provisiones quibus laici partem habeant fructuosiorem in Sancto Missae Sacrificio et clerici in vita ministerii activi recitent Breviarium maiori cum intelligentia et devotione. Forsitan expedire possit investigationem de usu linguae vernaculae. Ex historia scitur Breviarium initium habuisse et evolutionem, maxima ex parte, in institutis Religiosis; sed, cum sacerdos activus in cura animarum nostris temporibus in circumstantiis valde diversis Officium legat, potestne ex novo examine excogitari formula precum officialium pro quotidiana recitatione magis conveniens et utilis quam Breviarium nostrum?

13. *De Beata Maria Virgine.*

Conspectus generalis doctrinae ad Deiparam pertinentis multum valeat ad nuperrime definitum dogma Assumptionis accuratissime inserendum in corpus doctrinarum de eiusdem virginis hucusque expositarum

necnon ad ulterius progrediendum in his doctrinis, praesertim in meliori cognitione illius partis a Maria gestae in opere Christi salvifico. Quaeritur, e. g.: Estne a Concilio donanda Virgo Maria titulo mediatricis omnium gratiarum?

14. *De neonatis defunctis non baptizatis.*

Non desunt quibus placeat expositio fusior principiorum theologicorum ad neonatos sine Baptismate e vita egressos pertinentium, ut melius scirent in quaestionibus cognatis ulterius progredi.

15. *De Sacramento Confirmationis.*

Aliquot verborum de Confirmatione qua ritum introductionis in Ecclesiam parte perficiente et proinde inter Baptisma et Eucharistiam potius collocanda est valde sperandum. Item, maxime prodest latiorem administrationis potestatem concedere, praesertim sub ictu mortis exercendam.

16. *De Ecclesiis Orientalibus.*

De ecclesiis orientalibus, praesertim quoad coetus orientales in occidente degentes, haec inter alia quaeruntur:

a) Quomodo referunt patriarchae ad S. R. E. Cardinales et Archiepiscopos?

b) quantum valent patriarchae episcopos eligere?

c) quousque patet iurisdictio patriarchalis extra territorium patriarchale?

d) quomodo aggregandus est Ecclesiae Catholicae sacerdos dissidens?

e) unde oritur iurisdictio ab episcopis dissidentibus exercita?

f) estne utile constitui in Statibus Foederatis Americanis vicarium vel vicarios pro catholicis orientalibus propriis exarchis carentibus?

g) quomodo quaestiones assurgentes solvantur ob magnam distantiam inter sedes orientales et coetus orientales in terris latinis degentes?

16. *De Diaconatu Actuoso.*

Diaconi operarii, forsitan etiam matrimonio ligati, maxime usui esse possunt praesertim in territoriis missionum sive ad exteros sive ad nostrates ubi desideratur copia sacerdotum; tales enim ministri tum in praedicando tum in communicando tum in baptizando missione canonica fruantur.

18. *De Facultatibus Quinquennalibus.*

Ut fides tam intensive quam extensive in dies augeatur, maxime ab episcopis qui eiusdem fidei cultores vocentur, magnopere expedit facultates quinquennales fieri et latiores et liberiores. Episcopo ecclesiae particularis inter adiuncta illius ecclesiae degente, nemo omnino immediate scire potest qua re indigeat ecclesia, quid bono fructui esse possit.

19. *De Creatis Sideralibus.*

Non desunt qui quaerunt quid tenendum de creatis intellectualibus super sidera forsitan reperiendis, de consectariis practicis eorum inventionem sequentibus.

20. *De Sacra Scriptura.*

Quum quidam theologi, maxime saeculorum iam praeteritorum, decretum Tridentinum nimis ad verbum accipientes et proinde mentem synodi male intelligentes, Scripturam et Traditionem haberentur non aliter ac si duo fontes distincti essent revelationis, plurimum prodest explicare quomodo practice unum fontem ambae constituant, quo pacto haec illius interpres est authentica et viva.

Insuper, Pius XII, beatae memoriae, cohortatus est peritos Catholicos ad novum utriusque testamenti textum Latinum ex textibus Graecis et Habraicis conflandum; oportetne concilium huic conatui consulere?

✠ Richardus I. Card. Cushing
Archiepiscopus Bostoniensis

12

Exc.mi P. D. LAURENTII I. SHEHAN
Episcopi Bridgeportensis (Bridgeport)

Die 5 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Eminentiae Vestrae respondens, Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae res sequentes velim proponere.

1. *Sub capite Doctrinae*

a) Primum, mihi videtur, quaerendum est utrum omnino necesse sit novam doctrinam definire, et si non, utrum discussio ipsa talis definitionis spem reunionis mundi Christiani in Ecclesia Christi tam desideratae probabiliter imminueret.

Nonnulli, sine dubio, postulabunt ut definiatur veritas religiosa: « Mariam esse mediatricem Omnium Gratiarum ». Haec et talia argumenta proferent: veritatem ex parte quam peregit Maria in Mysterio Redemptionis et ex relatione Mariae erga Filium Divinum Nostrum Salvatorem elucere; doctrinam hanc ex doctrinis Immaculatae Conceptionis et Gloriosae Assumptionis logice sequi, necnon vere requiri ut doctrinae Marianae definitae compleantur. Haec omnia concedo; et si quaestio definitionis huius doctrinae Patribus Concilii proponeretur, difficultatem in voto affirmativo ponendo minime haberem.

Ratio autem satis gravis meo iudicio adest cur quaestio de dogmate definiendo Patribus Concilii non proponatur. Sanctissimus Pater causam reunionis mundi Christiani pluries declaravit cordi suo carissimam. Definitio dogmatica tam paulo post definitionem Gloriosae Assumptionis adveniens multos acatholicos et quosdam nobis propriores, meo iudicio, longius ab Ecclesia repelleret. In Statibus Foederatis Americae, exempli gratia, sunt nonnulli Anglicani qui multas doctrinas catholicas tenent qui per definitionem nunc proponendam certissime arcerentur. Et, quod peius videtur, non absunt ii qui, sectas schismaticas colentes, occasionem definitionis vellent arripere ut eas longius ab Ecclesia detraherent.

Effectus practicus definitionis tandem talis, mihi videtur, non esset, qualis gravamen contra reunionem superaret. Nemo in Ecclesia positionem Mariae unicam et potestatem intercessoriam praestantissimam negant.

Devotio Mariana nunc in Ecclesia maior videtur quam in aliqua

priore aetate; quae devotio per definitionem, si fieret, non notabiliter augmentaretur.

His omnibus bene pensatis, definitio dogmatica meo iudicio causae reunionis nunc debet cedere. Reunione perfecta, tunc consulendum erit de dogmate definiendo.

b) Quidquid de doctrinae definiendae opportunitate dicendum, conditio moralis fere universalis mea opinione exigit ut Patres Concilii animadvertant corruptionem pervagatam et omni societati vere periculosam, quae originem habet in denegatione legis moralis absolutae qua iudicantur actiones individuorum et nationum; quae corruptio in nationibus democraticis maxime fovetur notione falsa libertatis individuae qua impediuntur etiam officiales civiles quominus praecaveant divulgationem imaginum, idearum, theoriarum, doctrinarum per omnia communicationis moderna media (libros videlicet, ephemerides, cinephotographiam, radiophoniam, televisionem) factam, quantumvis istae sint integritati morali individui, familiae sanctitati, societatis totius saluti maxime perniciosae.

2. *Sub capite disciplinae*

a) Valde esset utilis elucidatio de usu linguarum vernacularum in Sacra Liturgia. In Statibus Foederatis Americae e. g. nonnulli Episcopi et sacerdotes ritus orientalis lingua anglica in partibus liturgiae utuntur; in Missis Sollemnibus et etiam Pontificalibus e. g. Epistola, Evangelium, Praefatio et Orationes Liturgicae anglice canuntur. Unde oritur anomalia, populo difficilis explicatu: lingua anglica eis permittitur qui in terram, ubi haec lingua est vernacula, nuper venerunt; eadem lingua in ritu Latino eis prohibitur qui eam tamquam linguam vernaculam ex tempore immemorabili habent; quae anomalia nunc est occasio admirationis, tempore autem venturo causa difficultatis esse potest.

b) Nonnullae congregationes Religiosarum, nonobstante hortatu Summi Pontificis Pp. Pii XII, habitum religionis non mutaverunt quamvis quidam isti habitus valde incommodi et nimis singulares remaneant. Nonne conveniret si hortatus renovaretur et forsitan corroboraretur?

c) Nonne quoque pensandum est de quibusdam mutationibus convenientibus in habitu etiam religiosorum?

Salutem Eminentiae Vestrae a Deo reverenter deprecans et sacram purpuram humiliter deosculans, me profiteor

Eminentiae Vestrae servum addictissimum

✠ LAURENTIUS J. SHEHAN
Episcopus Bridgeportensis

13

EXC.MI P. D. BRENNI I. McENTEGART
Episcopi Bruklyniensis (Brooklyn)

29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris die 18 iunii 1959 datis, Eminentia Tua Rev.ma postulabat ut communicare faveam Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, omni cum libertate et sinceritate, animadversiones, consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum suggerant circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Ita, discreta quadam ratione, consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium habito, sequentia mihi visa sunt Ecclesiae animarumque bono profutura:

1. In Codicem Iuris Canonici inserere interpretationes authenticas Commissionis ad Codicis authentice canones interpretandos et nova decreta generalia quae post Codicem data sunt.

2. Constituere impedimentum disparitatis cultus etiam pro acatholicis certe baptizatis praecipue quoad novum matrimonium cum persona catholica ineundum.

3. Concedere Ordinario loci facultatem dispensandi a vinculo naturali matrimonii in favorem fidei suetis conditionibus, saltem in casu dubii baptismi acatholici baptizati.

4. Partem Quintam Libri Tertii Codicis (canones 1409-1494) de beneficiis accommodare circumstantiis hodiernis.

5. Clarius significare « errorem communem » in canone 209.

6. Clarius significare « munere antiquiorem » in canone 472, n. 2.

7. Decernere utrum dimissio religiosorum ipso facto in canone 646 sit poena sensu stricto vel non (can. 2218).

8. Decernere utrum delicta publica in can. 1933, § 1 sint « publica » in sensu canonis 2197 vel in sensu canonis 1037.

9. Clarius significare in canone 465 tempus absentiae quod permittitur ne parocho per maximam partem cuiusque diei durante anno permittatur a paroecia discedere, salvo alio officio eidem ab Ordinario loci commisso.

10. In can. 1249 inserere satisfactionem legis de audiendo Sacro per assistentiam Missae quae super altare portatile, sive per facultatem

canonis 822, § 4 sive per indultum personale Sedis Apostolicae, celebratur.

11. Clarius significare in canonibus 638 et 639 « commorationem » ita ut iurisdictio competat Ordinario loci ubi religiosus actu et physice adsit momento quo dispensatio a votis concedatur et accipiatur, religioso in eodem loco legitime, saltem virtute canonis 606, § 2, praesente.

Haec dum Tecum communico impensos meae aestimationis sensus Tibi obtestor permanens

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus

✠ BRENNUS I. MCENTEGART
Episcopus Bruklyniensis

14

EXC.MI P. D. ROBERTI F. JOYCE
Episcopi Burlingtonensis (Burlington)

E. Civitate Burlingtonensi, die 8 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Secundum petitionem tuam, omni cum libertate et sinceritate, index rerum sequentium quae in futuro Concilio tractari poterunt propono:

1. Ut professionis fidei pro neo-conversis formula simplificetur. Formula ut nunc est, difficulter ab illis intelligitur.

2. Ut caeremoniae consecrationis ecclesiarum et altarium simplificentur ita ut intra horam unam concludi possint, et ut Ordinarii hoc munus delegare possint.

3. Ut Lectiones Breviarii Romani, praesertim in secundo nocturno minuantur, et ut, saltem in parte, recitatio Breviarii in lingua vulgari permittatur.

4. Ut bona paroecialia, quando paroecia extinguitur propter rationes quascumque, ad alias paroecias ab Ordinario transferantur.

5. Ut Evangelium S. Ioannis in fine Missae lingua vulgari per celebrantem simul cum fidelibus recitetur.

6. Ut oleum infirmorum sacerdotes in itineribus ferre possint propter frequentiam casuum urgentiorum secum.

Hae omnia humillime et magna cum reverentia erga Summum Pontificem submitto.

✠ ROBERTUS F. JOYCE
Episcopus Burlingtonensis

15

EXC.MI P. D. PAULI J. HALLINAN
Episcopi Carolopolitani (Charleston)

Die 27 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Praeclarus honor est mihi, Eminentissime Pater, tibi submittere plures quaestiones pro Concilio Oecumenico quod propinquum est. In praeparatione tituli, adiutus sum a consilio sacerdotum prudentium et peritorum ex Dioecesi Carolopolitana.

I. *De Liturgia.* — Ut fideles nostri melius comprehendere et ardentius amare Sacrum Sacrificium Missae tamquam supremum Actum Sacrificii possint necnon Deum glorificare et se habere ut membra Corporis Mystici Domini Nostri Iesus Christi, et ut principia participationis liturgicae inculcata in Instructione de Musica et Liturgia Sacra et in Littera Encyclica *Mediator Dei* celerius realizentur commendamus *ut disputetur de utilitate textus Missae in linguis vulgaribus* (*canone excepto*) *tum pro fidelibus tum pro sacerdote.*

Fideles nostri ferventer volunt participare active in liturgia S. Missae, interne, vocaliter et sacramentaliter. Nostra in dioecesi, usus librorum Missae ex parte multorum fidelium et, recentius, participatio vocalis praeclarae probationes de bona voluntate fidelium sunt. Nihilominus, difficile est pro aliquibus enuntiare vel faciliter comprehendere linguam Latinam; et propter hoc, quia ex stirpe Britannica-Saxone, Celtica, Germanica, vel Slavonica sunt, non possunt introire in dialogum plenum et profundum. Usus in *Missa lecta* linguarum vulgarium (in translatione approbata a Sancta Sede Apostolica) esset auxilium maximum — « tamquam colloquens cum sacerdote » (§ 31). Conservatio Sacrosanctorum verborum liturgiae in lingua Latina asseveraretur retinendo canonem in lingua Latina. Quilibet abusus translationis in parte residua Missae prohiberetur permittendo, in singula lingua, singulam translationem approbatam.

II. *De Liturgia.* — Ut mens et cor fidelium ad plenam et intelligentem aestimationem sacrarum actionum Sacramentorum eleventur; ut utilizetur valor tum educativus tum sacramentalis fontium vitae supernaturalis, *disputationem de usu linguarum vulgarium in rituale pro quibusdam Sacramentis commendamus.*

Profunda vis personalis et socialis Sacramentorum pro fidelibus nostris amplificatur quando intellegunt preces Deo prolatas per Ecclesiam.

Non mere spectatores sed participantes fiunt quando totam significationem rituum apprehendunt. Explicatio praevia utilis est sed non inspirat totum momentum Corporis Mystici in auditoribus. Si *forma actualis* Sacramentorum recitaretur lingua latina, conservaret naturam sacram versionum antiquorum. Preces adiunctae darent fidelibus nostris novam pulchritudinem et significationem si recitarentur lingua propria.

III. *De Disciplina.* — Ut mentes fidelium ab erroribus praeserventur, et, eodem tempore, cultura vere Christiana fidelium nostrorum conservetur, praesertim eruditorum et alumnorum Catholicorum diligenter quaerentium educationem vere completam, *commendamus disputationem de revisione non tantum Indicis Librorum Prohibitorum sed etiam methodi permittendi Catholicis tales libros.*

Magis magisque fideles nostri, ex omnibus partibus, opponuntur culturae saeculari quae habet radices in subiectivismo, pragmatismo, relativismo, agnosticismo et atheismo. Non tantum ut refutet istos errores sed etiam ut vivat secundum doctrinam Christi et Ecclesiae Suae (in societate ubi tales errores feroces sunt) Catholico educato comprehendenda est philosophia falsa quae est fundamentum huius culturae. Index hodiernus continet multos libros qui pro auditore in America rari sunt vel inutiles. Eodem tempore, continet plures titulos quos, cum permissu et cum propriis lectionibus supplementariis, Catholicus educatus cum fructu legeret. Si Index emendaretur et brevior fieret, et si methodus permissionem tradendi, sub vigilantia generali Sanctae Sedis, relinquatur iudicio bono et prudenti Ordinariorum, esset possibile disponere propugnacula propria ita ut fides et mores fidelium efficacius conservarentur.

Tria haec Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico cum obsequio et humilitate profunda submittuntur, cum spe fervente ut disputationes Patrum sint utiles ad bonum Sanctae Matris Ecclesiae et ut, in fine, quaeque decisio, consequatur illam unitatem mentis et cordis tam ardenter desideratam a Sancto Patre Nostro, Ioanne XXIII, feliciter regnante.

Tuae Eminentiae Reverendissimae

humillimus ac dev.mus servus in Christo

✠ PAULUS J. HALLINAN
Episcopus Carolopolitanus

16

EXC.MI P. D. HUBERTI M. NEWELL
Episcopi Cheyennensis (Cheyenne)

Die 13 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Grato animo rescribo ad litteras vestras diei 18 iunii 1959, de Concilio Oecumenico convocato.

Ego Concilio de rebus fidei et *morum nihil subiciendum habeo at certus sum* vos multas admonitiones a patria nostra et a toto orbe terrarum accepturos esse quae facient Concilium opus magni valoris et magnae efficaciae.

Noster clerus, religiosi et fideles in orationibus iam se coniunxerunt ut Concilium toti mundo optime prosit.

Summa cum reverentia,

✠ HUBERTUS M. NEWEL
Episcopus Cheyennensis

17

EXC.MI P. D. ALBERTI G. MEYER
Archiepiscopi Chicagiensis (Chicago)

Die 5 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Transmitto Eminentiae Vestrae quasdam observationes, ex multis quae certe fieri possunt quaeque etiam ab aliis indicabuntur, quae forsitan in futuro Concilio Oecumenico aliquo modo considerari possunt.

Rogo indulgentiam Eminentiae Vestrae propter hanc aliquantulum tardiorem responsionem, quae variis circumstantiis adscribi debet.

Annuntiatio Concilii Oecumenici magno cum gaudio maximaque cum expectatione ab omnibus recepta est. Clerus et populus noster simul cum eius pastore, libentissime hunc nuntium accipientes hancque occasionem nacti, de novo devotionem ardentem atque oboedientiam

filialem erga Summum Pontificem manifestare volunt, atque simul preces fervidas pro hac speciali intentione eius promittunt.

Interim item Eminentiae Vestrae impensos animi sensus profiteor, omnia fausta a Domino precans,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus
✠ Albertus G. Meyer
Archiepiscopus Chicagiensis

1. Ex multis erroribus huius temporis, plurimi Relativismo fundantur. Pessima sunt consectaria, non solum quoad doctrinam, sed etiam quoad mores. Omnis notio veritatis absolutae a plurimis negatur. Hinc videtur quod multum iuvaret solemniter in Concilio Syllabum seu collectionem horum errorum modernorum conficere, excerptum forsitan ex variis allocutionibus, encyclicis, et epistolis Summorum Pontificum inde a tempore Concilii Vaticani. Sunt enim hi errores qui principaliter radices dissensionis ponunt.

Crisis horum errorum describitur tamquam vera de-christianisatio seu apostasia nationum. Vocatur vera et universalis absentia Dei, praesertim quoad vitam publicam populorum.

Divisiones profundissimae inter homines existunt propter negationem omnis finis vere supernaturalis, vel propter defectivam notionem vitae supernaturalis. Multae veritates fundamentales Religionis Catholicae negantur. Doctrina communismi, quae negationibus abundat, quam maxime hanc negationem omnis finis et vitae supernaturalis proponit.

Hinc, expositio verae notionis supernaturalis videtur debere iterari, praesertim quoad dogmata de peccato originali, de Incarnatione Redemptiva, atque de gratia regenerativa. Vera et genuina notio peccati solemniter exponatur oportet. Necessitas fidei profundioris, in vero sensu Tridentino, iterum exponi debere videtur, contra errores plurimorum de sufficientia operum, vel de sufficientia mediorum pure naturalium.

2. Numquid Concilium Oecumenicum opportunam considerabit definitionem sollemnem doctrinae quae in Encyclica Pii XII, *De Corpore Christi Mystico* continetur, praesertim illius quae statuit Sanctam Ecclesiam Catholicam Romanam in terris esse Corpus Christi Mysticum? Talis definitio continet multa consectaria pro hodiernis conditionibus salutaria, tum ut fideles ipsi intelligentiam profundiorem Ecclesiae habeant, quum etiam quia videtur esse veritas fundamentalis ad omnem ulteriorem quaestionem proprie « oecumenicam », i. e., relate ad reunionem dis-

sidentium cum vero Corpore Christi Mystico. Solemnis expositio doctrinae verae de unicitate et unitate Ecclesiae Christi etiam requiritur ut multi Catholici rectas notiones habeant.

3. Auctoritas statuatur tamquam elementum societatis necessarium et intrinsecum. Hinc, origo, natura, et obiectum auctoritatis Ecclesiae reaffirmari debent. Ad hanc auctoritatem magis explicite ad conditiones hodiernas applicandam, multum iuvabit solemniter exponere ea quae Pius XII statuit in allocutionibus Episcopis mundi factis, die 31 maii et 2 novembris 1954.

4. Quaestio igitur oecumenica forsitan debebit considerare definitionem relationis quae existit inter Sacram Scripturam, Sacram Traditionem et Magisterium Ecclesiae. Est nempe hoc ipsum Magisterium Infallibile et semper vivum Ecclesiae quod magnopere a dissidentibus negatur.

5. Progressus continuus et vere admirabilis in scientiis naturalibus necnon et in technologia, atque praesertim spiritus qui ex ubiquitate revolutionis technologicae omnes homines aliquo modo tangit, est factum ex quo quaedam quaestiones magni momenti derivantur: quaenam nempe sunt obstacula praecipua quae in praxi religionis ex hac civilizatione technica veniunt? Quomodo potest haec ipsa civilizatio technica dirigi ad profundiorem fidem excitandam et exercendam? Quaenam sunt media optima apologetica ad veritates religionis Catholicae efficaciter aliis proponendas, tum ut increduli ad fidem convertantur, tum etiam ut et ipsi fideles, immo etiam et sacerdotes, profundiorem fidei cognitionem acquirant? Quaestiones hae respiciunt tum methodum apologeticam tum methodum catecheticam, tum etiam methodum tradendi sacras disciplinas alumnis seminarii.

6. Apostolatus Actionis Catholicae, vel etiam Apostolatus Laicorum, est unum ex remediis a Summis Pontificibus recentioris praesertim temporis quam maxime approbatis et iussis. Quamvis Summus Pontifex, Pius XII, pluries et diffusive de hoc apostolatu variis modis disseruerit, videtur opportunum et necessarium de hoc themate sollemniter tractare: 1) ad falsas interpretationes de natura et ambitu huius apostolatus refellendas; 2) ad evitanda pericula ne alicubi ipse apostolatus in errorem incidat, puta in quamdam speciem pelagianismi vel semi-pelagianismi; 3) ad excitandos laicos Catholicos ubique terrarum ut cum magno zelo et simul cum magna prudentia hunc apostolatum secundum opportunitates assumant; 4) ad praeparandam viam pro multis qui ad matrem Ecclesiae redire vellent.

7. Quaestio Socialis plura habet problemata practica. Ad diffusionem verae doctrinae socialis, quae iam fuse continetur in scriptis prae-

sertim Leonis XIII et Pii XI, multum iuvabit solemniter iterare ea quae Ecclesia docet de iustitia et de caritate sociali, praesertim quoad principia quae lege naturali fundantur. Sollemnis expositio huius legis naturalis tamquam fundamentum requiri videtur.

Pro quibusdam regionibus, quaestio de aequalitate hominum (race question) maximum habet momentum. Numquid etiam haec quaestio intime connectitur cum quaestione de reunione dissentientium?

8. Inter problemata moralia, quae pastores animarum frequentius tractare debent, eminent ea quae vitam familiae Christianae et matrimonium respiciunt.

Problemata multa et perdifficilia habentur propter influxum vitae modernae in mentes et animas Catholicorum ex falsa doctrina onanistarum, et ex facilitate et frequentia divortii. Perplurimi acatholici categorice negant doctrinam Ecclesiae de malitia onanismi intrinseca, sicuti et alias doctrinas morales fundamentales. Item nullo modo admittunt potestatem Ecclesiae in matrimoniis baptizatorum.

Numquid solemnis iteratio doctrinae Ecclesiae de malitia intrinseca onanismi requiratur? Nonne, solemnis expositio doctrinae de lege naturali requiritur?

Numquid sollemnis expositio doctrinae de potestate Summi Pontificis quoad matrimonium exquiratur?

9. Sacramentum Confirmationis dicitur complementum Sacramenti Baptismi. Numquid forsitan consideranda est revisio canonis 788, ut etiam in Ecclesia Latina sacramentum confirmationis subito post Baptismum conferatur iuxta privilegium et consuetudinem in Ecclesia Orientali? Forsitan talis revisio, inter alia, facilitabit reditum dissidentium orientalium in sinum Ecclesiae?

10. Numquid consideratio specialis dari debeat ad problemata specialia magnarum paroeciarum in civitatibus modernis, ubi in nostris regionibus plurimi Catholici inveniuntur? Non facile, propter varias rationes oeconomicas et alias, hae paroeciae dividi possunt. Factum simplex magni numeri eorum qui sacramenta recipere cupiunt, functionibus liturgicis interesse cupiunt, etc. fons est plurimorum problematum (v. g. in functionibus liturgicis hebdomadis maioris, etc.).

11. Quaestio Liturgica quoad omnes suas manifestationes maximum habet momentum. Omnino optandum est quod Concilium huic quaestioni maximam considerationem praebeat.

12. Defectus numeri sufficientis sacerdotum ubique terrarum notatur. Maxima consideratio debetur huic problemati tum relate ad qualitatem praeparationis alumnorum seminarii pro apostolatu moderno, tum relate ad quantitatem candidatorum augendam.

13. Numquid haberi potest maior uniformitas in quibusdam quaestionibus disciplinaribus, quae magis intime vitam quotidianam populorum tangunt, v.g. in lege ieiunii et abstinentiae. Communicatio inter populos multo frequentior est hodiernis diebus; diversitas praxis atque diversitas interpretationis magnam confusionem producit.

14. Numquid modum publicationis actorum officialium Sanctae Sedis magis accomodari potest circumstantiis modernis? Saepe enim fit ut ephemerides saeculares has notitias habeant antequam episcopi quidquam sciant. Populus Catholicus, e contra, primas notitias horum actorum (v.g. novae legis de ieiunio eucharistico) ex his ephemeridibus saecularibus desumit, quae notitiae saepe defectivae et etiam erroneae sunt. Inde fit ut populus saepe retineat has notitias erroneas et defectivas. Numquid forsitan provideri potest ut episcopi per nuntios apostolicos et delegationes apostolicas notitias authenticas recipere possint antequam publicationes fiant quae immediate ab ephemeridibus saecularibus distribuuntur? Aliquando etiam fit ut episcopi nullo modo authenticam notitiam habeant, ad magnam confusionem fidelium, e.g. ultima dispensatio legis abstinentiae in vigilia Assumptionis, quae etiam omnino nimis sero publicata est.

✠ ALBERTUS G. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

18

EXC.MI P. D. CAROLI I. ALTER
Archiepiscopi Cincinnatensis (Cincinnati)

Die 18 augusti 1959

Eminentissime,

Propositiones quaedam hic adnexae submittuntur, omni qua par est reverentia, considerationi Commissionis Praeparatoriae ad Concilium Oecumenicum habendum.

Et Deus ...

Addictissimus in Domino
✠ CAROLUS I. ALTER
Archiepiscopus Cincinnatensis

I. *De Unitate Ecclesiae.*

1. Suadetur ut a Sancta Sede constituatur commissio permanens, ex membris et Latini et Orientalis Ritus composita, ad quam pertinebit quaestioni unitatis Ecclesiae studium dare, necnon media proponere quibus efficeretur reconciliatio ecclesiarum dissidentium cum Sancta Apostolica Sede.

2. Inter quosdam coetus Christianos, a Sancta Sede seiunctos, crescit, uti videtur, persuasio unitatem Ecclesiae non tantum optandam sed etiam necessariam esse si voluntas Christi et consilium Eius ad finem perducantur. Concilia recentia ab his coetibus convocata, et quae « oecumenica » nuncupantur, ad aliquam unitatem, ex sollertia mere humana orientem, pervenire studuerunt. Hoc fecerunt per excogitationem, pro bono vel communi vel proprio, viarum rationumque quae aliquem ordinem producant. Unitas ergo Ecclesiae, veluti ab illis concepta, est quid adhuc creandum, et minime quid iam extans.

Quae cum ita sint, oportet iterum exponere, in decretis novis, unitatem Ecclesiae, tamquam a voluntate Christi constitutae, esse unitatem organicam atque supernaturalem, colligans omnia membra Ecclesiae Christi per gratiam Christi Corpori Eius Mystico communicatam; insuper, veram unitatem Ecclesiae postulare tamquam quod essentiale unitatem doctrinae, sacramentorum, atque disciplinae sub auctoritate divinitus constituta.

3. Non pauci acatholici timent ne illa libertas, hodie Catholicis a certis guberniis saecularibus concessa ad cultum suum propagandum, ipsis acatholicis restringatur si Catholici in partem maiorem evadunt. Ut rationem huius timoris indicent, citant hi acatholici modum agendi in quibusdam terris, ita dictis Catholicis, ubi libertas expressionis religiosae iure restringitur. Re ita haud recte intellecta (expetendum videtur accuratius definire naturam tolerantiae doctrinalis in re religiosa ut a tolerantia politica vel civili disparatae. Insuper lucidius explicanda esset notio Catholica libertatis conscientiae. In republica ubi plures cultus vel etiam nullus extant melius videtur si cultus omnino liber esset a quavis vi, vel physica vel legali, ex parte reipublicae.

Tamquam omnino constans doctrina Catholica videtur Ecclesiam solam nec minime rempublicam ius ac auctoritatem habere ad veritatem et usum religiosum determinandum. Unde fit ut illa dispositio constitutionalis, per quam respublica saecularis in societate mixta sibi denegat quodvis ius se immiscendi in rebus religiosis, minime tamquam indifferentia religiosa habenda est, sed rectius tamquam modus protegendi illam libertatem conscientiae omnibus civibus satisdatam. Affirmatio lucida doctrinae Catholicae hac in re amovebit quasdam opi-

niones praeiudicatas quae nunc obstant et impediunt quominus modus benignior se gerendi erga Ecclesiam Catholicam habeatur.

II. *Liturgia.*

1. Suadetur ut revisiones substantiales fiant in *Pontificale Romano* necnon in *Rituale.*

2. Suadetur ut codificatio fiat omnium praeceptorum ac decretorum liturgicorum ad instar codificationis Iuris Canonici.

3. Suadetur ut Breviarium plures lectiones ex Sacra Scriptura, pauciores autem explicationes Evangeliorum contineat; insuper suadetur ut recitatio privata Breviarii in lingua vulgari permittatur.

4. Suadetur ut officium Vesperum tamquam publica devotio in favorem Christifidelium in lingua vulgari recitari possit, immutata tamen obligatione eorum qui ad recitationem Latinam in choro obstringuntur.

5. Suadetur ut, ad faciliorem reddendam perceptionem necnon participationem profundiorem Sacrificii Missae ex parte Christifidelium, illae partes quae alternis vocibus recitantur (« partes dialogatae ») in lingua vulgari permittantur, immutatis tamen illis partibus a celebrante exclusive recitatis.

III. *Ius Canonicum et Disciplina.*

1. Suadetur ut tribunalia cum iurisdictione determinata (nisi casus appelletur Sedi Apostolicae intra tres menses) in casibus matrimonii in unaquaque terra cum magno numero incolarum, vel tribunalia regionalia in illis terris minus frequentatis, constituantur; iterum, ut haec tribunalia apud Nuntiaturam vel Delegationes Apostolicas sub curatione Sanctae Sedis stabiliantur. Hoc suadetur ut evitentur illae morae hodie Roma invalescentes et ob multitudinem casuum creatae et ob necessitatem recte interpretandi testimonium in lingua vulgari datum.

2. Suadetur ut Ordinarii locorum maiorem auctoritatem necnon iurisdictionem habeant in concedendis dispensationibus a votis religiosarum simplicibus, etiam ab illis votis iuris pontificalis.

3. Suadetur ut privilegia canonica et omnes dispensationes a lege ieiunii et abstinentiae a Sancta Sede concessae publicentur tantum ab ordinariis loci post authenticas notitias acceptas, ne confusio mentis apud fideles crescat de die in diem; necnon ad dubia conscientiae evitanda in quantum multi fideles non habent accessum ephemeridibus (publicatio in ephemeridibus vel radiophonia valde incerta est). Inde fiat ut auctoritas ordinarii loci tamquam authentica in munere magisterii exercendo in dubium vocetur recenti tempore apud fideles.

✠ CAROLUS I. ALTER
Archiepiscopus Cincinnatensis

19

EXC.MI P. D. EDUARDI F. HOBAN

Archiepiscopi-Episcopi Clevelandensis (Cleveland)

Clevelandiae, die 26 augusti 1959

Eminentia Vestra Reverendissima,

Observanter respondens Vestris litteris, Prot. N. 1 C/59-375, velim proponere haec sequentia argumenta:

1. De relatione inter religiosos et clericos saeculares praesertim in operibus educationis, ubi subsunt auctoritati magisteriali episcoporum.

2. Possibilitas cuiusdam revisionis ac reductionis caerimoniarum in consecratione Ecclesiarum et Altarium.

3. Restauratio impedimenti matrimonialis Disparitatis Cultus ad ambitum quem comprehendebat ante Codicem Iuris Canonici, ita ut cum eodem impedimento in Codice Orientali conveniat.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Vestram Reverendissimam prosequor meque profiteor

Addictissimum
✠ EDUARDUS F. HOBAN
Archiepiscopus Episcopus Clevelandensis

20

EXC.MI P. D. CLARENTII G. ISSENMANN

Episcopi Columbensis (Columbus)

Die 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Quod Summus Pontifex feliciter regnans, per litteras benignas Reverendissimae Eminentiae Tuae me certiorem fecit de proximo Concilio Oecumenico et a me postulavit animadversiones, consilia et vota de rebus quae in Concilio tractentur, mihi valde est gratulationi.

Imprimis tamen me oportet fateri quod, annos quinque solummodo consecratus, expers sum magna ex parte scientiae practicae maximi momenti illorum quae hodierno tempore Ecclesiae occurrunt et ab ipsa perpense curanda sunt.

Nihilominus, ut voci invitationis Summi Pontificis, illa qua par est alacritate auscultem et libertate filiali respondeam, quibusdam ex sacerdo-

tibus dioecesanis prudentibus consultis, en fructus investigationis meae et orationis.

Cum munus supremum Concilii sit quod unitas omnium christifidelium habeatur, videtur primo quod in Concilio clare statuatur sensus genuinus unitatis in ea Ecclesia quae divinitus in mundo condita est una.

Etenim hodierno die multi ex dissidentibus, ut patet Reverendissimae Eminentiae Tuae, crebro inter se et praesertim in eorum conventibus sic dictis oecumenicis, de unificatione gestiunt. Quae tamen unificatio numquam ut fundamentum habet unitatem vel fidei vel actionis moralis, numquam veri sensus auctoritate innititur.

Exinde videtur quod iis, qui reapse aliquam unitatem quaerunt, revocandi sunt presse ad Dei auctoritatem agnoscendam, et hoc non tantum in vita singulari, nempe quid quis credat et quomodo moraliter agat, sed etiam tota in vita et in omni parte, sicut domestica, civili, oeconomica, publica, ecclesiastica, religiosa. Fundamentum ergo unitatis, quae sit genuina et non mere artificiosa, clare statuatur Dei auctoritas, subiectio autem hominis Dei auctoritati. Homo iterum agnoscere debet Ecclesiam, quam Christus in hoc mundo condidit et quam certis characteribus instruxit, vere organum esse Dei vocis ad homines ut omnes ad salutem patriae coelestis ducantur.

Ad singula quae attinet:

In re dogmatica, videtur quod nulla sit necessitas alicuius definitionis solemnis.

Promitto Reverendissimae Eminentiae Tuae ut preces quotidianae effundantur pro omnibus qui in magno munere praeparandi quae agantur a Concilio strenue intersunt, ut eorum labor ac postea deliberationes et acta Concilii divina sapientia referti sint.

Ex imo corde Reverendissimae Eminentiae Tuae addictissimum me profiteor,

✠ Clarentius G. Issenmann
Episcopus Columbensis

21

Exc.mi P. D. MARIANI S. GARRIGA
Episcopi Corporis Christi (Corpus Christi)

Corpus Christi, 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris Vestris diei iunii 1959, quas die 19 iulii 1959 accepi, respondens, e corde gratulor Eminentiae Vestrae ob honorem insignem a Sanctissimo Domino nostro Ioanne Papa XXIII f. r. collatum, cui quippe

dignitati onera et munera gravissima adiunguntur. Liceat mihi Sanctitati Suae fidelitatem, oboedientiam, reverentiam, amoremque filialem sincere offerre et vovere, et promittere quod dioecesis oratione et quoque modo operi maximi momenti favebit. Eminentia Vestra utique partem habebit in orationibus omnium nostrum, filiorumque huius dioecesis, qui semper paterna Vestra cura et amore gavisi sunt.

Petitioni Summi Pontificis obsecundantes, quasdam res subicimus, quae, pastorali experientia innixi, animarum saluti prodesse putamus. Quaestiones, quae forsan res maioris momenti in Concilio Oecumenico a viris peritis tractandas impedirent, proponere non praesumimus.

Amorem ac devotionem Summi Pontificis erga Beatam Virginem Mariam, matrem omnium Christifidelium, scientes, nobis videtur eiusdem Summi Pontificis esse privilegium proponendi Concilio convocato opinionem vel doctrinam quae tenet Mariam esse Mediatricem omnium gratiarum, et, si ei placuerit, summo et infallibili magisterio suo, declarandi talem doctrinam fide Catholica esse tenendam. Proculdubio declaratio a coetu adstante, et plaudente universo orbe, tamquam pars fidei laete acciperetur.

Ut breviter dicam, profiteor quod omnia circa fidem et mores, quae, Divino afflatu Spiritus Sancti, Sanctissimus Dominus noster Joannes Papa XXIII, fel. regn., « ex cathedra » credenda esse declaraverit, ab omnibus fidelibus firmiter constanterque tamquam depositum fidei credenda sunt.

Hisce paene quinquaginta annis sacerdotii mei observavi incrementum Ecclesiae in hac parte vineae Domini, magnum incrementum institutionum et numeri fidelium, sed minime proportionaliter numerus sacerdotum increvit. Decurrentibus annis opera perficienda increverunt, operarii tamen operi perficiendo vix sufficiebant. Deficientibus vocationibus inservire necessitatibus dioecesis vix possibile est. Maior pars sacerdotum in hac dioecesi iam dicunt tres Missas in diebus Dominicis et festis de praecepto, ut populo praebeatur facultas implendi praeceptum audiendi Missam. Quaeritur quomodo solvenda sit difficultas.

Alia difficultas oritur ex frequenti mutatione sacerdotum religiosorum qui pastores curae animarum in paroeciis assignantur. Quaeritur utrum regula non possit emendari ita ut consonet menti Iuris Canonici, quod plus minusve videtur innuere ut parochi sint quodammodo permanentes.

Liceat mihi enumerare quasdam propositiones, absque disquisitione, quae hinc et inde mihi praesentatae sunt. Quarum quattuor specificantur in litteris Episcopi Auxiliaris, Eminentiae Vestrae iam missis. Hisce rebus satisfacere cupio, eas mere declarando, nempe:

a) clarificatio status dogmatici et iuridicis laici in Ecclesia;

b) clarificatio dogmatica ac iuridica Instituti Saecularis;

c) emendatio Iuris Canonici, ita ut termini legales semper eumdem sensum habeant vel servent;

d) remuneratio seu consideratio sacerdotibus concedenda, qui per viginti quinque vel plures annos vicarii fuerunt. Omnia quae supra enumerantur mihi videntur perpendenda in Concilio convocando.

Propono ut sacerdotibus, curae animarum assignatis generalis permissio detur celebrandi tres Missas in diebus Dominicis et in festis de praecepto, item offerendi Sacrificium Missae hora vespertina absque speciali permissione Episcopi.

Ut lex ieiunii et abstinentiae in Vigilia Nativitatis Domini abrogetur, quia magnus numerus fidelium legem non observat.

Ut « Thanksgiving Day », qui in Statibus Foederatis Septemtrionalis Americae ultima feria quinta mensis novembris quotannis uti dies festus civilis pro gratiarum actione celebratur, dies festus de praecepto declaretur; multi fideles iam talem esse putant.

Ut liceat laicos dignos, bonae famae, nuptos vel innuptos, promovere ad ordinem diaconatus, qui ordo est iuris divini, specialiter ad bonum ecclesiae promovendum in territoriis missionum tum domesticis tum alienis.

Ut speciales lectiones, quae inveniuntur in Missali diebus Quattuor Temporum abrogentur.

Ut, uniformitatis causa, initium obligationis ieiunii Eucharistici ab omnibus, tum laicis, tum sacerdotibus computetur ab initio Missae, non a tempore, quando incipit distributio Eucharistiae in Missa.

Iterata promissione precum pro successu muneris gravis Eminentiae Vestrae assignati, et spe gaudens Vos personaliter videre occasione visitationis meae ad limina mense octobri, qua par est reverentia et oboedientia, maneo

Eminentiae Vestrae
humilis et addictissimus servus

✠ MARIANUS S. GARRIGA
Episcopus Corporis Christi

22

Exc.mi P. D. FRANCISCI I. SCHENK

Administratoris Ap. Crookstoniensis (Crookston)

April 16, 1960

Right Reverend and dear Monsignor Felici,

I have your esteemed reminder that up to the present I have not sent any recommendations for the agenda of the coming Oecumenical Council. I ask the forgiveness of the Pontifical Commission for not writing.

The principal reason why I did not write is that I had no particular recommendations to make. I was disposed, and will continue to be disposed, to accept fully everything that the Oecumenical Council defines, legislates, and recommends.

But I do have reflections now—after the news reports came out that the principal matter of the agenda would be concerned with the internal affairs of the Church and not with the effort to fulfill in our day, to some extent at least, our Lord's prayer « ut unum sint ».

I really have no objection to the proposal that the Oecumenical Council's chief concern would be with the internal affairs of the Church. I am not aware of what may be of pressing concern in the internal affairs of the Church. I leave that to those, who in their much greater wisdom, see these needs much more clearly than I do.

But the way the news report was given out it appeared almost as though the very pressing need for unity in Faith in Christendom was almost being relegated to a footnote.

As our beloved Holy Father first announced the coming Oecumenical Council—a considerable prominence was given to this great goal, which, may I repeat, is embodied in Christ's own prayer: « ut unum sint ». Our Catholic newspapers and magazines were filled with their comments on this magnificent goal.

The secular press gave the Holy Father's goal excellent publicity, even though it quoted some skeptical comments from protestant churchmen. Yet in the more responsible protestant publications—while there was considerable doubt expressed as to what would be accomplished, and some criticism given of the term « oecumenical » if those Christian bodies separated from the Church were not invited. One would have to expect some such reflections as these from protestants. They are not

surprising. Yet there were also some expressions of hope that some progress in unity of faith might be realized.

What was significant was the absence of any criticism of our Holy Father. Whatever there were of adverse reflections were aimed at the Church rather than at the person of the Holy Father.

I do not know whether the Holy See is sufficiently aware of the tremendous esteem in which our Holy Father is held in the United States of America—and this includes the secular press. Seldom does a week go by in which the Holy Father is not presented in some way or other as the Pope who loves all people. The Holy Father's impact on this country has been amazing. In one of our secular magazines, « Time », he became the man of the year in religious matters within two months of his election. And he continues to hold this esteem. Within the past week there have been pictures of him in our secular presse in one capacity or other—and with captions to endear him further to the American people. What a power wields in protestant America through his loving personality!

And when he voiced his desire to try to bring about a greater Christian unity as a great goal of the Oecumenical Council, the 40,000,000 Catholics in this country were thrilled. Our Catholic magazines and newspapers dwelt on this in a spirit of joy. Sermons were preached on this from our Catholic pulpits—and all in the spirit of a great and wonderful hope that this Vicar of Christ, through his winning love, could at least move many souls closer to the bond of unity in our holy Faith.

But since the announcement that, after all, the Oecumenical Council's primary concern was about the internal affairs of the Church—and only incidentally about unity in Fith—our Catholic magazines and newspapers have become silent on the matter of unity. What is there to say about the glorious goal of unity if this is incidental and almost trivial—rather than of tremendous importance?

And protestant publications quickly sensed the change. Some of the comments have been on the cynical side. There has been the reflection—wondering whether the Holy Father meant his appeal in the first place. But even in these protestant reflections this is discounted as not being truly representative of the Holy Father. The cynicism turns rather to a reflection on how much pressure was brought on the Holy Father by prelates in Rome to change his mind, and to minimize his first exalted goal; did some in Rome suspect that the Holy Father might betray the Faith by making too many concessions etc.?

Whatever may be said in the future about reviving the goal of unity

to a greater prominence—if anything is said at all—will now be received with more skepticism.

May I humbly express the opinion that it might have been better not to give publicity to the very emphatic change in emphasis? I still think that our Holy Father's first expression of a goal of unity to be sough deserves a profound consideration.

I know full well that there can be no compromise whatever in Faith for any reason whatever.

But since there is so much misunderstanding of the Church it might not be unreasonable to hope that the Holy Father with his great appeal of love for all, and the Oecumenical Council in union with the Holy Father—and both under the inspiration and guidance of the Holy Spirit might give something to the separated Christians in the way of a better understanding of the Church.

And if the Church is so often misunderstood, and this is unfortunately true, we are hardly entitled to the luxury of absolving ourselves from all blame.

There have been times—even extending to the present—when we have presented a forbidding front to those outside of the Church. And certainly this does not invite or win any kind of sympathetic hearing of the glories of our Faith. There does seem to be disposition at times to present orthodoxy in Faith with a mailed fist rather than with firm gentleness. And then resentment is nurtured and misunderstanding confirmed.

Nor have we always presented the truths of our Faith or Moral Principles in ways to win a hearing. For example, we rightly speak or write against birth control, and we refer to the natural law. And then we are apt to be pained because people ignore our presentation of this moral issue—forgetting that most people, including many Catholics, do not even know what we are talking about when we refer to the Natural Law. Granted, that a short and convincing explanation of the Natural Law is not so easy. Yet the difficulty hardly excuses us from trying to explain it as simple a way as possible so that people might know what we are talking about.

When we become aware of others badly misrepresenting our Faith we take refuge too often in hurt feelings. And we build the wall higher and thicker to enshrine our orthodoxy. Sometimes we even indulge in personalities to put some heretic in his place. And we wonder, rather naively, why misunderstandings still continue.

It might be more profitable to our own souls and to the souls of others to imitate Christ and our Holy Father in the constant love for

all souls. We might be more gentle and simple in the presentation of the truths of our Faith. On the other hand it is possible for us to become so frozen and forbidding that no one would wish to be like us.

If I may humbly offer a suggestion it would be this:

that the matter of unity in Faith be no consigned to insignificance in the agenda of the Oecumenical Council but be given the careful and profound consideration it deserves. It is most vital to the interest of Christ and His Church to bring all into one fold. It is most pertinent to consider the means of accomplishing this.

I am being transferred to the Diocese of Duluth on April 19th. If you or anyone should wish to write to me, I give my new address below.

May the Risen Christ guide and protect us all.

Sincerely yours in Christ,

✠ Francis I. Schenk
Administrator of Crookston
Bishop-designate of Duluth

23

Exc.mi P. D. THOMAE GORMAN

Episcopi Dallensis-Arcis Vorthensis (Dallas-Fort Worth)

Dallasii, 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Cum Eminentia Vestra me rogaverit ut quasdam materias submitterem quae, meo sensu, in proximo Oecumenico Concilio utiliter discussioni pateant, de consulto huius dioeceseos sacerdotum tam saecularium quam religiosorum, sequentia reverenter propono:

Quoad ordinem procedendi: Simultanea translatio in variis linguis eorum quae in sessionibus Concilii aguntur.

In Re Dogmatica

Dogmatica definitio doctrinae de Mediatione universali omnium Gratiarum Beatae Mariae Virginis.

Sessio in Concilio Vaticano interrupta quoad naturam Ecclesiae compleatur.

Clare enuntietur doctrina Ecclesiae in re « racismi » et in re sociali.

Revisio eorum quibus postremum Concilium initium dedit quoad relationem inter Ecclesiam et societatem civilem.

Recognitio notionis auctoritatis.

In Re Morali

Iterata definitio doctrinae Concilii Tridentini circa observantiam diei dominicae tanquam diei Domini: circa Missam, Sacramenta, studium Doctrinae Christianae, visitationem infirmorum et pauperum, circa Officia pomeridiana.

Instructione clarificetur inter quosdam limites sacerdotes catholici et ministri protestantes mutuo collaborare possint.

Lucide exponatur quaenam est mens Ecclesiae relate ad co-educationem utriusque sexus iuvenum in prioribus eorum adulescentiae annis, 13-17.

In Re Canonica

Abbreviatio Divini Officii in favorem utriusque Cleri ministerio pastorali active addicti, cum licentia illud pro libitu in lingua vernacula recitandi.

Abrogetur vel funditus reformetur index librorum prohibitorum.

Mutatio in veste clericali seu habitu ecclesiastico.

De utilitate diaconorum coniugatorum Clerum in variis officiis adiuvantium.

De admissione, post eorum conversionem, ministrorum acatholicorum coniugatorum ad sacros ordines.

Simplicior reddatur legislatio quae nunc viget in causis solemnioribus; et maxima pars causarum licite agantur ad normam can. 1990.

De opportunitate concedendi Ordinario loci facultatem dissolvendi matrimonia non-rata seu non-sacramenta, in favorem fidei.

De modificatione introducenda in Libro V Codicis Iuris Canonici; et excommunicatio solummodo adnexa sit delictis gravissimis.

De iurisdictione Ordinarii loci, relate ad Catholicos orientales in locis ubi non adest Ordinarius orientalis.

Ordinariis loci detur facultas dispensandi super omnia impedimenta quae iure ecclesiastico obstant matrimonio et sacris ordinibus.

In Re Liturgica

Facultas detur utendi lingua vernacula pro illis Missae partibus quae a celebrante alta voce proferuntur.

Forma simplicior prostet pro consecratione petrae sacrae seu altaris portabilis.

Forma simplicior proponatur pro officiis Hebdomadae Sanctae ad usum sacerdotum qui illa soli perficere debent.

Restrictiones in usu facultatis celebrandi Missas vespertinas e medio tollantur.

Permittatur benedictio nuptialis in lingua vernacula.

Varia

Clericis qualitatibus et ingenio praestantibus liceat studia altiora in universitatibus saecularibus perficere antequam ad presbyteratum evehantur.

Acceptatio calendarii universali (World Calendar) promoveatur.

Removeatur prohibitio qua sacerdotes in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis impediuntur quominus nomen dent societatibus, vulgo « Rotary Clubs », nuncupatis.

Erectio consilii seu Commissionis permanentis, quae Sedem Romae habeat et cuius membra, ex omni natione electi, regulariter conveniant.

Sacram Purpuram deosculans, qua par est reverentia, maneo Eminentiae Vestrae

Addictissimus in Christo
✠ THOMAS GORMAN
Episcopus Dallasensis-Arcis Worthensis

24

EXC.MI P. D. RADULFI L. HAYES
Episcopi Davenportensis (Davenport)

Eminentissime Princeps,

Nuntium de Concilio Oecumenico a Ioanne Papa XXIII, feliciter regnante convocato, magno cum gaudio a clero et fidelibus dioeceseos Davenportensis acceptum fuit et incessantes preces ad Spiritum Sanctum funduntur pro felici exitu eiusdem Concilii Oecumenici.

Ad res et argumenta in eodem Concilio pertractanda quod attinet, sequentes animadversiones proferre liceat:

1. Seria et supplex consideratio et studium de possibilitate unionis inter veram Christi Ecclesiam et nonnullas dissidentes ecclesias ritus orientalis. Unitas essentialis Ecclesiae Christi sub regimine Romani Pontificis necnon vera et integer doctrina Christiana salva praestari debet;

attamen, mea quidem sententia, nonnulli errores illarum ecclesiarum orientalium historico vel etiam politico fundamento niti videntur — quae fundamenta succedentibus saeculis et nostris praesertim temporibus minoris momenti sunt. Praeterea, vera Christi Ecclesia et plures ecclesiae dissidentes orientales eodem confrontantur inimico atheistico, nempe communismo, et inspirante Spiritu Sancto et impellente vera fraterna et christiana caritate, possibile est ut nonnullae ecclesiae orientales dissidentes sub Cathedra Petri refugium requirere inducantur.

2. Ad Sacram Liturgiam quod attinet, optatum est Concilium Oecumenicum considerare possibilitatem et utilitatem spiritualem amplius permittendi linguas vernaculares in sacris functionibus praesertim in administratione sacramentorum et sacramentalium. Fideles nostri maiorem actuositatem recentibus annis exhibuerunt in personali participatione in actionibus liturgicis, quae participatio maiores et uberiores haberet fructus si eis permitteretur amplior usus linguarum vernacularium.

3. De Codice Iuris Canonici:

Valde consulendum est restituere impedimentum disparitatis cultus ad disciplinam quae vigebat ante promulgationem Codicis Iuris Canonici, anno 1918, eliminando in canone 1070, § 1, verba « in Ecclesia catholica ». Saltem in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis bonum animarum postulat ut disciplina circa impedimentum disparitatis cultus ad formam traditionalem restituatur. Re quidem vera verba « in Ecclesia catholica » in legislatione matrimoniali pro Ecclesiis orientalibus non inveniuntur.

Hanc nactus occasionem, impensos aestimationis meae sensus tibi obtestor et permaneo

Eminentiae Tuae Rev.mae addictissimus

✠ Radulfus L. Hayes
Episcopus Davenportensis

25

EXC.MI P. D. URBANI I. VEHR
Archiepiscopi Denveriensis (Denver)

Die 17 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Epistolae Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-439) respondens, circa res et argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda nihil suggerendum habeo.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam Reverendissimam prosequor meque profiteor

Addictissimum
✠ URBANUS I. VEHR
Archiepiscopus Denveriensis

26

EXC.MI P. D. EDUARDI C. DALY
Episcopi Desmoinensis (Des Moines)

Diei 22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Tuis litteris humanissimis d. 18 iunii a. c. sub numero 1 C/59-441 datis respondentes articulos brevissime expositos et praesentibus litteris appositos Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico per Tuam Reverendissimam Eminentiam humillime referimus.

Sensus altissimae aestimationis cordatim exprimo Eminentiae Tuae cui cuncta fausta a Domino deprecor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
servus humillimus
✠ Fr. EDUARDUS C. DALY, O. P.
Episcopus Desmoinensis

De Missae ritibus et caeremoniis

1. Ut unicus sit ritus Missae in Ecclesia Latina decernatur, non tantum ad confusionem evitandam atque admirationem sed etiam ad maiorem commoditatem et devotionem fovendam Christifidelium Sacrificio Missae adsistentium.

2. Rubricetur pro omnibus Missis cantatis ut celebrans omittat ea omnia quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii cantant vel legant, eaque tamen devote auscultet.

3. Rubricetur ut celebrans vel minister alta voce legat vel cantet in lingua vernacula orationes Missae, orationes post communionem atque epistolam seu lectionem et evangelium secundum versionem a Sancta Sede adprobatam.

4. Permittatur ut lingua vernacula latius latiusque adhibeatur in sacramentis conferendis et benedictionibus.

De Breviarii Romani revisione

Instituatur revisio rigorosa festorum et lectionum secundum normas historicas, attenta etiam relatione facta a Commissione ad hoc a Pp. Benedicto XIV instructa.

De Religiosis

Modificetur sic dictum privilegium exemptionis regularium hocce modo:

Ordinarius loci per se vel per alium quinto quoque anno visitare debet singulas domos religiosorum, nullis exceptis, etiamsi domos ubi maiores superiores religiosi ordinariam sedem habent, non solum in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae, sed etiam in aliis quae ad internam disciplinam spectant.

In domibus religiosis, nullis exceptis, comitiis ad eligendum Superiorem minorem vel maiorem praesit Ordinarius loci aut eius delegatus cum duobus sacerdotibus dioecesanis scrutatoribus.

Nisi censura ab Ordinario loci facienda praecesserit, ne edantur etiam a religiosis, nullis exceptis, nuntia in actis diurnis, etiam Catholicis, ad stipendia Missarum, praesertim pro sic dictis societatibus purgatorianis, cogenda.

De Confraternitate Doctrinae Christianae

Instanter instantius urgeatur hoc opus apostolicum praesertim per studiorum circulos viros suasque uxores complectentes, quo efficacius filios de fide et moribus Catholicis instruere valeant.

De Parochis et Praedicatoribus

1. Melius in seminariis praeparentur praedicatores de re dogmatica.

2. Admoneantur sacerdotes, praesertim parochi, de sua sacra obligatione populum instruendi, ac de morali obligatione, immo gravi, praeparationis immediatae ad recte praedicandum.

De Seminariis et Universitatibus Studiorum

1. Visitatio apostolica, saltem decennalis, pro omnibus seminariis etiam regularium, tam in spiritualibus quam in academicis, decernatur.

2. Ordinarii admoneatur de opportunitate et necessitate mittendi sacerdotes aptos ad scholas superiores, etiam uti aiunt laicales, qui gradus academicos, etiam in scientiis profanis, attingant.

3. Ne permittatur, etiam religiosis exemptis, scholarum seu universitatum studiorum laicalium, nisi cum consensu Ordinarii loci in quo sita est schola seu universitas, frequentatio etsi pro cursu aestivo tantum.

De beneficiorum fructibus

1. Cum in omni dioecesi beneficia sint alia pinguissima alia pauperrima, omnes beneficiorum fructus dioecesi acquirantur, quo aequius in bonum commune dioeceseos ab Ordinario loci, cum consensu tum Capituli cathedralis tum Consilii administrationis, erogentur.

2. Leges ferantur quibus fructus dioeceseon divitum in favorem dioeceseon missionariarum distribui possint.

De processibus matrimonialibus

Salvo semper vinculo, simplificetur processus matrimonialis quo citius pro animarum bono sententiae ferantur.

De poenis ecclesiasticis

Redigatur Codex poenalis clarius manifestans spiritum caritatis et conformior spiritui correctivo systematum poenalium hodiernorum; atque aboleantur poenae quae hisce diebus minus aptae videntur.

✠ FR. EDUARDUS C. DALY, O. P.
Episcopus Desmoinensis

27

EXC.MI P. D. IOANNIS F. DEARDEN
Archiepiscopi Detroitensis (Detroit)

Die 22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Voluntati Eminentiae Vestrae obtemperans, nonnulla, debita cum reverentia, summatim subiungo quae, ut mihi videtur, digna sunt ut in Concilio Oecumenico tractari possint.

1. Ea quae a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. iam asserta sunt de fine et scopo huius Concilii, et quidem de promovenda Ecclesiae unitate, primum locum et momentum tenent. A nobis etenim qui apud dissidentes Rituum Orientalium necnon apud Protestantes nomine saltem Christianos degimus, magnopere sperandum est preces atque vota mundi Catholici mentes hominum bonae voluntatis ad Ecclesiae unitatem iuxta mentem Salvatoris dirigere posse.

2. Iura Ecclesiae in ordine ad statum civilem opportune proferri possunt. Praeter ea quae principia generalia spectant, nonnulla particularia asserere oportet: v. gr. de iuribus Ecclesiae quoad iuvenum educationem.

3. Cum nostris temporibus errores cum theoretici tum practici de relatione stirpium humanarum inveniantur, opportunum erit aliquid proferre de unitate speciei humanae, simulque reprobare errorem eorum qui ex hoc capite iura aliorum infitientur.

4. Ex principiis Catholicis recta notio libertatis conscientiae humanae proponi potest. Ex liberalismo enim plura sunt consectaria falsa quae ex doctrina libertatis derivant.

Haec per summa capita proponens, preces ad Deum fundo pro felici exitu futuri Concilii Oecumenici.

Omni quo par est reverentia, me profiteor, Eminentiae Vestrae

in Christo addictissimum
✠ IOANNES F. DEARDEN
Archiepiscopus Detroitensis

28

EXC.MI P. D. MARII F. FORST

Episcopi Dodgepolitani (Dodge City)

April 28, 1960

Your Eminence,

I regret the delay involved in sending the following requested suggestions for the anticipated General Council. I did not realize that I too was expected to submit suggestions.

Asking God's blessings upon you personally, as well as upon the proceedings of the General Council, I am

Sincerely in Christ,
✠ MARION F. FORST, D. D.
Bishop of Dodge City

1. Humiliter et suppliciter rogamus ut sacerdotibus omnibus facultas detur in lingua vernacula recitandi Divinum Officium.

2. Supplicamus etiam ut sacerdotes lingua vulgari uti possunt in omnibus benedictionibus impertiendis, in sacramento Baptismi administrando, in Sanctissima Eucharistia aegrotis ministranda, in ungendis aegrotis in mortis periculo, et in matrimonio celebrando necnon in benedictione nuptiali etiam intra Canonem Missae impertienda.

3. Propter magnam utilitatem et ad participationem in Liturgia promovendam nos quoque audemus monere ut lingua vulgaris in Missa celebranda permittatur saltem in Missa Catechumenorum, videlicet, in orationibus, epistolis et evangeliis legendis.

4. Petimus etiam ut preces Leoninae de mandato post Missam lectam recitandae breviores reddantur et varientur per intentiones specificas publice indicatas et secundum tempus anni opportune mutatas. Exempli gratia, durante tempore adventus, pro unitate Ecclesiae, dici possit semel « Ave Maria », additis precibus ad unitatem petendam et iaculatoria, « Cor Mariae immaculatum, ora pro nobis »; durante tempore a Nativitate D. N. I. C. usque ad feriam quartam Cinerum, hae preces dici possint eo fine ut plures petant pro semetipsis vitam religiosam vel clericalem: semel « Ave Maria », « Salve Regina », et « Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis »; durante tempore quadragesimae, intentio precum nostrarum sit conversio peccatorum, et ad hanc mentem, hae preces dici possint: semel « Pater noster », additis precibus in honore Sancti Michaëlis Archangeli et iaculatoria, « Iesu, mitis et humilis corde, fac corda nostra secundum Cor Tuum »; durante tempore Paschali adrogari possit pro missionibus, dicendo semel « Ave Maria », Symbolum Apostolorum, et iaculatoria, « Sancte Francisce Xaverie, ora pro nobis ». Tunc incipiendo a Dominica Pentecostes, preces post Missam dici possint ad intentionem Papae, quae aliquo in tempore praecedenti specificari potest, exempli gratia, « ad conversionem Russiae »: semel « Pater noster », « Memorare », et « Gloria Patri ».

5. Urgemus maximo cum ardore ut disciplina communis statuatur pro quaque republica ad ordinandam sustentationem clericalem cum necessitatibus eorum congruentem. Monemus modo particulari ut omnia stipendia data occasione administrandorum sacramentorum et pro Missae applicatione adhibeantur exclusive ad paroeciam sustentandam. Amplius nobis melius videtur sacerdotibus interdicere ne stipendia accipiant ad sustentationem propriam.

6. Ad evitandam confusionem de notione « operis servilis » filialiter petimus ut clarificetur hic terminus, quod attinet ad legem opera servilia

prohibentem in diebus de praecepto. Ulterius rogamus ut interpretatio ecclesiastica observationis diei Dominicae restringatur adeo ut veniam dari possit ad opera servilia agenda in diebus de praecepto quae non sunt dies Dominicae.

7. Nobis bonum videtur constituere easdem leges ecclesiasticas unius generis pro toto orbe terrarum, vel saltem pro nationibus vel utraque ex partibus quinque maioribus orbis terrae, vulgo dicto « continents », nempe, pro tota America Septemtrionali et Meridionali, vel pro tota Europa, vel pro tota Asia, praesertim in re observantiae dierum de praecepto, dierum ieiunii et abstinentiae, et in re temporum et locorum et caeremoniarum nuptialium et exsequialium. Forsitan melius eveniat si hae leges sint universaliter eiusdem generis pro toto orbe terrarum.

8. Plurimis praelatis maioribus minoribusque magnam laetitiam afferat si simpliciora reddantur vestimenta pontificalia et praelatitia.

9. Catholici per totum mundum gaudebunt si Sancta Romana Ecclesia iterum profiteatur non tantum curam suam Scripturarum Sacrarum, sed etiam usum Earum per omnia saecula, additis eiusdem usus historia atque conatu suo omnibus Verba Divina volentibus docendi.

9. *De Ecclesia*: Volumus Ecclesiam docere nova cum vi doctrinam de Corpore Christi Mystico. Potest proponi quomodo haec doctrina illustret opus esse auctoritate infallibili ductu in Ecclesia Christi et tantum in Ecclesia Romana Catholica inveniri posse talem auctoritatem infallibilem docendi.

11. Nobis bonum videtur probationes divinitatis Iesu Christi nova cum vi reaffirmari eo fine ut demonstretur unitatem Ecclesiae eventuram esse tantum per opinionem divinitatis Iesus.

12. Convenit ut nova cum vi expresse affirmetur doctrina Ecclesiae circa naturam sacramentorum.

13. Volumus demonstrari opus Filii Dei ad redimendos omnes homines tantum accipiendo septem sacramenta prehendi posse manu ab omnibus.

14. Utile est Ecclesiam profiteri Missam rationem sacrificii habere.

15. Volumus accurate explicari modum operandi Sacramenti Extremae Unctionis per quod robur animae et sanitas corporis confertur sacramentaliter secundum voluntatem Christi.

16. Debet demonstrari Matrimonii gratias sacramentales esse ad valetudinem spiritualem et corporalem percipiendas.

17. Utile esset determinare, si possibile est, naturam et effectus Sacrorum Ordinum. Ostendi posset Iesum Christum instituisse Sacros Ordines, i. e. episcopatum, presbyteratum, diaconatum, ut media essent ad praestandam unitatem realem et perpetuam in Sua Ecclesia.

Amplius determinandum esset hos Ordines a Christo institutos fuisse ut sacramentum veri regiminis fidelium eo fine ut bonum commune et defensio Ecclesiae membrorumque custodiantur.

✠ Marius F. Forst
Episcopus Dodgepolitanus

29

Exc.mi P. D. LEONIS BINZ
Archiepiscopi Dubuquensis (Dubuque)

Dubunquii, 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae accepi, sub n. 1 C/59-461 e Civitate Vaticana scriptas, die 18 m. iunii 1959, in quibus Eminentia Vestra Reverendissima animadversiones, consilia, et vota quaesivit circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Consilium virorum ecclesiasticorum petivi hac de re, prout Litterae Pontificiae permiserunt; et respondendo, quaestiones prolatas Eminentiae Vestrae transmitto:

1. Utrum spiritus Concilii longe distare non debeat a spiritu Concilii Tridentini et Concilii Vaticani, in quibus obligatio defendendi Ecclesiam habebatur primaria?

2. Utrum e contra spiritus apostolatus eminere nunc non debeat?

3. Utrum cooperatio inter Lutheranos et Catholicos quae in Germania habetur non possit in alias regiones extendi?

4. Utrum talia studia extendi non debeant non tantum Lutheranis sed etiam aliis?

5. Utrum coetus permanentes erigi non debeant, praesertim in nostris universitatibus et seminariis, ad dialogum cum coetibus acatholicis dedicati?

6. Utrum etiam in dioecesibus dialogus inter Catholicos et acatholicos institui non possit sub vigilantia episcoporum?

7. Utrum doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum clarificari non debeat intuitu problematum modernorum?

8. Utrum libertas religionis adaequate servetur ubi, sicut in nostris regionibus, Catholici debent sustinere tum scholas publicas tum scholas confessionales?

9. Utrum iustitia distributiva non laedatur ubi Catholici taxas

solvere debent pro scholis et nullum vel parvum subsidium recipiunt pro scholis Catholicis?

10. Utrum, propter paucitatem vocationum systema seminaristicum ita mutari non possit ut apostolatus magis foveatur?

11. Utrum theologia ascetica et theologia mystica locum obtinere non possint in seminariis sicut et theologia dogmatica et moralis?

12. Utrum, propter devotionem, participationem, et facilitatem in instruendo acatholicos, lingua vulgaris permitti non debeat in administratione omnium Sacramentorum et etiam in Missa Catechumenorum?

13. Utrum ob easdem rationes lingua vulgaris permitti non debeat in omnibus partibus propriis Missae?

14. Utrum Officium Divinum simplificari non debeat, permittendo fortasse linguam vulgarem pro recitatione privata?

15. Utrum Missae exsequiales permitti non possint in horis matutinis ultimorum trium dierum Hebdomadae Sanctae?

16. Utrum, ad maiorem stabilitatem vitae, Religiosi et Religiosae sollemniter Professi dispensari debeant super caelibatu?

17. Utrum habitus Religiosarum conformare non debeant menti Summi Pontificis Pii XII expressae?

18. Utrum vocatio et momentum laici in ecclesia melius clarificari non debeant?

19. Utrum diaconi coniugati permitti et urgeri non debeant in servitio Ecclesiae?

20. Utrum Catechumenatus iterum restitui non debeat in instruendo acatholicos et neo-conversos?

21. Utrum festa de praecepto uniformia non debeant esse pro universo mundo?

22. Utrum leges abstinentiae et ieiunii fieri non debeant uniformes per totum mundum, omnibus privilegiis suppressis vel omnibus populis concessis?

23. Utrum importantia exercitiorum spiritualium pro laicis non possit urgeri?

24. Utrum natura laboris servilis clarificari non debeat et applicari activitatibus mundi hodierni?

25. Utrum urgeri non debeat theologia Matrimonii, indissolubilitatem vinculi et sanctitatem Matrimonii ulterius defendendo?

26. Utrum impedimentum Disparitatis Cultus, prout in canone 1070 *C.I.C.*, restitui non debeat sicut ante Codicem constitutum?

27. Utrum reiterari non debeat condemnatio ab Ecclesia de philosophia atheistica Communismi?

28. Utrum, explorationem spatii anticipando, possibilitas vitae intellectualis extra terram, non autem humanae, declarari non possit?

29. Utrum doctrina definiri non possit de Maria Corredemptrice?

30. Utrum doctrina definiri non possit de Maria Mediatrice Omnium Gratiarum?

31. Utrum auctoritas doctrinalis Litterarum Encyclicarum magis determinari non possit?

Interim ad osculum sacrae Purpurae humiliter me inclinans sensus obsequii et reverentiae amplissimos significo.

Addictissimus in Domino
✠ Leo Binz
Archiepiscopus Dubuquensis

30

Exc.mi P. D. THOMAE A. WELCH
Episcopi Duluthensis (Duluth)

Una cum eo responsum dedit

Exc.mus P. D. LAURENTIUS A. GLENN
Episcopi tit. Tuscamiensis, Auxiliaris Duluthensis

Duluthi, 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Eminentiae Tuae Reverendissimae transmittimus adnexam responsionem ad litteras diei 18 iunii 1959 nobis a Pontificia Commissione Antepraeparatoria Pro Concilio Oecumenico missas cum Prot. N. 1 C/59-463.

Consilio cum Episcopo Auxiliari habito, responsionem nostram humiliter Commissioni submittimus in septem capitibus circa res et argumenta quae nostro iudicio in futuro Concilio tractari poterunt.

Eminentiae Tuae Rev.mae addictissimi
✠ Thomas A. Welch
Episcopus Duluthensis

✠ Laurentius A. Glenn
Episcopus tit. Tuscamiensis
Auxiliaris Duluthensis

1. Curriculum seminariorum maiorum componere ita possit ut, tractatibus de erroribus et haeresibus antiquis compressis ac decurtatis, fusius impensiusque exponantur doctrinae positivae de animae sanctificatione per media ubera a Domino Nostro in Ecclesia uti Corpore suo Mystico deposita. Theologia ita sursum flexa his diebus possit fideles ad altiorem pietatem ducere et acatholicos ad veram fidem suavius trahere.

2. In Officio Divino a sacerdotibus saecularibus cura animarum obstrictis recitando, valde desideratur quaedam aequalitas quantitativa horarum, praesertim lectionum in Nocturnis, ut ii clerici, multis laboribus ministerii sui saepissime nunc diebus onerati, possint cum aliqua saltem certitudine praescire quam longum Officium qualibet die eos lecturos esse. In horis canonicis vigentibus inaequalitates huiusmodi crebro eminent, e. g., Lectio IV die 5 augusti in 58 verbis consistit, dum Lectio IV die 10 novembris in 234 verbis et Lectio V festi D. N. I. C. Regis in 259 verbis consistunt.

3. In promulgatione dispensationum, privilegiorum, et aliorum huiusmodi a Sancta Sede pro Ecclesia universali, desiderantur media communicationis citiora quam Acta Apostolicae Sedis et certiora quam ephemerides diurnae saeculares. Quando enim decretum post brevissimam aut nullam fere vacationem vim suam exserturum est, et tantum nuntiatione ephemeridis saecularis communicatur, aliquod dubium semper manet utrum decretum ipsum et conditiones forsitan adnexae fideliter et accurate in hac nuntiatione prodantur, quod dubium Ordinarius nullo modo mature solvere potest.

4. Ad fidelium scientiam de Verbo Dei magis locupletandam, Epistolae et Evangelia dominicarum de tempore, tam in Missis quam coram populo lingua vulgari ad legendum adhibita, possint multiplicari, seligendo e Scripturis Sacris alias partes idoneas, easque ita disponendo ut habeatur secunda, vel etiam tertia, series Epistolarum et Evangeliorum, quae per vices annuales cum vigentibus partibus ad hoc usum adhiberi possint.

5. Dum Codex Iuris Canonici plerumque de separatione tori, mensae et habitationis coniugum principia constituit, desiderantur aliqua practica auxilia ad processum pro his casibus ordinandum, ut res possit modo disposito ac facilius ad rectum iudicium deduci.

Item dum theologia moralis idonee providet principia ad quaestiones morales solvendas inter partes simul viventes at a legitimo coniugio ob aliquod indispensabile impedimentum detentos, desiderantur tamen quaedam auxiliares regulae practicae ad idoneum processum formandum ut causae huiusmodi tutius expediri possint.

6. Poenae ecclesiasticae contra crimina de quibus praesertim in canone 2319 haud idoneae videntur absterrere Catholicos, puta tepidos

et cum acatholicis amore irretitos, a praefatis criminibus, quia, datis conditionibus socialibus in patria nostra his diebus, tales excommunicati facile statum socialem coram populo sospitare possunt transeundo ad quamlibet aliam « Christianam » sectam. Aliquae poenitentiae latae sententiae statutae, citra tamen totam exclusionem a communione fidelium, possint forsitan maiori vi remediali contra crimina huiusmodi valere.

7. Impedimento disparitatis cultus inter acatholicos a Codice dempto, frequentius locum nunc habet matrimonialis causa in qua vinculum matrimonii naturalis dissolvitur a suprema potestate Summi Pontificis. Ob magnum numerum causarum ex hoc capite ad tribunalia dioecesana his diebus allatarum, eae forsitan possint celerius ad finem deduci si aliquod tribunal Pontificale auxiliare ad has causas cognoscendas in territorio huius nationis constituatur.

✠ THOMAS A. WELCH
Episcopus Duluthensis

✠ LAURENTIUS A. GLENN
Episcopus tit. Tuscamiensis
Auxiliaris Duluthensis

31

EXC.MI P. D. SYDNEI M. METZGER
Episcopi Elpasensis (El Paso)

E Civitate Elpasensi, Texas, die 20 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Et clerus et fideles gratum acceptumque habent Concilium Oecumenicum proximum quod erit maxima res Catholica huius saeculi. Pro clero et fidelibus dioecesis Elpasensis volumus iterum declarare amorem nostrum et filialem fidelitatem erga Suam Sanctitatem, Pont. Max. Ioannem XXIII.

Auditis sacerdotibus nostrae dioecesis, omnes conclamant ut in re dogmatica definiatur munus Beatae Virginis Mediatricis. De qua materia ita scripsit Pesch: « Immo est persuasio satis communis in Ecclesia nullam gratiam conferri nisi per Mariam, non quod Beata Virgo physice producat gratiam sive habitualem sive actualem, cum solus Deus sit causa physica gratiae, sed ideo, quod Beata Virgo omnem gratiam impetret, idque ex dispositione divina, cum Deus, sicut Christum omnium gratiarum fontem nobis dedit per Mariam, ita velit nullam gratiam nisi per Mariae

intercessionem ad homines pervenire. Itaque secundum hanc sententiam etiamsi quis invocat alium sanctum vel Deum ipsum, tamen gratia non conceditur nisi per Mariae intercessionem et Christi mediationem, ita ut omnes preces perveniant ad Mariam, a Maria offerantur Filio, a Filio praesententur Patri caelesti.

Sine dubio haec sententia est pia et intrinsecus probabilis, cum optime conveniat dignitati matris redemptoris et reginae angelorum et sanctorum omnium. Praeterea haec sententia magnorum doctorum auctoritate commendatur » (*Praelectiones Dogmaticae,* Tomus IV, De B. V. Maria).

Eamdem sententiam Summi Pontifices in documentis publicis suam fecerunt. Ita Leo XIII in Encyclica *Octobri mense* de Rosario, 22 sept. 1891 ait: « Filius Dei aeternus, cum ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit, quam liberrima consensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam: « Per annuntiationem exspectabatur consensus virginis loco totius humanae naturae ». Ex quo non minus vere proprieque affirmare licet, nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus, siquidem gratia et veritas per Iesum Christum facta est (*Io.,* 1, 17), nihil nobis, nisi per Mariam, Deo sic volente impertiri; ut, quo modo ad summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere, ita fere nisi per Matrem accedere nemo possit ad Christum ».

Iterum Sanctus Pius X in Encyclica *Ad diem* 2 febr. 1904 ait: « Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis " promeruit " illa, " ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret ", atque ideo universorum munerum dispensatrix, quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit ... Quoniam universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo atque a Christo ascita in humanae salutis opus, de congruo, ut aiunt, promeret nobis, quae Christus de condigno promeruit, estque princeps largiendarum gratiarum ministra ».

Sacra Congregatio de Sacramentis responsum dedit die 30 iunii 1932, de aetate requisita ad sacramentum Confirmationis recipiendum. In aliquibus regionibus Ecclesiae Latinae viget consuetudo immemorabilis administrandi sacramentum Confirmationis infantibus ante usum rationis adeptum. Defectus in eo videtur quod infantes incapaces sunt accipiendi catecheticam instructionem. Auctoritas Concilii Oecumenici superaddita decreto Sacrae Congregationis de Sacramentis adiuvaret ut talis defectus modo efficaciore eradicetur.

Procul dubio multa proponi possunt quae respiciunt disciplinam

cleri et populi Christiani et multa sunt negotia maioris momenti quae Ecclesia hodiernis temporibus obire debet. Sancta Sedes quae gaudet conspectu totius mundi melius et experto modo nos admonere et adiuvare potest. In omnibus Sanctae Sedi obedientiam et auxilium spondemus. Clerus et fideles dioecesis Elpasensis orant pro Summo Pontifice, invocantes Spiritum Sanctum ut Concilium Oecumenicum sit instrumentum Dei potentissimum quo dissidentes ad unitatem Ecclesiae reducantur.

Eminentiae Tuae add.mus
✠ SYDNEIUS M. METZGER
Episcopus Elpasensis

32

EXC.MI P. D. HENRICI I. GRIMMELSMAN
Episcopi Evansvicensis (Evansville)

1 aprilis 1960

Eminentissime,

Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico suggestiones sequentes humillime submitto.

1. Videtur maximi momenti praescribere pro nostro saltem clero et fidelibus instructionem frequentem de obligationibus in rebus socialibus, praesertim erga operarios, seniores ex populo indigentes, exules extraneos, pauperes destitutos in regionibus minus excultis et similes.

2. Periti Iuris Canonici apud nos petunt inclusionem in facultatibus episcopis ordinariis nostris datis facultatem dissolvendi matrimonium in infidelitate contractum (privilegium fidei) et si possibile in favorem fidei, si una pars tantum baptizata vel non pro certo baptizata.

3. Pro circumstantiis apud nos vigentibus multum ad salutem animarum conferret et ad disciplinam sacerdotalem et ad observationem can. 127 Iuris Canonici si Ordinarius daretur licentiam transferendi, fere ad nutum, parochum ex una in alteram paroeciam.

N. Pro N. 3 submitto: The ever changing complexities in our city parishes would seem to indicate the greater need of flexibility in re-assigning pastors. Ours is a democratic society with exaggerated ideas of personal freedom and the Catholic clergy is not immune to infection by prevailing errors. Under the present law the least efficient pastors are often the first to resist a transfer to another parish and to make use of every possible recourse to prevent it. This affects adversely the disci-

pline of the clergy and the efforts of an Ordinary to provide properly for the spiritual needs of the faithful.

Since our pastors of both large and small parishes receive the same salary they would not suffer too much in this respect if they were to be transferred.

Security of tenure leads to a spirit of independence. At times this security tends toward a diminution of priestly zeal, to a life of greater ease, to lesser willingness to obey directions. Again some pastors become less competent with age and attendant minor infirmities. They could serve better in smaller parishes that make fewer demands on them.

Younger priests of proven zeal and ability are often obliged to remain for many years in small rural parishes because too few city or larger parishes can be vacated for them.

Some pastors apply themselves but seldom to clerical study. They pay almost no attention to papal encyclicas, especially those of recent times that treat questions of the social order. In consequence such pastors can no longer be said to « sentire cum Ecclesia ». This is a particular hindrance to their effective work in parishes where problems of social justice, of racial minorities, capital and labor, refugees from foreign or Communistic countries etc. must be solved.

Due to the limited number of priests available all our priests are kept on active duty as long as possible. This means that the senior priests retain the pastorates of the larger parishes making the appointment of able, more zealous and more learned younger pastors difficult.

If pastors knew they were less secure of their tenure of office they would be more likely to try harder to give their parishioners the best of care.

Addmittedly the above is just one Ordinary's view of the prevailing situation.

Omni quo par est obsequio et reverentia, Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae add.mum

✠ Henricus I. Grimmelsman
Episcopus Evansvicensis

33

EXC.MI P. D. IACOBI L. CONNOLLY
Episcopi Riverormensis (Fall River)

August 24, 1959

Your Eminence:

Here enclosed I am privileged to send you suggestions for matters that might come before the projected Oecumenical Council. Most of these reflections, Your Eminence may note, are prompted by concern for more active lay participation in the ministry of the Church.

May I presume to express the wish that announcements affecting the discipline of Fasts and Abstinences should come sufficiently ahead of time through the offices of the Apostolic Delegate rather than have the Hierarchy dependent on the reporting of the secular press. The recent announcement of dispensation for Friday, August 14th, reached our notice only on Monday, August 10th, after many of our clergy had explained the laws affecting, and customarily governing Friday abstinence.

This comment I make in all humility, interested chiefly to avoid admiratio here on the local scene.

Some weeks past I addressed a letter to the Maestro di Camera requesting that arrangements be made, if possible, for an audience with the Holy Father late in September or early in October. My Chancellor and I expect to arrive in Rome on September 23rd, staying at the Hotel Eden. I hope we may have the pleasure of visiting you shortly after our arrival.

Believe me, with sentiments of highest esteem, and all devoted good wishes,

Sincerely yours,
✠ JACOB L. CONNOLLY
Bishop of Fall River

* * *

Eminentissime Princeps,

Desiderio Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter regnantis libenter humiliterque obtemperantes, pergratum Nobis est et honorificum ad Eminentiam Tuam transmittere animadversiones quae Nobis videntur utiles ad argumenta pro Concilio Oecumenico apparanda.

1. Propter errores saecularismi hodierni ubique terrarum grassantes et in ipsos fideles irrepentes, doctrinam catholicam de hominis natura eiusdemque ad aeternam cum Deo beatitudinem sublimi vocatione non modo negantes sed etiam irridentes, opportunum esse existimamus Sanctae Romanae Ecclesiae fidem de his omnibus a Sacra Synodo declarari.

2. Quo pestifera illa doctrina de religionum indifferentia fortius profligetur, maxime utilis evaderet declaratio a Concilio Oecumenico prolata de universali hominum in unum Christi ovile vocatione, necnon de acatholicorum omnium salute sempiterna.

3. Cum fides Ecclesiae circa Corpus Christi Mysticum fidelibus profecto clarescat in dies, placeat Sacrae Oecumenicae Synodo de laicorum actuosa cooperatione in animarum salute conquirenda edere sententiam.

4. Opportunum insuper esse ducimus cautissime perpendere utilitatem in cleri agmina inducendi non paucos e fidelibus qui idonei reperiantur, eosque promovendi ad Ordines Minores et etiam ad Sacros Ordines Subdiaconatus et Diaconatus, quo facilius sacerdotibus operam praebere possint in praedicando, baptizando, catechismo tradendo, et in bonorum Ecclesiae temporalium administratione, ita ut queant presbyteri necessitatibus fidelium spiritualibus liberius incumbere.

5. Ad devotionem fidelium erga Christi Matrem augendam eiusque operam tamquam Almam Sociam Christi in humana redemptione altius intelligendam, placet Sacro Concilio definire doctrinam quae tenet Beatam Mariam Virginem universalem esse omnium hominum Matrem atque Mediatricem omnium gratiarum et Dispensatricem.

6. Maximi esse momenti ducimus quod Concilium Oecumenicum urgeat omnes Ecclesiae missionarios pro viribus conari gentes ad quas mittantur omnimodo ad fidem allicere et attrahere. Quem ad finem attingendum perutile sane videtur ea omnia quae peculiaria sunt cultibus moribusque indigenarum et minime sanctissimis Christi doctrinis adversantur, non modo servare sed etiam sedulo amplecti et evolvere, ita ut fides quae una est salutaris numquam acatholicis appareat aliena.

7. Ad actuosiorem fidelium participationem Sacrosancto Missae Sacrificio excitandam, placeat Sacrae Synodo quaedam de utilitate linguae vernaculae saltem in Missa Catechumenorum adhibendae decernere.

Hac occasione utor ut impensos aestimationis meae sensus Tibi pandam, permanens

Eminentiae Tuae Reverendissimae
in Christo addictissimus
✠ Iacobus L. Connolly
Episcopus Riverormensis

34

Exc.mi P. D. LEONIS A. PURSLEY
Episcopi Vayne Castrensis (Fort Wayne)

Die 1 aprilis 1960

Beatissime Pater,

Infrascriptus Leo A. Pursley, D. D., Ordinarius loci Dioecesis Wayne Castrensis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter proponit dubia sequentia in Concilio Ecumenico tractanda:

1. Ut impedimentum mixtae religionis stabiliatur tamquam impedimentum dirimens matrimonii. Nam saepenumero coniux acatholicus (praesertim mulier) cautiones fraudulenter praestant ut securius medium obtinendi consensum coniugis catholici ad matrimonium contrahendum. Quot perversiones coniugum et prolum catholicorum hac ex causa eveniunt. Experientia docet quod saepe adhaerentes sectae haereticae, v. g. Lutherani, Baptisti, Methodisti, et alii cautiones implere non animis intendunt. Videtur quod in matrimonio mixtae religionis periculum perversionis maius sit quam in matrimonio disparitatis cultus.

2. Vi canonum 1505 et 1506 valde circumscripta est potestas Ordinarii loci imponendi tributum ecclesiis paroecialibus in bonum dioecesis. Ex necessitate, ut unicum medium subsidia necessaria colligendi, contraria consuetudo viget in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis et quidem saltem sine expressa reprobatione Sanctae Sedis. Melius esset tollere discordiam inter praxim et legem dando Ordinariis loci vi canonum potestatem exigendi tributa necessaria.

3. Oportet ut relationes inter Ordinarium loci et religiosos accuratius determinentur tam quoad designationem ipsorum religiosorum in servitio dioecesis quam quoad observantiam statutorum ipsius dioecesis.

4. Disciplina in tribunalibus facilius servari potest si numerus documentorum a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum requisitus (cf. *Instructio* 15 augusti 1936) imminuatur. Hic vero agitur de documentis quae ad ipsos iudices aliosque qui partem habent in tribunali collegiali pertinent. Forma procedendi in causis iudicialiter definiendis quam simplex esse debet ut celeri expeditione, salva investigationum integritate, definiri possit.

✠ Leo A. Pursley
Episcopus Wayne Castrensis

35

EXC.MI P. D. BERNARDI T. ESPELAGE

Episcopi Gallupiensis (Gallup)

Die 8 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Re maturius perpensa, pro consideratione Concilii Oecumenici tres petitiones sequentes propono.

Peto:

1. Ut impedimentum can. 1070 extendatur ad omnes valide baptizatos, sive intra sive extra Ecclesiam.
2. Ut lex abstinentiae et ieiunii Vigiliae Nativitatis Domini, iam translata ad diem vigesimam tertiam decembris, transferatur ad Sabbatum Quattuor Temporum decembris.
3. Ut preces Breviarii redigantur in favorem sacerdotum in paroeciis et missionibus laborantium.

Quod ut Deus, etc.

✠ BERNARDUS T. ESPELAGE
Episcopus Gallupiensis

36

EXC.MI P. D. VENDELINI I. NOLD

Episcopi Galvestoniensis-Houstoniensis (Galveston-Houston)

Die 18 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Cum anno praeterito acceptae fuissent Eminentiae Tuae litterae rogantes consilia et vota de rebus et argumentis quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent, discrete statim quaesivi a quibusdam prudentibus et peritis sacerdotibus si quid haberent suggerendum hac de re. Sed frustra; nullus eorum, re bene cogitata, aliquid proposuit. Nec ego aliquid inveni quod revera videretur tanto negotio dignum. Paulo ante correptus a morbo cardiaco, a quo adhuc in nosocomio recuperabam, tempus igitur statutum pro hoc faciendo sensim sivi praeterire sine responso.

Nunc autem, prae oculis habens easdem litteras denuo datas, volens

in omnibus obsecundare Summi Pontificis desideriis, mihi honori duco Em.mo Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico Praesidi omni qua par est observantia ita respondere:

Est eorum inter futuros Concilii Patres qui Theologiae magis periti sunt indicare capita doctrinae forsan definiendae. Attamen, uti mihi videtur, si finis Concilii erit, inter alia, consulere regressui dissidentium ad unitatem, tot nova huic praesto erunt obstacula quot fuerint novae dogmatum definitiones. Salva reverentia, sunt qui velint (fama est) definitionem dogmatis declarantis Beatissimam Virginem Mariam esse Mediatricem omnium gratiarum. Non est dubium quin, pro protestantibus nostratibus, haec doctrina plus secumtulerit difficultatis quam dogma, e. g. infallibilitatis Romani Pontificis.

Ad disciplinam cleri et populi quod attinet, liceat hanc fieri observationem: Tanta est diversitas adiunctorum socio-oeconomico-politicorum in quibus versantur varii populi et nationes, et tanta est dissimilitudo singulorum eorum indolis, ingenii et consuetudinum, ut in dies crescat difficultas universum orbem gubernandi ex uno eodemque centro, quantumvis praecipuo. Integra et illaesa manente in omnibus auctoritate Romani Pontificis et Curiae Romanae, nonne iuvet si in manus episcopatus localis, qui bene callere solet propriam patriam, ampliores delegentur facultates, ita ut adveniat maior « decentralizatio » auctoritatis, saltem quoad res minoris momenti, pro quibus nunc requiritur recursus ad Sanctam Sedem?

Licet multum ultimis hisce in annis feliciter iam evenerit hac de re praesertim in legibus liturgicis, bonum est, ut mihi videtur, si in iisdem et in aliis disciplinis magis adhuc detur consideratio exigentiis hodierni modi vivendi. Tot enim leges, tantaque disciplina evolvebantur ex adiunctis et consuetudinibus quae olim vigebant, sed quae iam diu desierunt esse.

Tempora mutantur, et nos cum ipsis. Nec antiquitas nec novitas multum in se valet, si salus animarum suprema lex, reiecta cum antiquariorum obstinatione tum novatorum temeritate. Ut unum efferam exemplum: olim maior pars fidelium agricolae erant; hodie autem oppidani sunt.

Notabilis pars eorum versantur in urbibus frequentioribus, ubi ex utroque sexu stipendio in officinis conducti, liberi non sunt ad assistendum diutinis sacris functionibus nec, arduos propter labores, pares sunt ad rigorosa sustentandum ieiunia. Sit igitur, propter pressuras nostrae aetatis, brevitas potiusquam prolixitas regula in sacris caeremoniis determinandis, et moderetur lex potius quam concedatur dispensatio quoad ieiunium et abstinentiam.

Cum autem quoque apostolatus hodiernus tam multiplex sit et arduus, pro clericis qui curae incumbunt animarum commutetur in alias preces onus recitandi divini officii, vel saltem notabiliter abbrevientur horae canonicae.

Hic liceat dicere mihi videri non expedire ampliorem usum linguae vernaculae in sacra liturgia vel in administratione sacramentorum.

Liceat iam habeantur Sanctae Sedis instructiones et monitiones hac de re, licet adsint Commissiones Pro Arte Sacra ad hoc cavendum, exemplaria tamen sic dictae abstractae artis pingendi vel sculpendi et architecturae contemporaneae magis in dies invadunt loca sacra, non ad devotionem semper, sed ad stuporem crebro et offensionem quidem fidelium. Adhuc desiderantur normae satis specificae ad discernendum pro usu in ecclesiis inter valida tentamina novae technicae et reprobandas aberrationes artis vitiatae.

Principia quae auctores tractantes de liceitate belli iusti invocare solebant ad solvendos casus morales vix attingunt problemata quae gignit hodiernus modus belli gerendi. Hac in re perutile erit ad tranquillandas animas si haberi possit iudicium a magisterio competenti prolatum.

Quas res, etsi negativae sint potius quam positivae, libenter propono in spiritu humilis submissionis auctoritati et iudicio Sanctae Sedis. Quas dum spero fore ut Eminentia Tua iudicet acceptas, Sacram Purpuram reverenter deosculor et libenter me profiteor

Eminentiae Tuae
Addictissimum in Domino
✠ VENDELINUS I. NOLD
Episcopus Galvestoniensis-Houstoniensis

37

EXC.MI P. D. IOANNIS L. PASCHANG
Episcopi Insulae Grandis (Grand Island)

18 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Mihi ante omnia venia demisse petenda est ob omissum responsum ad epistolam quam Eminentia Vestra die 18 iunii anni proxime elapsi ediderat. Quo rationem reddam negligentiae, mihi indulgeatur ut in memoriam revocem dioecesim Insulae Grandis exiguam esse et missionariam quae seminario maiore caret ideoque etiam professoribus

apud quos consilium capere possim circa negotia de quibus in litteris Eminentiae Vestrae.

Quo intructioni Eminentiae Vestrae nunc tandem fiat satis, audito certo numero presbyterorum meorum, liceat mihi quae sequuntur proponere a Concilio Oecumenico mox coadunando perpendenda.

I. *In re dogmatica*

Quum in aevo versemur quod Marianum vocant, Concilio in votis fortasse erit discutere num declaratio aliqua de Maria Mediatrice Omnium Gratiarum opportuna sit.

II. *In re morali*

Apud nos, in Foederatis Civitatibus, et verisimiliter etiam alibi, percrebrescens videtur cerni posse proclivitas ex parte plebis Christianae, sanctitatem diei Dominicae violandi operibus servilibus absque necessitate incumbendo. Concilio forsitan in votis contra talem rerum statum remedia idonea praescribere.

III. *In re canonica*

a) Iuxta can. 356 singulae dioeceses tam minores quam maiores synodum dioecesanam decimo saltem quoque anno celebrare tenentur. Quod sane tenuioris conditionis dioecesibus grave onus imponit. Nonne ecclesiasticae disciplinae melius caveretur si provinciales vel etiam totius nationis celebrarentur? Facile expectari potest fore ut hujusmodi synodi meliores leges condant et unitas quaedam legum oriatur. Talis si vigeret synodorum ratio, episcopus nihilo minus pergeret auctoritate potiri leges statuendi et ordinationes quae locorum peculiaribus adiunctis essent idoneae. Quaestionem movere licet num necessitas revera existat synodum decimo quoque anno celebrandi.

b) Quum hodierni sacerdotes itinera saepe instituant, votum emittitur ut facultates concedantur vi quarum sacerdos confiteri queat apud quemlibet quolibet loco sacerdotem dummodo confessarius facultatibus polleat in propria sua dioecesi vel ordine religioso.

c) Censemus bono religionis melius cavendum fore si maior procuretur unitas in constitutionibus quibus reguntur religiosae. Opinamur enim non parum efficacitatis ex parte institutorum religiosarum deperdi ob restrictiones minime necessarias quae in eorum constitutionibus reperiuntur.

d) Quod causas spectat Privilegii Paulini, Concilium forsitan in

votis habebit perpendere num Ordinariis locorum concedenda sit facultas dispensandi ab interpellationibus tum iis in causis in quibus pars infidelis actionem instituerit ad divortium civile obtinendum, vel tale iam sit nacta, tum etiam in quibus pars infidelis novas iam attentaverit nuptias.

e) Omni qua par est reverentia proponitur ut, ubi agitur de causis matrimonialibus, curet Concilium processum matrimonialem ad formam simpliciorem redigendum, in iis praesertim causis ubi invaliditas matrimonii evidens satis appareat.

f) Concilium mox celebrandum forsitan iuvabit modo speciali deliberasse de Libro quinto *C.I.C.* Numquid omnes censurae ecclesiasticae de quibus ibi fit sermo rectae disciplinae necessariae sunt? Prae mente imprimis habentur censurae latae sententiae.

IV. *In re liturgica*

a) Longe maior pars meorum presbyterorum sermonem latinum in celebratione Missae et in Sacramentis administrandis malunt servare. In dioecesi nostra, et verisimiliter etiam ubique Foederatarum Civitatum, plerique Catholici, dum Missae sacrificio intersunt, parvum missale sermone vulgari concinnatum prae manibus volvunt quo facile Missam aliasque actiones liturgicas intelligere ac quasi comitari queant.

b) Omni qua par est demissione referimus sacerdotes nostros opinari fore ut fideles partes actuosiores facilius forsitan et efficacius in Missa agant si erudiantur ipsisque animus addatur ut parvum missale inter Missae celebrationem adhibeant. In regionibus ubi fideles longe ab ecclesia habitant non ita facile docentur inter Missae celebrationem lingua ipsis extranea ad responsa danda.

c) Concilio forsitan in votis erit perpendere num concedenda sit facultas sic cineres die cinerum ante singulas Missas benedicendi ut benedictio quasi pars cuiusque Missae, illo die celebrandae, fiat.

d) Modo haud dissimili facultas concedi forsitan poterit palmas Dominica in Palmis ante singulas Missas benedicendi, processione in principalem seu paroecialem Missam dilata. In paroeciis maioribus, ubi Missae singulis horis antemeridianis incipiunt, satis temporis deest ut processio habeatur ideoque necessarium fit processionem differre in Missam serius celebrandam, quae ut plurimum non ita a populo frequentatur ut magis matutinae. Porro in regionibus missionariis, ubi sacerdotes longa ab alia paroecia in aliam itinera facienda saepe habent, ut processio instituatur defectus temporis vix patitur.

e) Ea qua par est demissione velim denuo referre plerosque e sacerdotibus nostris liturgiam Vigiliae Paschalis horis matutinis, uti prius fiebat, malle celebrare. In viculis et regionibus ruralibus vix non impossibile est curare ut plebs fidelis serotino vel nocturno tempore Vigiliae Paschali intersit.

f) Demum liceat nobis proponere mutationes in Breviario ita posse vel forsitan etiam debere fieri ut privatae recitationi aptetur. Quamvis sacerdotes nostri malunt ut sermo latinus servetur in Missae celebratione et in Sacramentis administrandis, plerisque tamen pergratum foret si licentia daretur linguam adhibendi vulgarem in Officio Divino recitando. Quum plurimi sacerdotes laboribus onerentur Concilium dignabitur forsitan opportunitatem perpendere Breviarii breviandi.

Talis sunt graviora, Eminentissime ac Reverendissime Domine, quae mihi proposita sunt Concilio Oecumenico mox coadunando subicienda.

Cuncta fausta a Deo adprecatus, omni, quo par est, obsequio permaneo Eminentiae Vestrae Reverendissimae in Domino addictissimus,

✠ IOANNES L. PASCHANG
Episcopus Insulae Grandis

38

EXC.MI P. D. ALLEN I. BABCOCK
Episcopi Grandormensis (Grand Rapids)

Die 22 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Rogationi Eminentiae Tuae (Prot. N. 1 C/59-553-bis) obtemperans, quae sequuntur propono tamquam res, quae sententia mea in futuro Concilio Oecumenico ad bonum totius Ecclesiae tractari possunt:

1. Remedia contra spiritum mundanum:

a) sermones ad populum magis doctrinales, necnon diligentius praeparati et ad capacitatem populi accuratius accommodati;

b) usus uberior mediorum modernorum « technicorum » ad opiniones et sententias verae Ecclesiae diffusius disseminandas.

2. Reaffirmatio clara et distincta principii auctoritatis.

3. Enunciatio enucleata et indubitata, datis variis et dissimilibus circumstantiis in diversis mundi partibus vigentibus, verae sententiae Ecclesiae quoad mutuas ad invicem relationes inter Ecclesiam et Civitatem Saecularem.

4. Consilium adiungendi ad cursum theologicum in nostris seminariis saltem unum annum, ut plures scientiae quae nunc hodie in sacerdote requiruntur, possint sine damno disciplinarum theologicarum commodius addisci, quales scientiae, exempli gratia, sunt psychologicae, psychiatricae, educativae, administrativae, medicinae pastoralis, et plures aliae.

Etiam consilium concedendi singulis alumnis qui curriculum in Seminario feliciter compleverint, gradum academicum saltem Baccalaureatus in S. Theologia.

5. Canon 1120, § 2, excludit a dissolutione obtinenda matrimonium inter personam baptizatam et personam non baptizatam cum dispensatione Disparitatis Cultus initum. Tamen recenter dissolutiones talium matrimonium S. Officium concessit. Quare, si haec praxis continuanda sit, consilium praestatur ut haec clausula, quae non amplius praxi conveniat, a Codice abrogetur. Tamen ante talem abrogationem satis ponderandum est, quod damnum possit fidelibus evenire, quando intelligant Ecclesiam, cum dispensationem pro disparitate cultus concedat, re vera facultatem dare ingrediendi matrimonium ab initio solubile et forsitan solvendum.

6. Considerandum est utrum conveniat ut S. Sedes Ordinariis facultatem det concedendi Privilegium Fidei, sicut et nunc Privilegium Paulinum.

7. Commodius esset sacerdotibus qui operibus « activis » ministerii funguntur, si in recitatione privata Breviarii, Divinum Officium abbreviaretur ad modum Officiorum in Octavis Paschae et Pentecostis nunc vigentium.

Etiam res agatur, utrum expediat sacerdotibus in recitatione privata concedere facultatem Divinum Officium ad libitum aut lingua Latina aut lingua vernacula recitandi.

8. Suggerimus ut tota pars S. Missae instructiva (Missa Catechumenorum) lingua vernacula recitanda sit.

9. Suggeritur ut, si Ordinarius id petat, S. Sedes uni alterove Praelato in singulis dioecesibus modo habituali facultatem concedat Sacramentum Confirmationis per totam dioecesim sollemniter conferendi.

10. Collatio inter diversas nationes habenda de exiguo numero sacerdotum dioecesanorum et de necessitate plurium sacerdotum habendorum.

Haec dum Tecum communico, impensos meae aestimationis sensus Tibi obtestor permanens

Eminentiae Tuae Rev.mae addictissimus

✠ ALLEN I. BABCOCK

Episcopus Grandormensis

39

Exc.mi P. D. GULIELMI I. CONDON

Episcopi Great-Ormensis (Great Falls)

14 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Concilium Oecumenicum annunciatum a Sanctitate Sua Papa, Ioanne XXIII, publicitatem magnam accepit in Statibus Foederatis et in Dioecesi Great-Ormensi. Catholici et acatholici sanam curiositatem ostendunt de agitaturis in Concilio Supremo, praeprimis de rebus pertinentibus ad unionem omnium christianorum intra se et cum Sede Petri. Insuper, spiritus renovationis fidei intra Ecclesiam Catholicam necnon positio Ecclesiae circa problemata totius mundi magis in dies gaudet favore eorum qui extra sunt Ecclesiam.

Nunquam hucusque in mundo moderno S. Sedes maiore aestimatione gavisa est. Plures homines minime contenti sunt ob carentiam unitatis in rebus fidei et valde aedificantur ab universali auctoritate docendi necnon ab unitate doctrinae Ecclesiae. Convocatio Concilii Oecumenici argumentum potens erit unitatis et soliditatis Ecclesiae Catholicae.

Humillime submittuntur suggestiones sequentes pro agendis in Concilio Oecumenico futuro:

1. Canones 142 et 592 prohibent sacerdotes et religiosos ullam partem in negotiatione et mercatura. Conditionibus mutantibus in Statibus Foederatis Americae, mos evasit ut nocosomia publica et sectis acatholicis addicta, necnon institutiones similes, officia parva habeant ubi minuscula pro his qui in nosocomio degunt venduntur (gift shops for visitors and patients) commoditati visitantium et infirmorum necnon caritati et religioni inserviunt ex lucro provenienti.

Sorores religiosae quae nosocomia similesque institutiones habent, in peiore conditione sunt ob praescriptiones canonum 142 et 592.

Hisce itaque suggeritur ut canones laudati (142 et 592) mutentur in hunc modum quod cum permissu Ordinarii loci sorores religiosae possent habere « officia munusculorum » (gift shops) in suis nosocomiis et aliis institutionibus caritatis.

2. Simplificatio sectionis de poenis in *C.I.C.* et clarificatio partium de quibus canonistae discordant desideranda videtur.

Sacerdotes non pauci difficultate laborant interpretatione scopus quorumdam poenarum. Multi acatholici deterrentur ab introitu Ecclesiae dum non possunt intelligere canones disciplinares et confundunt haec

cum doctrinis fidei. Alii difficultate opprimuntur dum non possunt reconciliare disciplinam poenalem Ecclesiae cum doctrinis Magistri Aeterni.

Catholici iterum, si non habent adaequatam scientiam sacram, confundunt implicationes poenarum, v. g. « excommunicationis, interdicti, censurae excommunicati vitandi », distinctionis reservatorum, etc.

3. Die 1 maii, anno 1959 in publicationibus saecularibus legimus dispensationem concessam fuisse ab obligatione abstinentiae. Nec verbum erat de fontibus officialibus circa concessionem huius privilegii.

Sacerdotes respondentes inquirentibus interpretationem differentem habebant, quidem scientes conditiones Europae quae privilegium hoc maxime iustificabant. Multi reluctantes erant ad utendum privilegio hoc ob timorem quod informatio non satis accurata esset quia publicationes saeculares non semel errant in publicandis rebus ad Ecclesiam pertinentibus.

Suggeritur ut decretum Conciliare statuat publicationem rerum similium prius per fontes Catholicas antequam publicationes saeculares in cognitionem veniant rerum similium. Anxietates et confusio hoc modo vitarentur.

4. Quaestiones frequenter proponuntur de usu linguae vernaculae in Sacrosancto Sacrificio Missae. Videtur quod clerici et laici praeferant, tempore iam honoratum, usum linguae latinae in Ecclesia Occidentali.

5. De caetero autem in recitatione Officii Divini sacerdotes multi desiderant usum linguae vernaculae. Hoc modo pro multis et forsitan pro parte maiore recitatio Officii Divini in lingua vernacula beneficia maiora spiritualia afferet.

6. Suggeritur ut loci Ordinarii facultatem accipiant vi legis generalis Ecclesiae ad sacerdotes delegandos pro erectione Viae Crucis et sine recursu ad Ordinem Fratrum Minorum.

7. In territoriis missionum cum paucis tantum catholicis, ubi impossibile est ministrum Missae habere diebus ferialibus et non de praecepto, vita spiritualis sacerdotum laborantium in territorio multum adiuvari possit si ipsis permitti possit Missam legere sine ministro, scilicet, quando physice et moraliter impossibile est ministrum habere.

Addictissimus in Christo Excellentiae Vestrae

✠ GULIELMUS I. CONDON
Episcopus Great-Ormensis

40

EXC.MI P. D. STANISLAI V. BONA

Episcopi Sinus Viridis (Green Bay)

Die 24 augusti 1959

Eminentissime,

Sequentia pro Concilio Oecumenico proponuntur:

1. Postulatur definitio ab Ecclesia doctrinae de Beata Virgine Mediatrice omnium gratiarum.

2. Multi sacerdotes quaerunt num possit breviarium in lingua vernacula recitari. Si non totum officium, forsan saltem considerationem posset dari psalmis in breviario.

3. An posset dari sacerdotibus qui matrimonia civilia inierunt aliqua spes redeundi ita ut officium suum sacerdotale exercere possent. Dantur tales sacerdotes poenitentes in monasteriis qui si non in sua dioecesi saltem in aliqua alia vel etiam in partibus dissitis laborare possent.

4. Quid de ministris non-catholicis qui bene dispositi ad conversionem et sacerdotium desiderantes tenentur obligationibus erga suas familias? Estne aliqua possibilitas ut in matrimonio manentes Ecclesiae possent aggregari et ad sacerdotium elevari?

✠ STANISLAUS V. BONA
Episcopus Sinus Viridis

41

EXC.MI P. D. GEORGII L. LEECH

Episcopi Harrisburgensis (Harrisburg)

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratissimo animo litteras veneratas Eminentiae Vestrae d. 18 iunii 1959 recepi et sententias meas Commissioni Praeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico humillime expono.

Tamquam materiam opportunam in Concilio considerandam, quaestiones sequentes, tum speculativas tum practicas, ad iudicium Sanctae Sedis cum omni reverentia propono:

Quaestiones speculativae

1. De auctoritate magisterii ordinarii S. Pontificis, et de assensu interno illi debito ex parte fidelium.
2. De constitutione et de membris Mystici Corporis Ecclesiae.
3. De necessitate Ecclesiae ad salutem.
4. De historicitate Sacrae Scripturae.
5. De relatione inter Ecclesiam et Statum civilem.
6. De possibilitate evolutionis corporis humani a creatura inferiori.
7. De Christo Rege et Maria Regina.
8. De essentia sacramenti Ordinis.

Quaestiones Practicae

1. De conditionibus requisitis ad bellum iustificandum.
2. De usu armorum nuclearium in bello.
3. De substantiali aequalitate omnium hominum, non obstante diversitate nationali vel ethnica.
4. De protectione et coadunatione fidelium contra communismum.
5. De problematibus industrialibus, praesertim de iusto salario et de operistitio.
6. De iurisdictione Episcopi in propria dioecesi, debite restringendo privilegia Religiosorum.
7. De potestate Ecclesiae solvendi matrimonium consummatum inter personam baptizatam et personam non-baptizatam.
8. De obligatione parentum prolem educandi modo Christiano.
9. De necessitate conventus internationalis, legem divinam agnoscentis, ad pacem inter gentes praeservandam.

Interea summa veneratione ac obsequio gaudeo me profiteri

humillimum ac addictissimum servum
Eminentiae Vestrae Reverendissimae

✠ GEORGIUS L. LEECH
Episcopus Harrisburgensis

42

EXC.MI P. D. HENRICI I. O'BRIEN
Archiepiscopi Hartfortiensis (Hartford)

Die 17 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris istius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico infrascripto Archiepiscopo Hartfortiensi transmissis quae sequuntur libenti animo atque omni sinceritate et libertate pro pastorali munere a Sancta Sede mihi commisso eidem Eminentiae Tuae Rev.mae ad praesens, generali quodam modo, significanda puto:

1. *De doctrina* quoad capita circa fidem quae utiliter pertractari possint in futuro Concilio Oecumenico iuxta meum humillimum iudicium esse poterunt:

1) de defensione Sacrae Scripturae ab omni interpretatione quae Protestantismum vel Indifferentismum religiosum sapit;

2) de defensione unitatis et catholicitatis Sanctae Romanae Ecclesiae contra errores schismaticos vel divisionem ecclesiarum nationalium.

2. *De disciplina cleri fovenda atque servanda*:

1) de selectione puerorum et de conditione seminariorum ad fovendas opportunas vocationes divinas, sive religiosas sive ecclesiasticas;

2) de emendatione Breviarii Romani, praeprimis de usu linguae vernaculae in recitatione privata;

3) de normis adlaborandis in persolvendis negotiis oeconomicis cleri, si et quatenus opus sit, pro ipsorum infirmitate vel senectute.

3. *De disciplina populi Christiani servanda*:

1) de reformatione iuxta novas exigentias sociales confraternitatum vel aliarum societatum ecclesiae quovis titulo nominatarum ad maiorem fovendam concordiam inter fideles et clerum contra inimicos Sanctae Ecclesiae atque perversos Christiani nominis gaudentes homines ad habendam quoad omnes et in omnibus unitatem in veritate, ut pax Christi in regno Christi vivat atque crescat;

2) de fovenda instructione religiosa praesertim catechistica puerorum atque adultorum maxime quoad omnes et singulas virtutes tum theologales tum cardinales, necnon quoad opportunam animi dispositionem in rite Sacramentis recipiendis, praeprimis in recipiendis tum matrimonii tum Sanctissimae Eucharistiae Sacramentis;

3) de usu linguae vernaculae in administratione Sacramentorum et in celebratione Missae catechumenorum;

4) de reformatione regularum congregationum religiosarum mulierum ut directioni et iurisdictioni Ordinarii loci magis obstrictae sint.

Animadversio

Valde optandum est ut notitiae dispensationum a Sancta Sede concessarum (e. g. dispensationis a lege abstinentiae pro die 14 augusti 1959 concessae) non fiant *ultimo momento per actis diurnis* sed Ordinariis tempore opportuno per medium Nuntiorum vel Delegatorum Apostolicorum mittantur. Re vera, notitiae talium concessionum in actis diurnis saepe accuratae non sunt et confusio nascitur. Ad hoc accedit etiam ut Ordinarii loci, nihil scientes officialiter de dispensationibus etc., notitias confirmare vel denegare non possunt. Qui status rerum Ecclesiae honorem minime facit.

Quae superius dicta Eminentiae Tuae atque istae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae salvo semper meliore iudicio atque maxima cum reverentia submitto.

Interim omnes obsequii sensus ostendens atque cuncta bona adprecans ex corde me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum

✠ Henricus I. O'Brien
Archiepiscopus Hartfortiensis

43

Exc.mi P. D. IOSEPHI M. GILMORE
Episcopi Helenensis (Helena)

Helenae, 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Digna quidem consideratione debita in proximo Concilio Oecumenico, rebus mature perpensis, sequentia aestimantur:

1. Expositio Theologiae Fundamentalis per summa capita:

a) de existentia Dei: cum argumentis praesertim ad mentem « scientificam » aetatis nostrae directis;

c) de Revelatione Divina;

c) de Christo Divino Redemptore;

d) de Vera Ecclesia Christi, « via salutis » pro omnibus hominibus.

2. De Vita Apostolica et Eucharistica Mystici Corporis Christi.

3. De Sacerdotio: intuitu litterarum encyclicarum et allocutionum recentiorum Pontificum Romanorum et praesentis Vicarii Christi.

4. De Magisterio Ecclesiae.

5. De relationibus inter Ecclesiam et Statum Civilem.

6. De Unitate Generis Humani.

7. De Communismo Atheistico.

8. Quaestiones practicae quae ad disciplinam pertinent:

a) de Educatione Christiana;

b) de Festo Paschatis fixo, e. g., unoquoque anno in die Dominica secunda mensis aprilis;

c) de iurisdictione Ordinarii in quantum spectat ad religiosos et religiosas, quum persaepe isti et istae sub specie « exemptionis », Ordinario inconsulto et quidem invito, peculiaria sua opera in Dioecesi promovent;

d) de Musica, de Arte Christiana, de Rebus et Legibus Liturgicis.

Ad Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico hanc Nostram Responsionem humillime submittimus, adprecantes ut in re tanti momenti praesto sit et constanter Divinum Auxilium. Illuminet sensus et corda nostra Spiritus sapientiae et intellectus et fortitudinis ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem.

Quotidie solventur preces pro Summo Pontifice Ioanni XXIII, fel. regn. ab Ordinario, clero et populo, D.O.M. exorantibus ut propositum Concilium Generale ad felicem exitum perducatur.

Omni qua par est oboedientia et reverentia,

Tuus in Christo humillimus servus
✠ IOSEPH M. GILMORE
Episcopus Helenensis

44

EXC.MI P. D. IACOBI I. SWEENEY
Episcopi Honoluluensis (Honolulu)

Die 19 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Respondens desiderio Sanctissimi Papae Nostri Ioannis XXIII Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae sequentia propono:

1. De Seminariis. Nobis videtur aliquam renovationem in semi-

nariis requiri. Educatio optima certe alumnis seminarii danda est. Nihil autem tam necessarium est sacerdotibus, Christi ministris, quam vera sanctitas. Melior est virtus et prudentia quam eruditio scientifica vel linguistica. Si obedientiam et disciplinam ab omnibus fidelibus expectare licet, sine dubio in sacerdotibus hae virtutes lucere debent.

2. De Sacramento Matrimonii: *a*) coniuges catholici et liberi matrimoniorum mixtae religionis saepe fidem amittunt. Quare melius esse videtur fere numquam dispensare ab impedimento mixtae religionis; *b*) divortium civile de die in diem crescit. Separatio ecclesiastica et civilis saepenumero a coniugibus quaeritur solummodo ad securitatem oeconomicam et commoda alia obtinenda. Quapropter nobis videtur separationem non permittendam esse, nisi propter causas graviores, et canones 1128 et 1131 reconsiderari debent.

3. De Fide. Temporibus actis doctrina Catholica efficaciter docebatur, nostris autem temporibus, pacis gratia, dogmata minus fortiter praesentantur non tantum a Christi fidelibus sed etiam ab Evangelii praedicatoribus. Ita nova mens orta est qua mutua universorum hominum necessitudo exaggeratur cum magno detrimento corporis doctrinae Christi. Error ille Novatorum vitam populi inficit, proptera nova haec haeresis ab Ecclesia conterenda est.

4. De Sacra Liturgia. Restauratio liturgiae novissimis annis facta vitam Catholicam multum adiuvat, sed in paucis rebus melior accommodatio ad conditiones particulares cuiusque regionis facienda est. Ordinarii loci de his rebus consultentur. Bonum et laudabile est laicos vitae liturgicae praesertim Missae Sacrificio participare, dummodo intelligenter fiat. Mihi videtur usum linguae vernaculae valde prodesse intelligenti et fructuosae participationi.

Adprecans benedictionem Omnipotentis Eminentiae Tuae omnibusque aliis pro bono exitu Concilii Oecumenici adlaborantibus, permaneo

addictissimus in Domino

✠ IACOBUS I. SWEENEY
Episcopus Honoluluensis

45

Exc.mi P. D. PAULI SCHULTE

Archiepiscopi Indianapolitani (Indianapolis)

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Praeses,

Litteris Eminentiae Vestrae supra numeratis, die 18 iunii 1959, editis, respondens, ego, infrascriptus Archiepiscopus Indianapolitanus, gratia et benignitate Eminentiae Vestrae nisus, vota mea et animadversiones his praesentibus Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico trado:

Difficultates et quaestiones hodiernae Ecclesiae ab iis quas Patres Concilii Vaticani solvere debuerunt multo differunt; tunc enim Ecclesiae se defendere necesse fuit, cum errores e rationalismo et liberalismo emanantes et ubique grassantes in odium erga Sponsam Christi fere omnes gentes induxisse videbantur, dum ipsa ratio religionis in dubium vocata erat et praesertim religio in revelatione fundata ludibrio erat subiecta. Hodie vero Ecclesia suam internam rationem suasque humani generis difficultatum solutiones coram omnibus populis expandere potest.

Nam horrenda duo bella plane demonstrarunt quam malus sit exitus eorum qui mores suos privatos et publicos sola ratione humana ordinare et regere conantur. Rationalismum saeculi prioris nostris diebus Existentialismus subsecutus est, qui nihil aliud est quam philosophia pessimismi in rationis abiectione fere totali fundata.

At vero nocte stellae elucescunt. Exclusis tantum iis quorum corda Communismo innodata sunt, inter homines cuiuscumque ordinis cura de religione crescere videtur. Magis in dies ii qui dignitate et auctoritate pollent in omni natione Ecclesiam tamquam ducem respiciunt. Sedes Sancti Petri numquam fortasse magis bona opinione hominum gavisa est. Nova non mediocris inter Protestantes instauratio scientiae theologicae apparet, insperatum quidem desiderium cultus formalis et seria unitatis voluntas. Nunc igitur non tam necesse est denuntiare errores quam Ecclesiae, et praesertim Sanctae Sedis, indolem proclamare tamquam fontem unitatis totius terrae communitatis quae nostris diebus actu esse coepit.

Quae cum ita sint, vanum non esse videtur ut Concilium Generale a Ioanne Papa XXIII, feliciter regnante, convocatum quae sequuntur perpendat:

1. Ecclesia proclametur tamquam ratio unica divina unitatis humani generis, cum sit Mysticum Corpus Christi et societas perfecta per quam Divinus Redemptor apud homines manet ut Sacerdos, Magister et Rex. Et ad clarificandam hanc doctrinam pulcherrimam opus est definire locum Beatae Mariae Virginis in eodem Mystico Corpore atque ad amussim explicare quaenam sint eius officia co-redemptricis et mediatricis omnium gratiarum. Quaedam enim in hac re exaggerationes rudibus et indoctis fidelibus humanam Christi naturam obscuraverunt atque apud Protestantes falsam Catholicae Fidei notionem promoverunt.

2. Ostendatur quomodo Ecclesia Novum Testamentum hominibus dedit et non sicut Protestantes erronee tenent, ex Novo Testamento Ecclesia orta est. Cum enim his diebus Protestantes inter se definitionem Ecclesiae quaerant, maxime iuvabit si iste eorum error fundamentalis nudetur.

3. Definiantur relatio et distinctio quae vigent inter Ecclesiam et Statum civilem hodiernum, atque clare explicetur ratio providentialis Ecclesiae in communitate nationum. Adest quidem seria necessitas ut bene clarificetur quaenam sit disiunctio seu separatio Ecclesiae et Status ab Illa reiecta atque ut adamussim distinguatur philosophia Revolutionis Gallicae, quae ad conatum ex parte Status Ecclesiam regere necnon ultimo ad totalitarismum vel civilem absolutismum duxit, a solutione practico-politica Revolutionis Americae quae ius interveniendi in res ecclesiasticas Statui denegat atque Ecclesiam liberavit ut tamquam societas perfecta ius suum exercere possit et sine quocumque civili obice omnes suas leges canonicas adimplere.

4. Explicetur quomodo sit Ecclesia propugnaculum iurius et libertatis hominum quatenus proclamet et doceat legem divinam in qua omnia iura et libertas fundantur. Magnopere necessaria est expositio iurium humanorum divinae revelationi et fidei Ecclesiae conformis et iuvabit si Ecclesia omnes certiores faciat Catholicos accipere posse atque revera accipere ius civile libertatis religionis certe non in indifferentismo fundatum sed in necessitate limitandae potestatis Status hodierni in rebus quae ad religionem pertinent ut actus Fidei liber maneat.

5. Indicetur quanto Ecclesia rationem humanam aestimet atque scientiae progressum foveat. Nostris quidem diebus ob progressum scientiae Biblicae multa quae inter scientiam naturalem et Sacrum Eloquium discrepare visa sunt mentes fidelium non iam conturbare debent; sed quidam auctores Catholici, qui istum progressum exegeticum non cognoscunt aut ignorant, adhuc sine ulla necessitate theorias scientificas quae non sunt Fidei discordes damnant, dum aliis inspirationis dignitatem diminuunt cum textus sacros cuicumque novae theoriae scientificae

inepte accommodent. Necessariae igitur sunt clara definitio inspirationis et normae practicae ad interpretandas Sacras Scripturas.

6. Foveatur usus sermonis latini tamquam lingua universalis Ecclesiae universalis, et urgeatur ut in seminariis edoceatur lingua Vulgatae, sanctorum Patrum Ecclesiae et scholasticorum tamquam lingua viva, a sermone tempore Renascentiae introducto distincta; et commendetur ut ista viva lingua latina in documentis Romanis, in Encyclicis, et in novis additamentis cultui liturgico adhibeatur.

7. Commendetur ut magis in Curia Romana omnes orbis terrae nationes repraesentationem habeant, et in hunc finem urgeatur ut in Urbe schola instituatur in qua sacerdotes iuvenes bene dotati cuiusvis nationis mitti queant ut in officiis curialibus et diplomaticis erudiantur.

8. Indagetur possibilitas levandi onus gravissimum Curiae Romanae impositum per institutionem sub-Curiarum in variis regionibus. Cum huiusmodi sub-Curiae ob suam proximitatem peculiares difficultates vitae religiosae et civilis in suis locis melius cognoscerent, facilius ac promptius responsa et decisiones edicere possent. Procul dubio tales sub-Curiae limitari deberent et per relationes regulariter ad Curiam Romanam missas bene regerentur. Forsan hae sub-Curiae instructiones dare possent de quaestionibus quae particularem suam regionem exagitent. Quod si factum sit, difficultates amoveri possent quae antea ortae sunt cum instructiones generales datae sunt ad avertendos abusus vel errores qui in pluribus sed non in omnibus regionibus exstiterunt, e. g., decretum de Societate Rotaria.

9. Commendetur ut instituatur Secretariatus Vaticanus de bona fama et opinione Ecclesiae in mundo promovendis, qui, si bene a peritis tum laicis tum clericis a nationibus principalibus provenientibus administretur, providebit ut notitia de Ecclesia melius per diaria publica divulgetur et ut lamentabiles errores qui olim in huiusmodi diariis de rebus ecclesiasticis irrepserunt melius averti possint.

10. Commendetur ut pedetentim saltem lingua vernacula in liturgia magis adhibeatur, ita ut fideles Sacrosancti Sacrificii Missae omnes tandem partes alta voce dictas suo sermone audiant. Quod quidem unitati Ecclesiae utile esset, cum gravem obicem unitatis ex parte Protestantium dimoveret.

11. Urgeatur redactio Indicis Librorum Prohibitorum atque ab eodem nimiae complexitates deleantur. In mixtis praesertim regionibus, Index Librorum Prohibitorum non raro falsam de Ecclesia opinionem in acatholicis genuit et conscientiis magistrorum vel doctorum necnon alumnorum Catholicorum gravamen aliquando inutile praebuit.

12. Commendetur mulieribus religiosis quae apostolatum activum

exercent ut habitum religiosum hodiernis necessitatibus accommodatum adoptent et iis praesertim quae scholis inserviunt ut horae orationis abbrevientur, maxime in recitando officio divino, ut ad animas recreandas et ad studia praeparanda sat temporis praesto sit.

13. Non paucis praetermittantur descriptio et expositio apostolatus laicorum et media indagentur quibus laici maiorem in operibus Ecclesiae partem habeant.

14. Dux fiat Concilium quod ad solutionem attinet difficultatum moralium quae hodie mentes hominum perturbant, ex quibus duae principales paradoxa sunt: periculum nimiae populationis et periculum humani generis interitus. Omnino necessaria est solutio revera Christiana difficultatis nimiae populationis ad istam oppugnandam perversam quae media contraceptiva consulit. Commendatio relocationis populorum atque bonorum et usus mediorum aptiorum ad fructus terrae ampliandos solutionem tantum partialem praebebunt, quae necessitatem actualem in nationibus iam nimis populatis non tollet. Fortasse ad bonum commune consulendum necessaria erit aliqua procreationis limitatio sui-abnegatione et mediis moraliter licitis procurata. Pari gravitate est periculum belli atomici. Omnes gentes expectabunt Concilium verum esse magistrum quod ad hanc molestissimam quaestionem aevi atomici attinet. Minori sed vera gravitate perpendat insigne Concilium alias quaestiones morales nostrae aetati peculiares, praesertim eae quae ex mirabili progressu scientiae et artis medicae ac chirurgicae proveniunt.

Spe fretus quod aliqua utilitas his meis animadversionibus inveniatur, me profiteor

addictissimum et in Christo fratrem
Eminentiae Vestrae

✠ PAULUS SCHULTE
Archiepiscopus Indianapolitanus

46

EXC.MI P. D. IOSEPHI M. MARLING

Episcopi Civitatis Ieffersoniensis (Jefferson City)

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Valde mihi perplacet tam nuntium de convocatione Concilii Oecumenici quam supplicium de submittendis propositis ibidem tractandis. Post debitas preces et maturam deliberationem sequentia mihi operae pretium esse videntur:

De Doctrina

Modo solemni definire:

a) Ecclesiam Corpus Christi mysticum esse, a Spiritu Sancto vivificatam;

b) B. V. Mariam esse omnium gratiarum Mediatricem;

c) iterare solemnem definitionem Concilii Vaticani, de infallibilitate papali, et modo speciali asseverare Summum Pontificem hoc privilegio singulari frui exercendo suo officio docente modo tam ordinario quam extraordinario;

d) declarare modo omnino claro sensum verborum « Extra Ecclesiam nulla salus ».

De Rebus generatim

Valde necessarium mihi videtur normas claras et universales stabilire ad instaurationem liturgicam intra limites debitos continendam. Animi quidem exaggerati et exagitantes populum in errorem inducunt. Multae declarationes eorum adduci possunt quibus aperte affirmatur Ecclesiam gratiarum fontem occlusum continere quia nondum concessit usum linguae patriae in S. Sacrificio. Etiam tenent modum unicum ad rem emendandam esse recursus in perpetuo ad S. Sedem. Normae *Mediator Dei* et Instructionis S. Rit. Congr. oct. 1958 non sunt observatae.

Concessiones particulares de usu linguae patriae in administratione sacramentorum aequales pro omnibus esse oportet, atque ratas et fixas manere tempore statuto. Concilium Oecumenicum multum contribuere potest ad tollendam confusionem quae nunc infestat liturgicam instaurationem.

Mihi etiam videtur omnes expectare declarationes praecisas quae elucident quaestiones graves his temporibus multum agitatas: a) de nationalismo vero et falso; b) de *razismo* vero et falso.

Eminentiae Tuae addictissimus
✠ IOSEPH M. MARLING
Episcopus Civitatis Ieffersonensis

47

EXC.MI P. D. MARTINI D. McNAMARA
Episcopi Iolietiensis (Joliet)

Die 7 aprilis 1960

Reverendissime Domine,

Primas litteras circa animadversiones quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possunt numquam vidimus nec recepimus.

Obedientes Tuis litteris diei 21 martii 1960, sequentia animadvertenda notamus:

1. Educatio cleri fieri debet iuxta methodum ac normas consonas difficultatibus ac tentationibus huius aetatis. Quod ad curriculum academicum spectat, errores moderni longius tractandi sunt quam haereses saeculi decimi sexti.

2. Leges universales Ecclesiae ita generales esse debent ut facilius applicari possint diversis in locis ab Ordinariis. Exempli gratia, vestes sacrae, habitus religiosorum, cantus sacer, ac caeremoniae iidem esse nequeunt in Scandinavia, Africa et Neo Eboraco. E contra unitas Ecclesiae potius demonstranda est perceptione intelligenti doctrinae definitae Ecclesiae ac fidelitate Vicario Christi et hierarchiae.

3. Sequentia Concilium Oecumenicum non respiciunt, sed animadversionem quamdam practicam praebent. Nuntiationes subitae per ephemerides saeculares de rebus disciplinae Christifideles afficientibus (e. g. ieiunio Eucharistico), hierarchia antea non admonita, confusionem gignunt.

Parochi centies interrogati tantummodo respondere queunt: « Nihil scimus; notitiam authenticam ab Episcopo expectamus; forsitan ephemerides saeculares errant ».

Cum obsequio maneo humillimus in Christo Domino,

✠ MARTINUS D. MCNAMARA
Episcopus Iolietiensis in Illinois

48

EXC.MI P. D. DERMOT O'FLANAGAN

Episcopi Junellensis (Juneau)

September 18, 1959

Your Eminence,

I regret deeply the delay in forwarding the enclosed « agenda » for the forthcoming Council. However, due to my absence from Juneau during Iuly and August it was not possible to send them any sooner.

Both Father Baker and I enjoyed our visit to Villa Nazareth very muchand felt very privileged to meet Your Eminence there.

We had hopedto visit Your Eminence's office bebore leaving Rome but due to some uncertainty about my audience with His Holiness we were unable to do so.

With sentiments of deep esteem and with kind personal regards, I remain.

Your Eminence's servant in Christ,

✠ DERMOT O'FLANAGAN
Bishop of Juneau

Eminentissime Princeps,

Mihi Episcopo Junellensi in Alaska, USA, consilio discreto adhibito, haec desideranda videntur:

1. Ad liturgicam reformationem absolvendam:

a) Pascha fixetur;

b) Codificentur decreta Collectaneae S. C. Rituum;

c) Officium Sanctorale limitetur adhuc, ita ut cultu universali colantur ii solum Sancti qui revera sint universales.

2. Definiatur dogma de Maria Mediatrice omnium gratiarum.

3. Clausula restrictiva potestatis Ordinariae: « ... non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere » (*C.I.C.*, can 806 § 2) abrogetur.

4. Processus « coram unico iudice », notus Codici Orientali (cann. 453-467), in Codice latino quoque recipiatur.

Tuam deosculor S. Purpuram,

addictissimus in Domino

✠ DERMOT O'FLANAGAN
Episcopus Junellensis

49

Exc.mi P. D. IOANNIS P. CODY

Episcopi Kansanopolitani-S. Iosephi (Kansas City-St. Ioseph)

Die 28 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris Tuis, die 18 iunii 1959, Prot. n. 1 C/59-665 missis quas cum grato animo die 13 mensis iulii anni currentis accepi, pergratum est mihi significare cum sinceritate necnon submisso animo iuxta vota augusti Summi Pontificis, precibus supplicibus D. O. M. effusis, omnia quae sequuntur. Omnibus de quibus in supracitatis litteris bene perpensis respondere velim.

I. *Quoad Doctrinae capita*

Necesse est:

a) ut fides traditionalis Catholica quam maxime tueatur in unanimi interpretatione Sacrae Scripturae et veritatis catholicae. Apud quosdam auctores modernos sensus traditionalis S. S. aliquando uti « fabula » reputatur; cum nimia facilitate interpretantur et explicantur quasi *scientifico modo* quaedam pericopae S. S.;

b) ut insistant in omnimodam refutationem idearum philosophicarum circa sic dictum *existentialismum* vigentem quo qui usi sunt extra et contra sensum genuinum catholicum in varios errores practicos delapsi sunt;

c) ut reaffirmetur doctrina catholica in tuenda indissolubilitate matrimonii Christiani et in fovenda disciplina omnium sacramentorum atque rituum liturgicorum iuxta praxim et traditionem Ecclesiae. (Cf. infra circa quasdam quaestiones de re liturgica et canonica quoad sacramenta);

d) ut defendatur doctrina catholica contra errores Communismi atheistici ne iste lupus rapax inter fideles magis magisque serpat. In quibusdam locis asseclae huius doctrinae nefariae, contra auctoritatem Ecclesiae, hierarchiae aut luctas inter fideles et parochos aut inter fideles et episcopos suscitando, unionem christifidelium cum Sede S. Petri abrumpere tentant. Quaestio de sic dicto « racialismo » saepe saepius ab istis Communismo addictis agitatur ita ut populus in errorem putandi Ecclesiam contrariam esse aequalitati hominum ducatur;

e) ut unitas Ecclesiae praesertim cum Augusto Summo Pontifice

et cum episcopis melius tueatur, mihi videtur ut doctrina *Corporis Mystici Christi* praesertim quoad relationes christifidelium cum paroecia, paroeciae cum dioecesi et Episcopo necnon dioeceseos cum Sancta Sede expressis verbis amplificetur.

II. *Quoad disciplinam cleri*

Cum Summus Pontifex reformationem *C.I.C.* in votis habeat quo tempore certissime plurimae quaestiones canonicae tractabuntur, haec quae sequuntur potius ad quasdam normas generales limitantur; necesse est:

a) ut inter pastores et clericos concordia vigeat sancte servata tamen hierarchia inter superiores et inferiores;

b) ut normae tradantur ad fovendam mutuam relationem inter parochos et sacerdotes et inter ipsos sacerdotes eorundem iura tuendo et eorundem officia rite exigendo. Ad promovendam vitam religiosam cleri regularis quae operam in dioecesibus atque paroeciis praestatur, salvis iuribus religiosis in *C.I.C.* concessis, peropportunum erit examinare quaedam privilegia religiosorum praesertim quod attinet ad curam paroecialem necnon ad relationes inter ipsos et Ordinarium loci. Quaestionem de stipe quaerenda necnon de colligendis stipendiis Missarum per sic dictas « litteras circulares » atque usu periodicarum ad trutinam examinare mihi videtur opportunum.

III. *Quoad disciplinam populi christiani*

Ob diversitatem traditionum, morum atque linguarum huiusmodi quaestio satis complexa erit sed quaedam suggerenda sunt; necesse est:

a) imprimis fovere instituta religiosa sive pro pueris sive pro adultis educandis necnon Christifideles enixe hortari ut magis magisque ac animo alacri sacramenta Poenitentiae atque SS.mae Eucharistiae frequenter recipiant. Uti supra sub I, c) dictum erat, in mentem christifidelium saepius revocari debet doctrina catholica de rite ineundo matrimonio simulque de mutuis officiis coniugalibus rite obeundis. Ob penuriam vocationum in fere omnibus nationibus videtur peropportunum ut populus catholicus opportunis mediis atque instructionibus de eorum obligatione fovendi vocationes inter ipsos filios filiasque tum ad sacerdotium tum ad statum religiosum bene instruatur;

b) normas practicas tradere ut populus Christianus in iuribus vitae socialis et dignitatis humanae obtinendis melius adiuvetur. Opera ca-

ritatis pro sociali redemptione pauperum et praesertim pro senibus curandis in dominibus ad hoc institutis maxime promoveri debent;

c) quia laici magis magisque partem activam in propagando evangelio D. N. I. C. habere volunt, necesse est clarius definire eorum iura, eorum subiectionem auctoritati ecclesiasticae ita ut maxima concordia inter ipsos et hierarchiam atque parochos semper vigeat. Forsan, salvo meliori iudicio, tempus est opportunum pro condendo novo Officio in quodam dicasterio Congr. Romanae pro directione istius apostolatus laicorum; quia plurimae erunt differentiae inter laicos eorumque activitatem in singulis nationibus Consilium pro huiusmodi directione ex peritis sacerdotibus et laicis omnium nationum Romae constituendum est;

d) quia res matrimonialis fere ubique terrarum animis Ordinariorum et parochorum plures difficultates creat, huiusmodi quaestio praesertim quoad impedimenta matrimonialia inter catholicos et haereticos et infideles studio speciali peritorum in re matrimoniali et canonica funditus subici debet. Salvo iure canonico circa elementa essentialia « processus canonici », forsan possibile erit huiusmodi processum alinquantisper abbreviare ita ut, habitis necessariis probationibus, auditisque coniugibus ac testibus, Ordinarius, cum nullitas matrimonii satis clare pateat, sententiam ferre possit quin sit semper necessaria appellatio ad tribunal secundae instantiae. Generatim tribunalia ecclesiastica hodierno tempore, insistente S. Congregatione de Sacr. iuxta Inst. ab eadem publicatam, die 15 mensis augusti 1936, normas canonicas melius observant atque plurimi habentur sacerdotes qui gradus academicos atque experientiam practicam in adiudicandis causis matrimonialibus habent; quapropter pericula erroris in abiudicandis causis huiusmodi minima timenda sunt. Ob dilatas sententias in multis causis quae annos praeparationis requirunt non parvus numerus christifidelium necnon conversorum ad fidem periit;

e) ob privilegia extraordinaria a S. P. Pio XII populo catholico concessa praesertim quoad ieiunium eucharisticum, Christifideles participationem magis activam in adsistendis Missis in dies habituros esse sperandum est, etsi isti responsiones in lingua latina generatim facere possint, videtur opportunum ut quaedam partes Missae (extra Canonem), v. g. epistola, evangelium (semper ex textu approbato a Sancta Sede), in lingua vernacula recitari possint. In aliis Sacramentis, Baptismi, Matrimonii, Extremae Unctionis, Confirmationis, recipiendis, plebs multum fructum haurire potest si ipsa verba (excepta forma sacramenti) in lingua vernacula prolata intelligant; hoc valet in primis pro conversis ad fidem;

f) ad promovendam unitatem vel saltem comprehensionem meliorem cum acatholicis opportunum videtur constituere sub ductu S. Cong. S. Officii et Hierarchiae singularum nationum Consilium quoddam peritorum cuius munus erit normas proponere pro commercio cum acatholicis in ista natione. Saepe accidit ut normae universales non semper vel non in eodem modo ab omnibus episcopis applicentur; quaedam normae universales, ob difficultatem particularem in quadam natione, promulgatae, non semper bene intelliguntur et acatholicis ansam praebent suscitandi acrimoniam contra Ecclesiam eiusque hierarchiam: v. g. decretum circa adscriptionem membrorum catholicorum sic dictis *Rotary Clubs*.

In conclusione dicendum est quod, data celeritate cum qua notitiae a Civitate Vaticana necnon a variis dicasteriis facile ubique terrarum divulgantur, videtur opportunum instituere quoddam officium (Ufficio Stampa) cuius munus erit huiusmodi notitias cum aliqua auctoritate publici iuris facere. Consideratis expensis talis officii forsan utile erit notitias publicas per varia media telegrafica (servizi giornalistici) communicare sed semper sub quadam directione cumque auctoritate officiali huiusmodi officii ita ut Episcopi vel fideles, habita quadam notitia mediante officio (Ufficio Stampa del Vaticano) ad hoc instituto, scire possint talem notitiam veram esse atque fidem meruere.

Quae omnia dum Tecum communico et significo, omnia bona ac fausta a Domino Tibi adprecans et in osculo Sacrae Purpurae ex corde me profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae,

devotissimum in Christo
✠ IOANNES P. CODY
Episcopus Kansanopolitanus-S.ti Iosephi

50

EXC.MI P. D. EDUARDI I. HUNKELER
Archiepiscopi Kansanopolitani in Kansas (Kansas City in Kansas)

Die 23 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Responsiones hae ad gratam communicationem 18 iunii quaerentem animadversiones, consilia, vota circa res et argumenta, quae in Concilio tractari poterunt, humiliter et libenter dantur.

Quia consilio cuiusdam sacerdotis sapientis uti desideravi non citius transmittere potui hanc epistulam quia nuper a peregrinatione revenit.

Instructio Cleri: Sacerdos dioecesanus, post susceptum ordinem sacrum Presbyteratus strenue occupatus sub parocho per duos vel tres annos in cura animarum vel in docendo in scholis sub praeside, obligetur ad suscipiendam vitam spiritualem et studiosam per sex menses in institutione apta, simili seminario, a mundo et mundanis et ab ordinario labore sacerdotum dioecesanorum segregatus. Refero propter aliquam similitudinem normam Societatis Iesu de eorum « tertio anno ».

Sacerdos dioecesanus « in mundo sed non de mundo » post ordinationem eget contactu cum populo fideli in mundo ad incrementum experientiae et ad formandam vitam suam in mundo sine auxilio vitae communis ut in Religiosis. Sed est immaturus, non adaptatus post seclusam vitam seminarii, et expositus periculis.

Bonum esset ei *post* contactum realem sufficientem cum mundo, non solum ante, iterum augere et firmare spiritualem vitam et scientiam probatam. In tempore nostro, quando fere omnes professiones longius et longius edocentur, non autem in scholis seclusis, sacerdotes iuniores saepe immaturiores videntur adire munera sua sacra. Exercitia spiritualia consuetudinalia sunt valde bona, sed melior esset amotio a cotidianis officiis curae animarum per tempus ut indicavi.

Clarificatio operum, quae diebus dominicis et festis prohibentur, esset maxime utilis. Consuetudo mala mercaturae non necessariae crescit etiam inter fideles cum consequente necessitate laboris multorum, ne munere fructuoso priventur.

Et e contra quaedam opera servilia pro seipsis, non pro meritis (wages), fideles ut relaxationes existimare velint, nisi scandalum esset aliis.

Diebus festis prohibitio operum in nostris regionibus, exceptis diebus Nativitatis Domini et Circumcisionis Domini, ipso usu est fere impossibilis et videtur iniqua paucis e. g. agricolis, qui ei obedire possunt. Obligatio Missae — et nunc cum Missa vespertina — est fructuosa et sufficeret in hodierno modo vivendi pro diebus festis, non dominicis, in multis regionibus.

Praeceptum maximi momenti tertium decalogi debet cum vi et auctoritate urgeri. Mercatura et labor pro meritis in diebus dominicis est malum ingravescens.

Non decet mihi nova proponere. In mente habens finem Concilii inter alia esse unitatem cum Ecclesia eorum promovendi, qui separati ab Ecclesia una et vera Christi nihilominus Christum agnoscunt:

1. Animadverto difficultatem sed ubertatem fructuum clarae et

facile intelligibilis instructionis de veritate: « extra ecclesiam nulla salus ».

2. Humiliter mentionem facio amplioris instructionis et exhortationis de accessu plano et facili ad Christum in Sua SS. Praesentia in tabernaculo. Cum magno fructu promoverentur visitationes cum adoratione et colloquio cum Christo in tabernaculo in privatis etiam devotionibus in anxietate dierum.

Haec promotio et instructio esset tamquam continuatio crescentis cultus divini Christi Redemptoris — sicuti vidimus in frequentia et cotidiana receptione Sacrae Communionis et in maiori et activa participatione populi in Sacrificio Missae in nostro saeculo. Argumentum promittens fructum similem est augmentum vere magnum devotionis populi erga Beatissimam Virginem Mariam per promulgationem Anni Mariani et per contiones universales de recitatione rosarii.

Dissidentes non amplius habent difficultatem stultam in veneratione B. V. Mariae, Matris Dei, quando non solum agnoscunt sed etiam diligunt Christum et ad Eum frequenter in precibus adeunt, ut testificantur neo-conversi.

Verbum « Co-redemptrix » non feliciter exprimit rudis fidelibus nec haereticis officium gloriosum Beatae Virginis Mariae in opere redemptionis et in opere deprecationis et distributionis omnium gratiarum. Christus Redemptor, Deus et homo scilicet una persona — B. V. Maria « Co-redemptrix » ex electione et voluntate Dei et consensu Mariae felici — a multis non facile distingueretur in essentia.

Eminentiae Vestrae add.mus
✠ EDUARDUS I. HUNKELER
Archiepiscopus Kansanopolitanus in Kansas

51

EXC.MI P. D. IOANNIS P. TREACY
Episcopi Crossensis (La Crosse)

Crossae, die 13 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Placeat Eminentiae Vestrae accipere considerationes, consilia et vota nostra quae humiliter ad tractandum in futuro Concilio Oecumenico vobis proponimus.

A vobis peto ut mihi hoc ignoscatis quod tam longum tempus a receptione epistolae vestrae lapsum sit.

Summo quo par est obsequio et devotione permaneo,

Eminentiae Vestrae
observantissimus in Domino servus
✠ IOANNES P. TREACY
Episcopus Crossensis

1. Explicatio et clarificatio « Ordinarii Magisterii » Ecclesiae. Augmentum doctrinae in quantum res sequentes ab Ordinario Magisterio explicabuntur:

a) studia recentiora in Scripturis Sacris;

b) doctrina de Christi Corpore Mystico;

c) pietas fundata in orationibus et actionibus liturgicis;

d) principia Scripturistico-liturgica pro catechizandis;

e) orientatio pastoralis ut indicata est in recentibus documentis Scripturistico-liturgicis;

f) consideratio relationis inter Ecclesiam et Statum in quantum haec relatio in diversis nationibus complicata est.

2. Revisio Indicis librorum prohibitorum. Reeditio principiorum iuxta quae classificatio librorum facta est.

3. Propositiones sequentes quoad S. Missam propositae sint:

a) principia instaurata in Ordine Hebdomadae Sacrae extensa ad totum annum;

b) usus linguae vernaculae in omnibus illis partibus quae ad intelligentiam fidelium maxime pertinent;

c) frequentior usus partis Temporalis in Calendario Ecclesiae;

d) aptior selectio textuum ex Scripturis Sacris ita ut cum significatione festorum temporalium magis coniungantur;

e) omissio a celebrante eorum omnium quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii in Missa sollemni cantent vel legunt;

f) activa participatio accuratius designata pro fidelibus in actionibus liturgicis;

g) aliae considerationes quae ad pastorales functiones sacerdotum pertinent;

h) omissio additionum in Missa quae nunc significationem non habent;

i) receptio S. Eucharistiae tempore a Sacrificio Missae separato et tempore cum aliis functionibus connexo (Talis receptio Eucharistiae disciplinae antiquae Ecclesiae conformari non videtur. Namque Ecclesia semper receptionem S. Eucharistiae intra liturgicam actionem Missae hortata est. Ita receptio Communionis extra Missam facta forte distrahit Sacramentum Eucharistiae a Sacrifiico Missae ita ut devotio ad Missam apud fideles fortasse diminuatur).

6. Propositiones sequentes quoad Breviarium propositae sint:

a) formatio specialis pro sacerdotibus saecularibus;

b) frequentior usus partis temporalis in Calendario Ecclesiae;

c) contractio officii quotidiani iuxta conditiones contemporaneas;

d) re-editio selectionum ex Sacra Scriptura et Patribus Ecclesiasticis ita ut locum maioris momenti in officio habeant.

5. Expositio et explicatio principiorum quae artem sacram, litteras, architecturam et musicam regant.

7. Propositiones pertinentes ad Codicem Iuris Canonici:

a) alienatio dominationis: ita ut episcopi vel saltem archiepiscopi maiorem potestatem in dioecesibus suffraganeis regendis habeant;

b) mutatio legislationis de re pecuniaria, praecipue in locis ubi fideles ex libertate sua pecunias pro extensione et gubernatione Ecclesiae conferunt. Videtur quod conditioni talibus locis non sit eadem ut in illis ubi ex donationibus et legatis Ecclesia sustentata est;

c) Definitio validitatis in actionibus a Vicario generali factis sine mandato speciali quando lex tale mandatum postulat.

d) Extensio auctoritatis in causis matrimonialibus ad dioecesim in qua *actor* domicilium habet;

e) Simplificatio legis penalis, specialiter in quantum ad multiplicationem poenarum in certis casibus pertinet, e. g. haereticus infamia legis simul ac excommunicatione punitus.

✠ IOANNES P. TREACY
Episcopus Crossensis

52

Exc.mi P. D. MAURITII SCHEXNAYDER
Episcopi Lafayettensis (Lafayette)

Die 29 mensis augusti 1959

Eminentissime Domine,

Visis Litteris Eminentiae Vestrae, die 18 iunii huius anni datis, pergratum est mihi, infrascripto Episcopo Lafayettensi, cum omni humilitate, communicare Pontificiae Commissioni pro Concilio Oecumenico, opiniones seu sententias sequentes quae in futuro Concilio, tractari rogo et desidero.

I. *De Scriptura Sacra*

Magni momenti videtur ut, variis opinionibus modernis perpensis, natura « Inspirationis » Sanctarum Scripturarum definiatur vel clarificetur.

Aequalis momenti est quaestio de natura et significatione capitis 1-3 Libri Genesis.

II. *De re liturgica*

Revisio libri « Pontificale » uti vocatur. Quaedam caerimoniae nimis longae videntur, praesertim de consecratione Ecclesiarum et Altarium. Aliquas simplificationes in Solemniis Missarum, praesertim ubi quaestio est de duplicationibus existentibus, omni cum sinceritate suggero.

In sacris Horis privatim recitandis, sermonem nativum peto. Porro in Sacramentis administrandis et in benedictione sollemni nuptiarum, sermonem nativum, pro quacumque regione, peto.

III. *De Iure Canonico*

Disceptatio et clarificatio de operibus servilibus prohibitis diebus de praecepto et Dominicis. An quaenam consuetudines modernae tolerari possint?

Idem de lege abstinentiae et ieiunii, praesertim utrum, diebus ieiunii refectio matutina permutari possit cum prandio vel refectione serotina.

Permutare, pro bono communi, impedimentum aetatis ad matrimonium contrahendum, ita ut lex canonica sit: can. 1067 « Vir ante decimum octavum aetatis annum completum, mulier ante decimum

sextum item completum, matrimonium validum inire non possunt ». Hac lege remedium salutare videtur afferre separationibus et divortiis quae frequenter originem habent in aetate nimis immatura contrahentium.

Mutare can. 806, § 2, uti sequitur: « non est autem in eius potestate plures quam *tres* Missas eidem Sacerdoti permittere ».

Concedere Episcopis residentialibus facultatem « Viam Crucis » erigendi cum omnibus indulgentiis cumque potestate delegandi.

Permutare can. 349 § 2, n. 2, ut sequitur: « Concedendi indulgentias 7 annorum et 7 quar. ».

Permittere Episcopis Residentialibus alienationem ad normam can. 1532 usque ad summam $ 50.000.00 cum consensu Consultorum, et summam $ 25,000.00 pro suo arbitrio et conscientia.

Permittere Episcopis Residentialibus, pro bono animarum, facultatem concedendi indulgentias et benedictiones usque nunc Ordinibus Religiosis reservatas.

Ut ad normas can. 621-624 et 1503, licentia Ordinarii requiratur pro sollicitatione etiam per modum litterarum (vel uti vulgo dicunt « by mail »); idemque pro venditione a religiosis et clericis rerum religiosarum (religious articles). Haec ad scandalum praecavendum inter fideles. Hae regulae cum poenis roborentur.

De Libro quarto Codicis: De Processibus:

Acatholici habeant personam standi in iudicio tamquam actores, si quaestio est directe vel indirecte de bono partis catholicae.

Mutare can. 1990 ita ut legatur: « Cum ex certo et authentico documento etc. ... constiterit de existentia impedimenti *defectus aetatis,* disparitatis cultus, ordinis etc » usque ad finem.

Concedere Ordinariis facultatem solvendi casus « In Favorem Fidei », uti dicunt cum constiterit omnia a Sancta Sede requisita esse impleta.

Completa rei veritate, normae processuales simplificandae sunt, et taxae pro et casibus et causis imminuendae.

IV. *De Magisterio Ecclesiae*

Interdicere religiosis laicis, ne contra can. 1342 agant in concionibus, missionibus sacris etc. peragendis, etiam in quantum ad socios religionis propriae pertineat, nisi tantum de constitutionibus propriis et eorumque interpretatione, agatur.

Consuetudines contra legem Religiosis datas, tollere vel multum temperare.

Certiores facere Ordinarios locorum de dispensationibus vel legibus etc. a Sancta Sede latis, antequam haec palam et coram omnibus promulgentur.

Haec omnia, Eminentissime Domine, pro bono Ecclesiae, consultis viris ecclesiasticis peritis et prudentibus, Nomine Divino invocato, cum humilitate et sinceritate, Concilio Oecumenico, propono.

Omnia fausta Eminentiae Vestrae a Deo adprecor.

✠ MAURITIUS SCHEXNAYDER
Episcopus Lafayettensis

53

EXC.MI P. D. IOANNIS I. CARBERRY
Episcopi Lafayettensis in Indiana (Lafayette in Indiana)

Die 12 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

De Concilio Oecumenico, quod in proximo futuro convocabitur, sequentia ad iudicium tuum reverenter proponam:

1) deliberationem definitionemque de Beata Matre Nostra, Mediatrice Omnium Gratiarum;

2) iudicium de gravi conditione morali in qua mundus se hodie invenit. Non iam Ecclesia haeresibus de rebus dogmaticis eodem modo sicut temporibus praeteritis perturbatur. Nunc videtur deminutio universa moralitatis adesse. Haec manifesta est in defectione sensus peccati; idem, in libidine semper increbrescente patet; atque, impetibus repetitis in sanctitatem connubii. Liceat mihi petere ut Concilium decretum circa malum limitationis illegitimae prolis edicat. Novis ac recentibus annis, non-Catholicae sectae, exempli gratia, Anglicani, hoc malum publice probaverunt;

3) iudicium de decreto Concilii de aequalitate omnium in conspectu Dei et de dignitate hominis ut personae.

Sensibus admirationis profundae ac affirmatione precum mearum pro benedictione Dei super opus Concilii, ego, Sacram Purpuram humiliter osculans permaneo

Servus fidelis tuus in Christo
✠ IOANNES I. CARBERRY
Episcopus Lafayettensis in Indiana

54

Exc.mi P. D. IOSEPHI H. ALBERS
Episcopi Lansingensis (Lansing)

Die 20 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Gratissimum mihi fuit accepisse litteras Eminentiae Vestrae Prot. N. 1 C/59-721, in nomine Suae Sanctitatis transmissas. Suggestiones a me petitas hisce facio litteris, quas benigne considerare digneris. Suggerere velim, si licet:

1. Ut Ordinariis loci concedatur facultas ut licentiam dare possint sacerdotibus suae iurisdictionis tam saecularibus quam religiosis tres Missas celebrandi diebus Dominicis et Festis de Praecepto. Huius ratio petitionis est urgens necessitas ministrandi ad perscrebrescentem numerum fidelium in his regionibus.

2. Ut singulis sacerdotibus concedatur facultas Confirmationem administrandi in periculo mortis.

3. Ut instauretur praxis ante Codicem iamdiu sancita vi cuius Ordinarii Loci potuerunt declarare nulla ob disparitatis cultum matrimonia inter partem acatholicam baptizatam et partem acatholicam non baptizatam, servatis quae de probationibus servandis.

4. Ut praxis dissolvendi matrimonia inter catholicos et acatholicos coram Ecclesia contracta ob disparitatis cultum, quamvis dispensatio a cultus disparitate iam obtenta fuerit, retrahatur, ad maxima evitanda scandala tum ex parte acatholicorum tum ex parte fidelium.

5. Ut mutentur praescripta can. 1042, § 2, ita ut impedimenta minora praetermittantur, excepto crimine adulterii cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum.

6. Ut in processibus formalibus primae instantiae quaedam omittere liceat, scilicet nonnullas praescriptiones de citatione, de auditione, de testibus, etc., ita ut Iudicis solius vel Ponentis sit causas cognoscere, citare partes, testes audire, etc., et his factis, audito defensore vinculi necnon auditore, causam tradere collegio trium iudicum ex ipsa Dioecesi ut eam definiant. Hoc facto, res de more ad Tribunal II instantiae iudicanda transmittatur.

7. Ut Legio Mariae ad statum Confraternitatis erigatur, eo quod medium omnium efficacissimum videtur neglegentiores et lapsos ad praxim Fidei reducendi.

8. Ut facultates Ordinariorum Loci ita amplificentur ut sequentes facultates dare queant: celebrandi Missam super mare; sedendi dum Missam celebrent sacerdotes qui ob infirmitatem stare non possunt; utendi privilegiis sacerdotibus caecutientibus concessis; substituendi Rosarium B. M. V. pro canonicis horis recitandis, ubi casus fert; concedendi privilegium oratorii privati his infirmis sacerdotibus qui e domo exire non possunt, non autem personis vel familiis privatis.

9. Ut Ordinario Loci liceat alienare res ecclesiasticas, pretiosissimis solis exceptis, consultis consultoribus dioecesanis.

10. Ut Breviarium Romanum ita reformetur ut plures quam tres psalmi in Mututinis numquam recitentur.

Omnia fausta Eminentiae Vestrae adprecor.

Addictissimus

✠ IOSEPHUS H. ALBERS
Episcopus Lansingensis

55

EXC.MI P. D. IACOBI V. CASEY
Episcopi Lincolnensis (Lincoln)

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Magna cum humilitate perplacet mihi responsum facere litteris Eminentiae Vestrae, die 18 iunii 1959 scriptis, in quibus communicatur quod Augustus Pontifex Ioannes XXIII fel. regn., desiderat opiniones seu sententias Episcoporum qui in Concilio Oecumenico ex iure vocantur.

Opiniones consiliaque annexa respiciunt problema quae praecipui momenti videntur apud nos hac in societate pluralistica. Notandum est tamen quod clerus populusque Christianus huius iurisdictionis semper volunt fidem Catholicam bene vivere. Desiderant scientiam et nitorem fidei et grato animo recipiunt doctrinam Ecclesiae in omnibus rebus quae attingunt opera Corporis Mystici Christi.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Vestram Reverendissimam prosequor meque profiteor

addictissimum

✠ IACOBUS V. CASEY
Episcopus Lincolnensis

I. *Doctrina*

1. Infeliciter magna pars acatholicorum in hac societate pluralistica tantum negativam Ecclesiae picturam habet. Populus enim protestanticus falso videt Ecclesiam Catholicam tamquam institutionem monolithicam quae humanam libertatem coercere studet. Videtur quod opus est praebere vias ac modos idoneos docendi acatholicis totam ac pulchram imaginem Matris Ecclesiae cum minore vi de rebus negativis et restrictivis in quantum possibile est iuxta depositum fidei Ecclesiae concreditum a Domino.

2. Catholici et acatholici frequenter quaerunt de doctrina Ecclesiae agens de statu acatholicorum in Corpore Mystico. Clarificatio de hac re, etiam erga animas defunctorum, esset bene accepta.

3. Esset utile emendare *Indicem* librorum prohibitorum. Praxis et lex Ecclesiae in hac re difficiliter observare est, praesertim in rebus academicis.

4. Condemnatio a Concilio Oecumenico definitiva Communismi in suis radicibus valde opportuna esse videtur.

II. *Disciplina*

1. Praxis Ecclesiae in casibus Privilegii Fidei et Privilegii Paulini magna cum difficultate a fidelibus comprehenditur. Disciplina clarior in hac re monstret magnam aestimationem Ecclesiae pro statu matrimonii.

2. Si expedit, videtur valde utile pro bono animarum si Ordinarius agere potuisset uti delegatus Sedis Sanctae etiam in casibus *Privilegii Fidei.*

3. Statistice probatur quod matrimonia mixta sunt causae seu occasiones apud nos magni defectus a fide. Non solum ii qui talem matrimonium ineunt ab Ecclesia deficiunt, sed proles frequentissime Catholice nec baptizantur nec educantur. Sub hoc aspectu, videtur quod disciplina de hac re diligenter investigari debeat.

4. Lex poenalis, uti in libro quinto Codicis Iuris Canonici datur, redacta debet esse in forma valde breviore et simpliciore.

5. Clarificatio de proprio fine ac proposito apostolatus laicorum opportuna esset. Nuper apostolatus laicorum crescit et spem bene fundatam magni boni dat. Ne male vel imprudenter crescat, magna requiritur diligentia Ordinariorum et superiorum. Declaratio mentis Ecclesiae in hac re esset utilis.

III. *Liturgia*

1. Revisio Breviarii Romani a nostro clero grato animo accepta esset.

2. Proponitur quod lingua nativa in partem Catechumenorum Sacrae Missae caute permittatur ad experimentum. Fideles prompte respondebant Instructioni: *De Musica Sacra et Sacra Liturgia,* a Sacra Congregatione Rituum die 3 septembris 1958 editae, quae desiderium fidelium clare indicare videtur plus active participandi in Liturgia Sacra. Videtur quod lingua nativa adhiberi possit in parte doctrinali S. Missae sine ulla diminutione dignitatis.

✠ IACOBUS V. CASEY
Episcopus Lincolnensis

56

EXC.MI P. D. ALBERTI L. FLETCHER
Episcopi Petriculani (Little Rock)

Petriculae, die 29 septembris 1959

Eminentia Vestra Reverendissima,

Consultis aliquibus sacerdotibus peritis et prudentibus, sequentia suggerimus quae, ut nobis videtur, utiliter in Concilio tractari poterunt:

I. *In re dogmatica et morali*:

1. De Beata Maria corredemptrice.
2. De Beata Maria mediatrice universali gratiae.
3. De Ecclesia, corpore Christi mystico.
4. De laicorum participatione in sacerdotali potestate.
5. De communismo atheistico.
6. De erroribus existentialismi.
7. De relativismo dogmatico.
8. De unitate generis humani (contra polygenismum).

II. *In re canonica*:

1. Postulatur ut fiat, peracto Concilio, redactio Codicis cum iis additionibus et mutationibus quae praesertim rerum statui accommodatiores videbuntur.

2. De maritorum ordinatione ad diaconatum in ritu Latino.

3. De habitu clericali et religioso.
4. De reformatione Indicis librorum prohibitorum.
5. De extensione matrimonii impedimentorum, ut acatholici baptizati idem ac catholici prohibeantur.
6. De processu dissolutionis vinculi ex privilegio Petrino, ut processui ex privilegio Paulino compar sit.

III. *In re liturgica.*

1. De reformatione modi horas canonicas recitandi.
2. De usu linguae patriae in administratione sacramentorum, in benedictionibus, etc.
3. De usu linguae patriae in Missa catechumenorum.

IV. *In re pastorali.*

1. De auxilio locis missionariis largiendo, pecunia et personas transferendo.
2. De Actione Catholica in ordine sociali.
3. De reconciliatione schismaticorum et haereticorum cum Ecclesia Catholica.

Ad ultimum quod attinet, notandum est paucissimos quidem schismaticos nostra in dioecesi inveniri. Permulti tamen haeretici, i. e. praesertim « Baptist » necnon « Methodist » in hac regione inveniuntur. Nostra tamen sententia, nulla videtur spes eos ad fidem convertendi per modum multitudinis; ita ut opus conversionis magis ad individuos destinetur.

Purpuram deosculans, summa qua par est reverentia et devotione,

Eminentiae Vestrae
addictissimus

✠ ALBERTUS L. FLETCHER
Episcopus Petriculanus

57

EM.MI P. D. IACOBI F. L. CARD. McINTYRE
Archiepiscopi Angelorum in California (Los Angeles)

Die 25 augusti 1959

E.me ac Rev.me Domine mi Obs.me,

Epistolam Eminentiae Tuae, subscriptam die 18 iunii 1959, de futuro Concilio Oecumenico in manibus meis habeo.

In epistola tua, Eminentia Tua patefecit desiderium Sanctitatis Suae cognoscendi opinionem seu sententias Archiepiscoporum et Episcoporum qui futuri Concilii Patres erunt; et rogavisti ut animadversiones nostrae circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt ad Pontificiam Commissionem mitterentur.

Hoc tempore, aliquas res speciales non habemus quae attentionem nunc requirant praeter res generales calendarii Concilii. Sed quaedam animadversiones de conditionibus praesentibus volumus Eminentiae Tuae communicare, easque ad modum commentarii praeparavimus. Has opiniones in paginis separatis scripsimus. Pergratum mihi est mittere has sententias ad Eminentiam Tuam ut eas aestimes.

Profunda veneratione profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum et dev.mum servum verum
✠ IACOBUS FRANCISCUS L. Card. McINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

I. *De Liturgia*

Legislatio Sanctae Matris Ecclesiae multas mutationes in observantia Sacrae Liturgiae recentibus annis effecit. Novae leges ieiunii eucharistici bene recipiuntur. Resultata admirabilia sunt, et magis et magis viri et mulieres Christifideles Sacram Synaxim frequenter accedunt.

Simplicior forma rubricarum in recitatione Divini Officii bene accipitur.

Instauratio Ordinis Hebdomadae Sanctae a Christifidelibus obsequenter recipitur. Nihilominus, non cum eodem ardore qua Christifideles ieiunii eucharistici mutationes acceperunt. Aliquod tempus requiritur ut Christifideles se assuescant novo Ordini Hebdomadae Sanctae.

Praevalens pars clericorum Archidioecesis nostrae opponunt usum linguae vernaculae in Liturgia.

II. *De Matrimonio*

Aliquas mutationes possibiles praesumamus exponere in legibus Sacrorum Canonum et usibus et nullitate matrimonii. Processus tamen petendi usus Potestatis Supremae in causis « Favoris Fidei » considerationem in mutationibus propositis Iuris Canonici sine dubio recipiet et in interrogationibus specialibus investigabitur.

III. *De Validitate Baptismorum*

In Statibus Foederatis Americae Septentrionalis per multos annos multiplicatio sectarum acatholicarum paulatim evoluta est. Multae earum paucos socios habent et regionales in natura sua remanent. Consecutio naturalis et inevitabilis est corruptio, si non etiam exemptio completa a persuasionibus dogmaticis et usibus.

Forsitan parva tantum proportio ministellorum acatholicorum nunc expresse profiteretur divinitatem Christi aeque ac eam intelligimus. Persuasiones eorum multas et diversas discrepantias comprehenderunt. E converso, mirabile dictu, divinitas Christi videtur esse opinio fundamentalis et generalis inter laicos acatholicos adversus institutionem principum acatholicorum. Ergo, ad validitatem matrimonii adiudicandam difficile assumetur an baptismus a singulis ministellis administretur cum intentione quae consentiens sit principiis traditionalibus sectae cui ministellus pertinet.

Generalis assumptio validitatis baptismorum horum nobis non videtur esse vera. Nobis videtur esse melius ut onus probationis validitatis baptismi habeatur ex parte oratoris quam assumptio quod omnes baptismi Protestantium sunt validi.

IV. *De Inflatione*

De Problemate « inflationis » volumus exponere sequentia.

Sine dubio Status Foederati, Americae Septentrionalis et de facto multae nationes orbis terrarum, in doloribus inflationis fiscalis se inveniunt.

1. Inflatio, historice considerata, in Statibus Foederatis bene cognoscitur et theoria inflationis bene intelligitur, sed actualis experientia in re aliquid novum in Statibus Foederatis est et, per consequens, progressio manifesta cum debita resistentia non obviatur.

2. Existit, tamen, vix ullum dubium in mentibus eorum qui futu-

rum inspiciunt quod consueti et historici effectus inflationis evolventur in Statibus Foederatis sicut in aliis nationibus iam evoluta sunt.

3. Periti haesitant praedicere tempus, matutinum vel serotinum, quando haec progressio acutissima sit.

4. Ecclesia ab inflatione se separare nequit. Dum nostrum programma constructionis continuat crescere propter numerum et necessitates populi, eodem tempore crescit necessitas pecuniam mutuo sumendi ad solvenda expensa huius expansionis. Quia Ecclesia in economia currenti veram partem habet et cum vita quotidiana populi nostri vere iuncta sit, administratio rerum materialium Ecclesiae sine dubio cum resultatibus inflationis constanter involvitur.

Inflatio reditibus Ecclesiae effectum habet. Aliquando reditus paroeciae augmentat, sed eodem tempore augmentatur impulsus permultum amplificandi et adornandi. Modus sic agendi sumptuosus est et ideo processus inflationi inhaerens ab administratione Ecclesiae stimulatur. E converso, quando venit deflatio in aliquibus regionibus vel in fabricis industrialibus etiam venit diminutio redituum paroeciarum.

Bene commemoratur quod in Statibus Federatis modus pecuniam mutuo accipiendi est « hypothecam de futuro » dandi (mortgaging the future). Modus hic utilia habet sed etiam pericula et incerta, praesertim quando « futurum » ad effectum expectatum non perducit.

Processus dandi « hypothecam de futuro » explicari potest sequenti exemplo. Si in aliqua regione multae domus novae propter erectionem novae fabricae industrialis constructae sunt, necessitas erigendi novam paroeciam oritur. Dioecesis fundum emit et pastorem nominat. Pastor habet onus aedificandi Ecclesiam, domum sacerdotibus, scholam et domum sororibus. Haec omnia per annum vel per annum et dimidium facienda sunt, et ad expensa circiter $500.000.

Quoniam creditum fiscale dioecesis cum argentariis publicis bonum est, dioecesis e publicis argentariis pecuniam mutuo accipere potest. Hoc creditum fiscale dioecesis bonum est quia semper Ecclesia obligationes suas ad tempus adimplevit et foenora solvit. Mutua haec gradatim solvuntur per intervallum annorum a septem ad decem. Hic modus debita solvendi vocatur processus « solvendi hypothecam de futuro » (liquidating the mortgaging of the future). Processus nobis permittit aedificia occupandi, et per consequens multa beneficia animabus Christifidelium interim dimanant. Quando processus multis paroeciis novis et etiam scholis secundariis multiplicatur, bene intelligitur quomodo res fiscales dioecesis factoribus inflationariis vitae quotidianae profunde involvuntur. Haec omnia observantiam strictam et attentionem continuam requirunt.

Colloquiis cum episcopis per Status Foederatos, didicimus quantum foenoris tam parvum argentariis publicis a dioecesibus solveri. Quantitas foenoris qualitati crediti in proportione est. Perspicuum est quod dioeceses in exequendis rebus fiscalibus bene se habuerunt: alias maius foenoris necessarium sit.

Etsi Archidioecesis Angelorum in California crevit ad minus tantum quantum aliae dioeceses Statuum Foederatorum, et quamquam nostrum debitum fiscale pro rata crevit, nihilominus anxius sum de possibilitate effectus calamitosi inflationis, et omnes cautiones adhibemus ad praecavendam talem possibilitatem calamitatis.

Nobis videtur, tamen, quod in Relatione ad Limina pauca de rebus fiscalibus dioecesium inquirantur. Cum hae conditiones obtineant, suggero ut relatio de rebus fiscalibus ab omnibus dioecesibus, quotannis vel biennis, Romae communicetur sub secreto.

V. *De Rebus Generalibus*

Praesumimus declarare quod populi nostri magnas mutationes in generalibus legibus Ecclesiasticis non expectant. Mutationes in regulationibus Ecclesiasticis recentibus annis multas consolationes perduxerunt. Nuntiatio autem propositi Concilii Oecumenici contemplationem stimulavit in ephemeridibus et in libellis circa possibiles concessiones populis acatholicis ad unitatem procurandam. Nulla est indicatio in mentibus populorum ut, si concessiones de rebus disciplinae concederentur, effectus concessiones nostras remunerarentur.

In Statibus Foederatis Americae Septentrionalis interna corruptio Protestantismi est satis completa ut minima, si aliqua, species dogmatis in usu magnarum etiam sectarum remanet. Hoc factum videtur creare abnormem conditionem, id est, ministelli et principes harum sectarum Protestantismi in permultis casibus non credunt in sententias religiosas vel dogmaticas originalium auctorum suarum sectarum. De facto, magna multitudo ministellorum Protestantismi in Statibus Foederatis non credit in divinitatem Christi et multi eorum ad Communismum et Socialismum inclinantur. E converso, evidens est ut in mente et corde ipsorum populorum acatholicorum est potens inclinatio accipiendi veritates dogmaticas et haec inclinatio est libera a persuasione principum Protestantismi.

Haec circumstantia evidens est e lata acceptione a populo patriae nostrae nunciationum Summi Pontificis nostri et antecessoris eius de rebus honestatis generalis. Propter latam promulgationem harum nunciationum, saltem ad modum summarii, in ephemeridibus patriae no-

strae opportunitas his populis acatholicis data est principia prima perlegendi. Haec principia accipere possunt sine aliqua obligatione seu publica agnitione consensus principiis propositis.

Magna reverentia quam acatholici his nunciationibus attribuunt, probatio est huius facti. Speramus ut ephemerides patriae nostrae has nunciationes eodem modo promulgent in futuro prout in recentibus annis.

Hoc opus apostolicum acquiritur ab emptione et non a bonis relationibus publicis. Hoc est inaestimabile.

✠ Iacobus Franciscus L. Card. McIntyre
Archiepiscopus Angelorum in California

58

Exc.mi P. D. GULIELMI P. O'CONNOR
Episcopi Madisonensis (Madison)

Die 28 iulii A. D. 1959

Eminentissime Domine,

Quod ad Eminentiae Vestrae pergratas litteras die 18 iunii datas attinet, rebus mature perpensis, nobis placet humillime praesentare notitias sequentes de rebus in Concilio Oecumenico feliciter convocaturo tractandis:

1. *De Rebus Dogmaticis*:

Quaestio readunationis sectarum praesupponit solutionem quaestionis de auctoritate ecclesiastica. Quia et schisma et haeresis ex negatione auctoritatis ecclesiasticae manant, necesse est ut Ecclesia iteret atque supponat Sua testimonia de auctoritate ab Auctore Divino sibi commissa:

a) De protestantibus et orthodoxis convertendis: Formatio commissionis internationalis theologorum qui huic operi et post Concilium incumbant.

b) De doctrina sociologica: Expositio principiorum Christianorum quae contra errores sociales per mundum grassantes iactari possunt.

c) De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem hodiernam atque de iuribus Ecclesiae in educatione Christiana.

d) De apostolatu laicali et de sacro Diaconatus ordine restaurando.

e) De Scripturis Sacris interpretandis.

f) De catechismo universali recensendo et de libro practico Historiae Biblicae instituendo.

2. *De Rebus Moralibus*:

a) De ethica sic nuncupata « situation » etiamque de Morali subiectivismo.

b) De matrimonio et familia in mundo hodierno.

c) De generationis limitatione inhonesta vere omnibus iure naturali prohibita.

3. *De Rebus Canonicis*:

a) De protestantibus et orthodoxis convertendis: Promissio dispensationis pro protestantibus et orthodoxis ab aliquibus legibus ecclesiasticis, si convertantur.

b) De processibus iudiciariis ac administrativis in Ecclesia redigendis.

c) De paroechia moderna urbana et suburbana.

4. *De Rebus Liturgicis*:

a) De pleniore fidelium participatione in sacrosancto Missae sacrificio et in aliis ritibus liturgicis.

b) De caeremoniis episcopalibus recensendis. (Multis in locis etiam Christifideles ritus pontificales propter eorum diuturnitatem vitant).

Omni quo par est obsequio Eminentiam Vestram prosequor meque profiteor

addictissimum

✠ GULIELMUS P. O'CONNOR
Episcopus Madisonensis

59

Exc.mi P. D. ERNESTI J. PRIMEAU

Episcopi Manchesteriensis (Manchester)

Die 10 mensis maii anno 1960

Eminentissime Domine,

Animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis quae in futuro Concilio Oecumenico mihi videntur tractari posse, sequentia sunt:

I. *Elementorum Philosophiae Christianae Reiteratio*

Specifice:

1. De limitibus Rationis Humanae.
2. De Auctoritatis natura, obiecto, et munere.
3. De libertate et licentia; de voluntate libera et responsabilitate.

II. *Elementariarum Veritatum Theologiae Christianae Reiteratio*

Specifice:

1. Quid sit peccatum?
   a) de peccati originalis personalisque existentia;
   b) utrum nimis sit de psychiatria, nimis de amotione sensus culpae, nimis de rei momento sensus compulsionis;
   c) tractatus de occasionibus peccati, praesertim in materia VI et IX Decalogi.

2. De existentia ordinis supernaturalis cum sequela eius de exaggeratione ordinis naturalis.

3. Commercium inter Deum et hominem; plus habere debemus gravitatis de conceptu Dei Paternitatis et relative minus de conceptu hominum Fraternitatis.

4. Reaffirmetur doctrina quod Christus est Deus; ab hac doctrina, saltem in America Septentrionali, discessit Protestantismus.

5. Quod tam Fides quam Opera Bona necessaria sunt ad salutem; Protestantismus hodiernus statum suum pristinum omnino mutavit, nunc in praxi tenet quod opera bona sine Fide sufficiunt.

6. Necessitas poenitentiae et mortificationis in oeconomia humana; nunc temporis saepe concluditur quod negotium nummarium ad caritatem et remissionem peccatorum aequivalet.

7. De materia et forma Sacramenti Baptismatis; sectae aliquae materia plus poetica quam theologica utuntur.

8. Quaestiones perennes: de matrimonio, divortio et limitatione natalium.

9. Enodationes de natura Sacramentorum Confirmationis et Extremae Unctionis.

10. Doctrinae traditionalis reiteratio de libertate sanctitateque conscientiae humanae cum enodatione conceptuum « tolerantiae » et « maioris boni » in rebus mixtae religionis.

III. *De Clericis*

1. De alliciendis, seligendis ac efformandis pueris, iuvenibus et adultis ad statum ecclesiasticum et religiosum.

2. Quomodo in diversis Ecclesiae regionibus defectui sacerdotum consuli possit.

3. De quibusdam sacerdotum adiutoribus statuendis atque etiam sacris initiandis, e. g. diaconi.

4. De removendis in quibusdam regionibus nonnullis impedimentis ad sacros ordines suscipiendos, e. g.: can. 1363 in America Latina.

5. De paterna cura Superiorum et potissimum Ordinariorum erga vitam ecclesiasticam.

6. Utrum urgendus can. 134 necne.

7. Utrum privilegia religiosorum, e. g., facultates absolvendi a censuris reservatis Ordinariis, debeant extendi confessoribus saecularibus.

8. Cursus Theologiae: utrum fas sit habere quintum annum theologiae in seminariis saecularibus.

9. Utrum in materiis temporalibus religiosi exempti debeant plus restringi sub potestate locorum Ordinariorum.

10. Utrum seminaria regionalia plus quam dioecesana et localia melius efficere possent opus eruditionis seminaristarum.

IV *De Fidelibus*

1. Utrum paroeciae, sicuti nunc habentur, hodiernis fidelium necessitatibus respondeant, potissimum in urbibus maioribus.

2. Utrum statuendum aliquid, quod veterem catechumenatum substituat ac iuvenes et fideles ad veram vitam spiritualem manuducat.

3. De cooperatione cleri saecularis ac regularis, sororum religiosarum et fidelium ad apostolatum Ecclesiae.

4. De participatione fidelium ad sacram liturgiam; de eorum necessaria praeparatione et efformatione.

5. De sermone nativo et de symbolismo plus moderno in liturgia.

V. *De Scriptura Sacra et Theologia*

1. De maioribus et peculiaribus erroribus ac opinionibus theologicis ad Scripturam Sacram et ad Gratiam quod attinet.

2. Num apostolatus hodiernus pelagianismo aut saltem semipelagianismo sapiat.

3. De praefinienda essentiali doctrina christiana, quae tradenda est in catechesi et in sacris concionibus.

4. De lectione et explicatione Scripturae Sacrae, potissimum Novi Testamenti, in sacris praedicationibus, collationibus, atque ope recentiorum mediorum.

5. Simplificatio Enchiridii Indulgentiarum.

6. Emendatio Indicis Librorum Prohibitorum.

VI. *De Unitate Ecclesiae et Propagatione Fidei*

1. Quaenam habeatur concordantia in doctrina, disciplina, et moribus inter Ecclesiam Catholicam et alias ecclesias christianas.

2. De statuenda ac praefinienda actione pastorali practica, quae singulis in regionibus adhibenda est ad fovendam ac maturandam unionem ac reditum haereticorum in verae Ecclesiae sinum.

3. Quaenam statuenda ac adhibenda actio pastoralis sive generalis sive particularis erga eos qui Ecclesiam nondum agnoscunt aut Deum esse absolute negant.

4. Modus agendi cum Graecis sic dictis Orthodoxis qui suos adhaerentes excommunicant quando cum parte catholica matrimonium mixtum contrahunt.

5. De problemate Orientalium Catholicorum praesertim in Statibus Americae Septemtrionalis qui nolunt ritibus suis adhaerere.

VII. *De Iure Canonico*

1. Emendatio generalis Codicis Iuris Canonici sub luce experientiae et cum concordia novae legislationis quadraginta annorum.

2. Emendatio ac expositio simplicior Libri Quinti Codicis Iuris Canonici, de delictis et poenis ecclesiasticis.

3. Alia varia:

a) enodatio de praxi et stylo Curiae Romanae in adiudicandis causis « Monterey-Fresno » dictis;

b) Applicatio can. 1125 Afris (Negris) conversis non baptizatis in Statibus Americae Septemtrionalis viventibus;

c) Constitutio Rotae Sacrae Americanae ad instar Rotae Hispanae ad iudicandas causas Privilegii Fidei etiam cum causis super rato, appellationibus tamen reservatis Sanctae Sedi.

4. Emendatio accommodata vitae hodiernae legum de bonis ecclesiasticis administrandis; specifice de requisitis pro alienatione rerum ecclesiasticarum in Statibus Americae Septentrionalis.

VIII

Constitutio Officii Communicationis Scientiaeque Publicae in Civitate Vaticana ad habendum modum uno tenore agendi et conformiter cum canone 9 Codicis Iuris Canonici.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum

✠ ERNESTUS J. PRIMEAU
Episcopus Manchesteriensis

60

EXC.MI P. D. THOMAE L. NOA
Episcopi Marquettensis (Marquette)

Die 12 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

In litteris datis die 18 iunii 1959, (Prot. N. 1 C/59-815) significatum est quod Summus Pontifex desiderat cognoscere opiniones atque colligere consilia et vota Exc.morum Episcoporum, qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur, ut hae sententiae et consilia adhiberi possint pro Concilii argumentis apparandis.

Infrascriptus Ordinarius Marquettensis, convocata conferentia, usus est consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium ex dioecesi quoad res et argumenta de quibus agi poterit in Concilio Oecumenico ad utilitatem Ecclesiae. Ex his deliberationibus proponuntur quaestiones quae sequuntur:

1. Firmo manente conceptu quod Ecclesia est semper sui iuris et pollet plena auctoritate, clarius definienda est opinio de validitate libertatis humanae ubi venit quaestio de fide individuae personae.

Nostris diebus notabiles immutationes factae sunt in formis civitatum civilium et in relationibus inter Ecclesiam et Statum civilem, et semper et ubique exoritur quaestio de tolerantia religiosa et de libertate conscientiae. In nonnullis quae proponuntur in Syllabo, seu collectione errorum modernorum, edito a Pio IX, videtur quod quaedam de relatione inter Ecclesiam et Statum emendari possint. Videtur quod hisce temporibus positio Ecclesiae de tolerantia civili melius et clarius definienda sit, quia inducitur confusio apud fideles inter tolerantiam dogmaticam (quae non existit) et tolerantiam civilem.

Aliis verbis, perscrutanda est positio Ecclesiae quoad libertates civiles, et relationes inter Ecclesiam et Statum.

2. Proposita est quaestio de diaconis nuptis quae Ecclesiae inservirent in variis muneribus congruentibus huic S. Ordini. Institutio huius naturae plurimum prodesset illis ministellis Protestanticis nuptis qui fidem Catholicam amplectunt et desiderant prosequi vocationem religiosam.

3. Orta est discussio de potestate Ordinarii in casibus matrimonialibus. Videtur quod amplior delegatio concedenda sit Ordinario in casibus in favorem fidei et in casibus de rato et non-consummato. Valde optandae sunt celeriores solutiones ad salutem animarum quam obtinet sub vigenti disciplina sub qua omnia et singula referenda sunt ad tribunalia Romae.

Item discussio facta est de dispensationibus matrimonialibus pro matrimoniis mixtis. Sacerdotes parochi optime cognoscunt pericula quae oriuntur ex talibus futuris matrimoniis et adhibent omnia media ut fideles ab eis avertantur. Eodem tempore videtur quod parochis concedenda sit amplior auctoritas quoad dispensationes. Persuasum est omnibus quod matrimonia mixta in se in Statibus foederatis non inducunt grave periculum pro fide Catholicorum. E contra numerus eorum Acatholicorum qui amplectuntur fidem Catholicam fere ex toto computatur ex iis Acatholicis qui cum Catholico ineunt matrimonium. Catholici qui a fide deficiunt ex iis sunt qui iam ante matrimonium tepidi fuerunt.

4. De Ritu.

Recens approbatio limitati usus linguae vernaculae in administratione nonnullorum Sacramentorum magno cum favore et beneficio a fidelibus recepta est.

Instructio d. 3 septembris 1958, de participatione fidelium in Missa magnos fructus afferet fidelibus, sed opportunum erit instaurare discus-

siones et deliberationes de ampliore usu linguae vernaculae in Missa Catechumenorum.

5. Dictum est in conferentia quod aliqua clarificatio vel declaratio facienda sit de doctrina de Limbo. Quaeritur utrum salus aeterna infantium mortuorum sine baptismo aliquo modo dependi possit ab intentione virtuali parentum, sicut dictum videtur in Veteri Testamento.

6. Desideranda est revisio in Codice ita ut Ordinarius polleat pleniore iurisdictione relate ad opera et activitates Religiosorum intra fines dioecesis suae.

Haec omnia proponens, ex animo impensos cordis sensus profiteor,

Eminentiae Vestrae addictissimus
✠ THOMAS L. NOA
Episcopus Marquettensis

61

EXC.MI P. D. COLEMANI F. CARROL
Episcopi Miamiensis (Miami)

1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Communicationi Tuae (Prot. N. 1 C/59), qua invitantur Episcoporum sententiae atque vota pro futuro Concilio Oecumenico, his animadversionibus sincero ex corde responsum effundo:

1. Ad animarum salutem magis aequa sacerdotum distributio provideatur ita ut dioeceses in quibus copia est alias adiuvent.

2. Dentur directiones magis specificae, praesertim quoad res materiales (pecunias atque agros), in Litteris Erectionis ut dioecesium divisio et citius et lenius efficiatur.

3. Ex eo quod Pius XII piae recordationis, in permultis allocutionibus de Actione Catholica, Confirmationem Actionis Catholicae Sacramentum nuncupabat, cur non differatur eiusdem administratio ad pubertatis aetatem?

4. Denuo instituatur Breviarii Romani revisio praesertim quoad Matutinas lectiones.

5. Fiat magis practica ad diem Dominicam Epistolarum selectio.

Hanc nactus occasionem, Eminentissime, plurimam salutem in Domino dico.

✠ COLEMANUS F. CARROL
Episcopus Miamiensis

62

Exc.mi P. D. GULIELMI E. COUSINS
Archiepiscopi Milwaukiensis (Milwaukee)

Milwaukiae, Wisconsin, die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Respondendo litteris Vestris humiliter transmitto quae sequuntur animadversiones, consilia et vota pro futuro Concilio Oecumenico:

1. Ad tuendam auctoritatem et unitatem necnon rectam disciplinam, magni prodesset si varia acta Sanctae Sedis (v. g., dispensationes a lege abstinentiae et ieiunii, facultates pro Missis extra horis a iure permissis, etc.) prius Ordinariis notificarentur (sicuti provisiones Ecclesiarum per Rev.mum ac Exc.mum Nuntium, Inter-Nuntium, Delegatum Apostolicum, resp., communicantur, vel per alium similem modum), antequam communicentur per radiophonium vel per ephemerides publicas.

2. Ut addatur impedimentum defectus aetatis ad elenchum impedimentorum in can. 1990 *C.I.C.* enunciatorum.

3. Ut deleantur a fine § 1 can. 1070 *C.I.C.* verba: « Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa ». Si hoc impedimentum ad ambitum ante Codicem vigentem instauraretur praecaverentur matrimonia extra Ecclesiam attentata propter fragilitatem humanam et moram dum dispensatio a Summo Pontifice acciperetur.

4. Ut Ordinarius loci queat licentiam dare parti acatholicae standi in iudicio pro causis matrimonialibus instruendis tam per ordinarium tramitem iuris quam per viam casus excepti.

5. Ut in Transumpto exarando in Causis Beatificationis et Canonizationis permittatur usus machinae dactylographicae (vulgo: « typewriter »).

6. Desiderantur normae quibus regatur, in casibus specialibus coniugii insanabilis, cohabitatio tamquam frater et soror.

Interim sacram purpuram deosculans, omni qua par est reverentia omniaque fausta Vobis a Deo adprecans, permaneo

Addictissimus in Domino

✠ Gulielmus E. Cousins
Archiepiscopus Milwaukiensis

63

EXC.MI P. D. ALOYSII I. WILLINGER

Episcopi Montereyensis-Fresnensis (Monterey-Fresno)

Fresno in California - die 6 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Primum mihi dolori est magno quod Eminentiae Tuae incommodum tuli bis ad me litteras mittendi de animadversionibus votisve quae forte haberem pro futuro Concilio Oecumenico. Acceptis enim Eminentiae Tuae litteris die 18 iunii 1959 datis non rescripsi cum nihil mihi esse quod responderem senserim cumque hoc ipsum pro responsu putaverim valiturum; quod quidem apparet non satisfecisse.

Re autem rursus mature perpensa, non aliter ac antea iudicavi me posse respondere litteris Eminentiae Tuae die 21 martii 1960 datis. Nihil nunc videtur dignum quod suggeram ut in futuro Concilio Oecumenico tractetur. Si quid vero postea mihi venit in mentem, id Eminentiae Tuae statim submittam.

Ut omnia in Concilio Oecumenico adparando Eminentiae Tuae fausta eveniant enixe adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ ALOYSIUS I. WILLINGER, C. Ss. R., D. D.
Episcopus Montereyensis-Fresnensis

64

EXC.MI P. D. GULIELMI L. ADRIAN

Episcopi Nashvillensis (Nashville)

Eminentia Vestra,

Acceptas refero litteras die 18 iunii 1959 datas, quibus Eminentia Vestra rogabat, ut Pont. Commissioni Antepreparatoriae Pro Concilio Oecumenico animadversiones etc. communicarem de rebus et argumentis, quae in futuro Concilio Oecumenico utiliter tractari possent.

Ratio autem cur debitam responsionem dare praetermisi est, quod nihil maioris momenti mihi occurrit. Attamen, cum Metropolitano, Exc.mo Ioanni Floersh, Archiepiscopo Ludovicopolitano, de re locutus

sum, eundem adprecans, ut faciat quaecumque consilia et vota, quae sibi utilia visa fuerint.

Nil aliud habeo addendum, cum sane putem alios magis peritos necessarias et opportunas legislationes suggerere posse.

Salutem Sanctitati Suae de filio humili, et summa qua par est observantia me profiteor

Eminentiae Vestrae
add.mum

✠ Gulielmus L. Adrian
Episcopus Nashvillensis

65

Exc.mi P. D. RICHARDI O. GEROW
Episcopi Natchetensis-Iacksoniensis (Natchez-Jackson)

Die 24 augusti 1959

Reverendissime Domine,

Secundum epistolam Eminentiae Suae Dominici Cardinalis Tardini diei 18 iunii, huius anni currentis (Prot. N. 1 C/59-903) rogantem animadversiones circa res quae in futuro Concilio tractari poterunt, sequentes animadversiones mitto:

Grata mihi erat notitia de intentione Sanctissimi Patris vocandi Episcopos atque Praelatos mundi in Concilium Oecumenicum. Praesertim grata erat spes ut ex Concilio tali evenire potuerit reunio cum Sancta Matre Ecclesia plurimorum Christianorum qui nunc extra ovile vagantur.

Sanctissimus Pater ipse de experientia sua bene cognoscit indolem et mentem plurimorum populorum schismaticorum in partibus orientalibus. Hac de causa mihi videtur actum Providentiae Divinae esse electionem eius ad officium Summi Pontificatus.

Quae cum ita sint, mihi videtur, primum finem et opus maximi momenti Concilii esse reunionem cum Ecclesia, in quantum fieri potest, ovium errantium a grege Domini. Ut autem effectus felix eveniat necesse erit superabundans gratia Dei, quae obtineri poterit per preces devotas et constantes, et per caritatem maximam a parte nostra versus fratres nostros separatos.

Cum autem epistola Eminentiae suae indicat capita varia sub quibus animadversiones communicari potuerint Commissioni faveatis sequentes audire:

In re liturgica: mihi videtur quod in bonum fidelium redundaret usus

amplior linguae vernaculae in actibus liturgicis. Exempli gratia: In Sacrosancto Missae Sacrificio, si ea pars quae extra canonem est, in lingua populi a celebrante diceretur, fideles ipsi melius, et devotius, in unione cum sacerdote, participes fieri potuerint caeremoniarum Missae. Et quoad breviarium a sacerdotibus quotidie legendum hoc, saltem in maiore parte, in lingua nativa legi poterit. Eadem dicenda de administratione Sacramentorum et Sacramentalium. Sacramenta sunt propter homines. Instituta fuerunt principaliter ut effectum haberent ex opere operato, sed etiam debent effectum secundarium producere ex opere operantis — et hic effectus melius haberetur si bene intelligerent fideles sensum verborum quae dicuntur.

Quoad res administrativas: Videtur opportunum ut facultates ampliores extendantur Ordinariis in casibus Matrimonialibus, exempli gratia in casibus favoris fidei et matrimonii rati et non consummati.

Maxima cum reverentia et veneratione versus augustam personam Sanctissimi Patris et fausta vobis ex corde adprecans, me profiteor

Addictissimum in Domino
✠ Richardus O. Gerow
Episcopus Natchetensis-Iacksoniensis

66

Exc.mi P. D. THOMAE A. BOLAND
Archiepiscopi Novarcensis (Newark)

Die 15 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Per praesentes litteras necnon post diligentem deliberationem, atque instructionibus in epistola ab Eminentissima Tua recepta scriptaque sub data 18 iunii 1959 cum animadversionibus tum obtemperatis, obiecta quaedam quarum pertractatio et definitio in Concilio Oecumenico optabilis censetur, honori mihi duco tibi humiliter praesentare.

Interim manus Tuae Eminentiae Rev.mae humillimus deosculans ac sensus altissimae venerationis meae Tibi obtestans, permaneo

humillimus ac dev.mus servus in Christo
Tuae Eminentiae Rev.mae
✠ Thomas A. Boland
Archiepiscopus Novarcensis

Fines matrimonii

Ad fidei integritatem et honestatem morum servandam ac promovendam, multum conferret uberior explicatio et solemnis definitio sanae doctrinae de Matrimonii finibus eorumque relatione seu hierarchia. Haec enim doctrina, iam saepenumero ab Ecclesiae Magisterio prolata (e. g., in *C.I.C.,* can. 1013, 1), et a SS. Pio XII immortalis memoriae iterum inculcata, tum in allocutionibus (3 oct. 1941, in *A.A.S.,* Vol. XXXIII, p. 423; 29 oct. 1951, in *A.A.S.,* Vol. XLIII, pp. 848-850), tum per Decretum S. C. S. Officii de Finibus Matrimonii (1 apr. 1944, in *A.A.S.,* Vol. XXXVI, p. 103), adhuc improbatur non solum ab acatholicis sed etiam a nonnullis inter fideles. Qui omnes, novarum opinationum de Matrimonio eiusque finibus fautores, in eo versantur periculo ne putent (uti reapse Anglicani in conventu apud Lambeth, anno 1958, habito putarunt), licitum esse onanismum, vel saltem semper licitum esse usum Matrimonii restringere ad tempora ageneseos (« Rhythm method »).

Aliud consectarium funestum novi modi de Matrimonio cogitandi reprehenditur in Litt. Encyc. SS. Pii XII, fel. reg., *Sacra Virginitas* (25 martii 1954): « Cum autem nonnulli hodie habeantur, qui a recto itinere hac in re declinantes matrimonium adeo extollant, ut illud reapse virginitati praeponant, ideoque Deo dicatam castitatem et ecclesiasticum coelibatum detrectent... » (*A.A.S.,* Vol. XLVI, p. 163).

Absoluta necessitas Baptismi in re recepti ad infantium salutem

Inde, circiter, ab anno 1948, in lucem prodierunt articuli permulti, in quibus contenditur salutem aeternam possibilem esse vel omnibus infantibus sine Baptismo actu recepto morientibus, vel saltem omnibus alicuius categoriae, v. g., omnibus in utero morientibus. Huiusmodi theoriae adhuc sparguntur, non obstante earum aperta reiectione a SS. Pio XII, fel. regn., tum in allocutione diei 29 oct. 1951 (*A.A.S.,* Vol. XXXXIII, p. 841), tum per Monitum S. C. S. Officii, 18 febr. 1958 (*A.A.S.,* Vol. L, p. 114), quod sonat:

« Mos alicubi invaluit differendi collationem baptismatis ob confictas rationes vel commoditatis vel indolis liturgicae. Cui dilationi favere queunt nonnullae sententiae, solido quidem fundamento carentes, de sorte aeterna infantium sine baptismate decedentium.

Quare haec Suprema Sacra Congregatio, Summo Pontifice adprobante, christifideles monet infantes quamprimum baptizandos esse iuxta praescriptum can. 770. Parochos autem et concionatores hortatur ut huius obligationis exsecutionem urgeant ».

Quae cum ita sint, expediens esse videtur solemne iudicium Concilii Oecumenici de absoluta necessitate Baptismi actu seu in re recepti pro salute infantium.

B. Mariae Virginitas in partu

Cum hodie habeantur nonnulli theologi, qui virginitatem B. Mariae in partu, ipso nomine retento, in inanem formulam reducant, in tuto poni oportet genuinum sensum huius dogmatis, ad mentem *Catechismi ex decreto Concilii Tridentini ad Parochos,* Pars Prima, Cap. IV., De III, Symboli Art., nn. 8-10 (Augustae Taurinorum - Romae: Marietti, 1930).

Relationes inter Ecclesiam et Statum

Cum recentibus annis non defuerint, in Gallia, Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, Germania, alibique, theologi qui impugnarent doctrinam in documentis Magisterii, praesertim in Litt. Encycl. S.S. Leonis XIII, traditam de relationibus, quae *per se* vigere debent Ecclesiam inter et Statum seu Societatem Civilem, hoc caput doctrinae materiam discussionis in celebrando Concilio Oecumenico constituere posset necnon, si Patris id opportunum duxerint, obiectum solemnis iudicii (quod — meminisse iuvabit — plures Patres ad Concilium Vaticanum vocati ferre voluerunt; cf. *Collectio Lacensis,* Vol. III, col. 1020; cf. *ibid.,* col. 572-579: *Primum Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi Patrum examini propositum,* cap. 13-15 et cann. 17-21).

« Extra Ecclesiam nulla salus »

Propter errores, quos spargunt asseclae instituti « St. Benedict Center », fortasse oportet magis enucleare et solemniter declarare genuinum sensum effati « extra Ecclesiam nulla salus », iuxta explanationes traditas in Epistola S. C. S. Officii, 8 aug. 1949, ad Rev.mum Archiepiscoporum Bostoniensem (cuius textus Latinus et versio Anglica videri possunt in *American Ecclesiastical Review,* Vol. CXXVII (N. 4, oct. 1952, pp. 307-315.)

Identitas Corporis Christi Mystici et Ecclesiae Hierarchicae

Contra imprudentem « irenismum », definiendum esse videtur id quod, fontibus revelationis innixum, SS. Pius XII fel. reg., docuit in Litt. Encycl. *Mystici Corporis Christi, Humani generis, Sempiternus Rex,* nempe: *Corpus Christi Mysticum* et *Ecclesiam Catholicam Romanam* unum idemque esse (*A.A.S.,* Vol. XXXXII, p. 571).

Apologetica traditionalis

Hodie plures theses Apologeticae traditionalis vehementer oppugnantur a quibusdam Catholicis, maxime vero ab iis qui, in acroasibus coetibusque, contendunt unicam validam Demonstrationem Christianam et Demonstrationem Catholicam eam esse quae desumitur ex Ecclesia ipsa, prout est miraculum morale. Hos errores reprimendos esse videtur.

✠ THOMAS A. BOLAND
Archiepiscopus Novarcensis

67

EXC.MI P. D. IOSEPHI F. RUMMEL
Archiepiscopi Novae Aureliae (New Orleans)

Die 27 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Animo praestandi oboedientiam et cooperationem menti et voluntati Sanctae Sedis, summa cum humilitate profitemur gratitudinem nostram pro privilegio et opportunitate praesentandi quaedam consilia et opiniones quae tribuere possint proposito mirando Suae Sanctitatis Ioannis Papae XXIII convocandi Concilium Oecumenicum infra paucissimos annos.

Hisce praesentibus proponimus considerationes sequentes quae effluunt ex iudicio nostro et ex consiliis ad quae invitavimus certos sacerdotes praestantes et peritos qui apud nos exercent officium pastorale vel munera administrativa.

Praesentatio nostra dividitur in varia capita quae accommodata sunt ad mentes sacerdotum quorum consilio usi sumus. Est spes nostra quod Pontificia Commissio Antepraeparatoria methodum nostram sufficienter aptam inveniat, eamdemque aliquo modo dignam consideret inclusione in programmate pro usu Concilii proponendo.

Eminentiae Vestrae omnia faustissima adprecantes, profitemur nos, summa cum reverentia

Devotissimos Vestros in Domino
✠ IOSEPHUS F. RUMMEL
Archiepiscopus Novae Aureliae

I. *De materiis dogmaticis*

1. Recentissimis temporibus multa sunt dicta et etiam scriptis commissa de doctrina circa Corpus Christi Mysticum. Quamvis Summi Pontifices in suis Encyclicis, Litteris Apostolicis et allocutionibus frequentius de hac doctrina tractaverint, sentitur necessitas in forma doctrinali occasione Concilii Generalis exponendi certas clarificationes quae doctrinam ipsam magis ad intelligentiam et acceptationem tum clero tum populo Christiano commendarent.

Inter materias quae nobis consideratione dignae apparent proponimus sequentes:

a) Corpus Christi Mysticum tamquam fons et fundamentum unitatis inter Christianos;

b) de Corporis Christi natura eiusque operatione et effectu, praesertim relate ad Communionem omnium Sanctorum;

c) de functione docendi quae competit Corpori Christi Mystico et de eiusdem natura, auctoritate et effectu, praesertim relate ad obligationem eamdem accipiendi ex parte fidelium quorumlibet. Hic salutariter statui posset auctoritas tribuenda dictis vel scriptis a Summo Pontifice in forma Litterarum Encyclicarum et Apostolicarum et in allocutionibus quae frequentius emittuntur sine directa relatione ad doctrinas sollemniter declaratas in forma dicta « ex cathedra ». Similiter statuere utile erit aliquid de auctoritate docendi qua gaudent Episcopi tum in conventibus plenariis tum in declarationibus in casibus singularibus;

d) de modo quo constituitur inclusio inter membra Corporis Mystici cum expositione doctrinae quae exprimitur per verba « Extra Ecclesiam nulla salus »;

e) de modo quo distinguuntur membra Corporis Christi, praesertim relate ad functiones et effectus Actionis dictae Catholicae, Sacramentum Confirmationis, et participationem laicorum in sacerdotio regali.

2. De Beatissima Virgine Maria commendatur expositio clara et comprehensiva de eiusdem participatione cum Filio suo dilectissimo in Mysterio Redemptionis, ita ut declarari possit « Co-Redemptrix totius mundi ».

Similiter desideratur expositio iuris eiusdem Beatissimae Virginis ad titulum « Mediatricis gratiarum omnium ».

De utraque relatione Matris Christi Immaculatae ad Redemptionem humani generis et ad participationem universalem in sanctificatione animarum proponitur, summa cum humilitate, definitio dogmatica sive

per Concilium Oecumenicum sive per actum Summi Pontificis loquentis ex Cathedra.

Commendationes sic prolatae convenire videntur devotioni quam hodie populus noster Catholicus per plurima signa demonstrat, nempe, per exercitia spiritualia proprie ordinata ad honorem debitum Beatissimae Virgini, per dedicationem ecclesiarum, altarium et domorum religiosarum, per erectionem sanctuariorum, etiam in viis publicis et per peregrinationes ad loca ubi ipsa Virgo modo extraordinario se manifestasse traditur.

3. Constans, quasi universalis et in aliquibus locis terrae acerbissima exsistit controversia circa distinctiones non modo physicas, oeconomicas et sociales, sed etiam naturales et spirituales inter homines pertinentes ad genera diversi coloris et morum vitae. Generatim loquendo istae controversiae ignorant vel contemnunt doctrinam de unitate generis humani in actu creationis, in constitutione naturae humanae cum anima rationali et dono immortalitatis, in universalitate Redemptionis et praerogativae ad vitam supernaturalem in terra aspirandi et in coelis in visione beatifica complendi.

Bene cognoscimus quod Ecclesia nostra sancta frequenter et constanter per declarationes Summorum Pontificum saeculis anteactis et notabiliter temporibus recentioribus doctrinam asseruerit de unitate generis humani in actu et intentione creationis, in Mysterio Redemptionis eiusque effectibus, in constitutione Ecclesiae praesertim sub conceptu Corporis Christi Mystici et in vita supernaturali eiusdemque praemio, nempe in fruitione visionis beatificae sempiternae. Nihilominus haec doctrina modo eloquentissimo a Summis Pontificis recentissimis affirmata valde utiliter declarari potest in Concilio Oecumenico, ita ut non tantum populus Catholicus novum argumentum de doctrina accipiat sed etiam ut testimonium tradatur omnibus gentibus cuiuscumque coloris vel originis de doctrina Ecclesiae loquentis in nomine Fundatoris divini qui posteris mandavit: « Euntes ergo docete *omnes gentes,* baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » (*Matt.* XXVIII, 19) et iterum: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Ioann.* XIII, 35).

In ista consideratione includendam censemus reprobationem qualiscumque *segregationis* hominum a lege vel etiam consuetudine impositae exclusive vel principaliter ob distinctionem generis vel originis nationalis, vel ob differentiam coloris aliusve qualitatis mere physicae vel naturalis; similiter reprobanda est qualiscumque modus agendi qui hominibus occasionem dat humiliationis et doloris vel impedit legitimam aspirationem ad bona vitae sive spiritualia sive physica sive schola-

stica sive oeconomica sive demum socialia. Humiliationes, poenae et angores certo constituunt violationes virtutum fundamentalium iustitiae et caritatis.

II. *De unitate Ecclesiae promovenda*

Summo cum gaudio excepimus desiderium Summi Pontificis hodie in Cathedra Sancti Petri gloriose regnantis proponendi Patribus Concilii Oecumenici considerationem possibilitatis efficiendi unitatem inter diversas ecclesias per varias regiones terrae dispersas. Hac in re gravissimi momenti nemo melius informatus est de difficultatibus quae tali reconciliationi adversantur quam idem Papa Augustissimus Ioannes XXIII qui per diversos annos ante suum accessum ad Cathedram Sancti Petri in suo servitio diplomatico relationes quasi initiales prosecutus est ad efficiendam meliorem aestimationem Ecclesiae conatus verificandi Domini Nostri Iesu Christi desiderium « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint » (*Ioann.* XVII, 21).

Proinde hisce praesentibus offerimus cooperationem nostram amplissimam praesertim spiritualem cum Summo Pontifice et Concilii Oecumenici Patribus in omnibus quae iuxta illorum iudicium ad finem desideratum tribuere possunt, ita ut intuitu Spiritus Sancti unificatio universalis populorum qui fidem in Christum profitentur quam primum efficiatur.

III. *De Sacra Liturgia*

Hisce praesentibus summa cum reverentia gratitudinem nostram recensemus pro sollicitudine qua Summi Pontifices recentissimi fovebant conatibus Sacrae Rituum Congregationis aliarumque Sacrarum Congregationum ad efficiendas quasdam reformationes quibus Sacrae Liturgiae regulae magnopere ad intelligentiam et participationem utiliorem praesertim laicorum accomodatae sunt. Inter beneficia quibus populus Christianus ex hac reformatione fruitur, enumerare praesumimus modificationem ritus sollemnis celebrandi mysteria quae comprehenduntur in caeremoniis Hebdomadae Sanctae et applicationem doctrinae tam clarae et eloquentis expositae sub auctoritate Summi Pontificis Pii Papae XII sub die 3 septembris A. D. 1958 relate ad participationem intimiorem populi in Sacrae Missae celebratione, inclusis directionibus sequendis in usu musicae sacrae in caeremoniis liturgicis.

Accepta invitatione Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae ad Concilium, sequentia puncta summa cum reverentia praesentare audemus:

1. Ut continuetur opus Pontificiae Commissionis Liturgicae cum aliqua codificatione omnium regularum quae, Concilio completo, normas observandas clare et utiliter statuent. Inter alia, determinare iuvabit praecise in quibus circumstantiis et modis linguae vernaculae usus de futuro permittetur.

2. Forte considerationem meretur ordinarium Epistolarum et Evangeliorum quae diebus Dominicis praesertim post Epiphaniam et Pentecosten leguntur, ita ut populus magis fruatur lectionibus quae in Sacra Scriptura continentur. Provideri possunt per additionem aliarum partium Revelationis multa themata quae hodie a plurimis fidelibus ignorantur. Ista ordinatio certo requiret distributionem Epistolarum et Evangeliorum per spatium duorum vel etiam trium annorum. Talis distributio providebit abundantiam materiarum utilium pro sacerdotibus ad privatam meditationem et ad exercendum officium praedicandi.

3. In cunctis processionibus liturgicis quae in ecclesiis paroecialibus ducuntur, nempe, in festo Purificationis Beatissimae Mariae Virginis, in Dominica Palmarum, Feria V in Coena Domini, Sabbato Sancto, diebus Rogationum, in Festo Corporis Christi, in supplicatione XL Horarum, in consecratione vel dedicatione ecclesiae, valde commendatur concessio licentiae cantandi Litanias vel hymnos in lingua vernacula, ita ut fideles intimius participare possint et maius beneficium spirituale ex istis sollemnitatibus obtineant.

4. Grato cum animo recensemus receptionem favorabilem ex parte fidelium accordatam licentiae utendi lingua vernacula in certis partibus administrationis Sacramentorum et sacramentalium. Attamen, in administratione Sacramenti Baptismi considerationi commendatur ut exorcismi numero reducantur et in eorum loco substituantur aliquae orationes in lingua vernacula recitandae quae magis exprimant vitam supernaturalem quae per Baptismum confertur et effectus gratiae supernaturalis in Sacris Scripturis et in doctrina Catholica traditos.

IV. *De Iure Canonico*

Occasionem capientes desiderii Domini Nostri Summi Pontificis Ioannis XXIII ut inter opera Concilii Oecumenici includatur revisio Iuris Canonici, sequentia obiecta considerationi proponere praesumimus:

1. Ad praecavendas interpretationes ineptas in praxi referendi ad clerum sub titulo « saecularis », commendamus ut abhinc in documentis ecclesiasticis et praesertim Iuris Canonici referatur ad clerum non religiosum sub unico titulo « cleri dioecesani », ita ut de futuro dividatur clerus in sacerdotes dioecesanos, qui nempe subsunt directe Episcopis

propriis, et sacerdotes religiosos, qui directe subsunt superioribus propriis.

2. Ad melius firmandam et promovendam vitam spiritualem cleri dioecesani et religiosi, hisce temporibus in quibus plurima statui perfectionis obnoxia fere ab omnibus sentiuntur, commendamus ut canon *C.I.C.* 126 emendetur ut imponat obligationem exercitiis spiritualibus vacandi *singulis annis* et per quattuor vel quinque saltem dies integros.

3. Ut in administratione dioecesana clarificetur praestantia auctoritatis loci Ordinarii relate ad opera paroecialia, caritativa, scholastica et vitam populi socialem attingentia, quae religiosis utriusque sexus sunt concredita vel ab eis cum consensus Ordinarii exercentur. Per talem definitionem evitari possunt dissensiones et conflictus qui frequenter impediunt progressum talium operum et effectus ex ipsis sperandi.

4. Ut potestas et iura quae in can. 1044 *C.I.C.* conceduntur, tradantur etiam « vicariis cooperatoribus », per additionem clausulae « eiusque vicario cooperatori » post verba « eadem dispensandi facultate pollet tum parochus... ».

5. Ut praxis conferendi Confirmationem infantulis, quae late viget in quibusdam regionibus Catholicis, aboleatur, nisi in periculo mortis, utque Canones qui de Sacramento Confirmationis tractant (cann. 780 et sq.) ubique vigorem habeant. Haec quidem puncta ponderari merentur:

a) confirmatio conferenda est tantum postquam pueri ad SS. Eucharistiam primo admissi sint;

b) post receptam prima vice SS. Eucharistiam amplius instituendi sunt in doctrina Catholica per duos *saltem* annos antequam ad Confirmationem admittantur.

6. Ut institutio Indicis Librorum prohibitorum totaliter recenseatur et ut clarificentur principia generalia quibus fideles iudicare possint de liceitate legendi libros nuper editos.

7. Quia impedimentum aetatis in casibus matrimonialibus determinatur quasi exclusive ex documentis et testimoniis scriptis, commendatur ut auctoritas tractandi de istius impedimenti existentia referatur ad Ordinarium vel officialem iuxta praescripta can. 1990.

V. *De extensione regni Christi per orbem terrarum*

Magis magisque sentitur ab Ecclesiae praesulibus obligatio Fidem Catholicam exponendi apud gentes et populos qui adhuc in tenebris paganismi et Islamismi constituuntur vel doctrinis et superstitionibus

adhaerent quae Christum eiusque vivendi rationem ignorant et immo viam Christianam profitentes crudeliter persequuntur. Indiget Ecclesia nostra Catholica mediis amplioribus materialibus et maiori copia operariorum ut Evangelii lumen ad ultimos terminos terrae perveniat. Qui finis ut adimpleatur, media sequentia proponuntur:

1. Ut promoveantur vocationes missionariae inter viros et mulieres praesertim in regionibus vel dioecesibus in quibus vocationes sacerdotales vel religiosae abundantius inveniuntur.

2. Ut efformentur plures societates vel congregationes virorum vel mulierum, praesertim eo fine ut membra assumant obligationem Fidem propagandi in locis ubi Evangelium vix cognoscitur.

3. Ut Ordinarii locorum in quibus Fides Catholica florescit permittant aliquos sacerdotes dioecesanos per diversos annos servitia dedicare dioecesibus quae laborant paucitate sacerdotum, e. g., in Statibus Americae Meridionalis.

4. Ut Ordinarii in dioecesibus quae abundantius pollent mediis materialibus libenter permittant ut Episcopi vel superiores religiosi in paroeciis rogent assistentiam materialem pro suis missionibus. Ubi media materialia ampliora inveniuntur, Ordinariis permittatur ut spondeant uni vel alteri dioecesi missionariae vel Vicariatui media sufficientia quibus varia opera missionaria efficere possint, vel etiam sustentationem plenam per unum vel alterum annum sibi provideant.

VI. *De cura animarum*

Minime negligenda est sollicitudo qua pastores animarum hodie tenentur populum sibi commissum non tantum instruere sed etiam sustentare in vita supernaturali eidemque providere media spiritualia quibus effaciter superare possit tentationes innumeras sibi propositas ex parte spiritus materialistici qui ubique eidem occurrit. Proinde nobis videtur maximi esse momenti si inter acta et decreta Concilii Oecumenici includantur normae sequentes:

1. In erigendis paroeciis caveatur ne numerus fidelium iisdem commissorum excedat possibilitatem administrationis pastoralis effectivae praesertim relate ab obligationem parochi regulariter visitandi familias et bene cognoscendi statum spiritualem totius gregis, atque opportunitatem omnium fidelium regulariter Missam audiendi diebus Dominicis et festivis et Sacramenta frequentandi.

2. Maxima instantia commendatur momentum visitationis canonicae non tantum dioeceseos eiusque decanatuum sed etiam paroeciae

cuiuscumque. Haec visitatio paroecialis facienda est, in quantum fieri potest, ab ipso parocho eiusque vicariis cooperatoribus *quolibet triennio,* et post quamlibet visitationem speciali modo curandum est de reconciliatione cum vita Catholica praesertim familiarum vel personarum quae ab obligationibus religiosis defecisse inventae sunt.

3. Ut populus Christianus magis fruatur benedictionibus et indulgentiis quae ab Ecclesia sollerter commendantur, includendum in provisionibus Concilii proponimus privilegium quo omnes sacerdotes, dioecesani et religiosi, praesertim qui curam animarum gerunt, per simplex signum crucis obiecta pietatis benedicere possint cum omnibus indulgentiis ab Ecclesia adnexis.

4. Consideratis difficultatibus quibus hodie laborant fideles in suis conatibus obligationes religiosas constanter exercendi, summa cum sinceritate commendamus ut can. *C.I.C.* 1349, § 1 emendetur ita ut missiones paroeciales *quolibet saltem triennio* regulariter habeantur.

5. De munere verbum Dei praedicandi sequentia consideranda proponimus;

a) ut non tantum parochi, sed etiam omnes sacerdotes, dioecesani et religiosi, qui diebus Dominicis et festivis Missas quaslibet quibus populus interest, celebrant, teneantur Epistolam et Evangelium legere et sermonem opportunum habere;

b) parochi moneantur ut diebus Dominicis et festivis Missae fixae quibus populus interest ita ordinentur ut praebeatur tempus sufficiens ad Epistolam et Evangelium legendum, sermonem opportunum faciendum et Communionem distribuendam. Censendum est etiam de tempore necessario ut inter Missas populus cum decore ecclesiam intrare et ab ea exire possit. Revera requiritur plus quam unica hora pro qualibet Missa!

c) opportunum videtur ut Patres Concilii Oecumenici instanter referant instructiones Summi Pontificis Pii XII de usu ad efficacius diffundendam doctrinam Christianam instrumentorum radiophoniae et televisionis. Similiter frequentiori usui commendentur diaria et libelli periodici tamquam media communicandi populo Catholico et acatholico doctrinam salutiferam a Christo Domino Ecclesiae commissam, ut confundantur propagatores errorum et oppugnationum contra Ecclesiam eiusque auctoritatem.

6. Considerata maiori diligentia qua fideles hodie obligationem Missam audiendi diebus Dominicis et festivis observant, simulque considerata penuria sacerdotum qua hodie multa loca laborant, commendamus ut per Concilium Oecumenicum can. 806 *C.I.C.* emendetur ita ut, verificatis iisdem circumstantiis in isto canone memoratis, Ordina-

rii gaudeant facultate permittendi sacerdotibus ut *ter* Sacrificium Missae celebrent diebus Dominicis et festivis.

7. Ad promovendam responsabilitatem pastoralem in colendo apostolatu laicorum qui hodie plurimis obnoxii sunt tentationibus et oppositioni ex parte sectatorum atheismi, materialismi, aliorumque errorum qui quasi ubique grassantur, maxima cum sollicitudine commendamus ut Patres Concilii considerationem dirigant sequentibus thematibus:

a) ut laicis adultis praebeantur opportunitates prosequendi cursus speciales in doctrinis dogmaticis, philosophicis, historicis et moralibus iuxta normas Catholicas in scholis superioribus, praesertim collegiis et universitatibus Catholicis, ut efficacius praeparentur ad errores evitandos et refutandos. Institutiones istae speciales utilius offerri possunt horis vespertinis, ita ut etiam operarii iisdem frui possint;

b) ut maiori cum auctoritate et insistentia affirmetur obligatio erigendi ubique terrarum in qualibet paroecia Confraternitatem Doctrinae Christianae iuxta can. *C.I.C.* 711 § 1. In canone isto functiones sequentes utiliter recitentur: istructio puerorum ab anno sexto usque ad annum saltem decimum octavum, qui scholas Catholicas frequentare nequeunt; institutio familiarum in principiis et moribus vitae Catholicae, ita ut in qualibet domo inveniatur spiritus fundamentaliter religiosus; praeparatio *obligatoria* eorum qui matrimonium inire intendunt per conferentias quae suggeruntur per praesentiam Domini Nostri Iesu Christi eiusque Matris Beatissimae inter nuptias in civitate Cana Galileae, quae conferentiae apud nos vocantur « Pre-Cana Conferences »; institutio laicorum de variis rationibus in quibus cooperationem dare possunt in operibus quae per Confraternitatem foventur. Inter opera ista numerandus est apostolatus benevolentiae, quo acatholici invitantur ut intersint instructionibus circa doctrinam et vitam Catholicam eo fine ut, gratia fovente, ad Ecclesiam convertantur.

VII. *De formatione alumnorum ad vocationem sacerdotalem*

Tempore exsistenti Ecclesia nostra maxime premitur necessitate acquirendi alumnos numero ampliori qui signa dant vocationis supernaturalis ad statum clericalem et dignitatem sacerdotalem. Magis sentitur de die in diem veritas dicti Domini Nostri Iesu Christi: « Messis quidem multa, operarii autem pauci » (*Matt.* IX, 38). Quapropter maxime incumbit Ecclesiae eiusque pastoribus ut zelum suum dirigant ad multiplicandas vocationes ad sacerdotii dignitatem et ut pro viribus foveant et conservent tales vocationes per media spiritualia et scholastica iuxta

normas traditionales et progressivas. Ad finem talem promovendum forsan iuvabit in Actis Concilii includere proposita quae sequuntur.

1. Ne introductio progressiva linguae vernaculae in diversis Sacrae Liturgiae sollemnitatibus suspicionem inducat quod Lingua Latina de futuro gradatim in praxi Ecclesiae evanescat, fortius insistendum est ut alumni in Seminariis minoribus et maioribus Linguam Latinam summa cum perfectione ediscant. Ad hunc melius attingendum suadendum est ut, praeter cursus in Seminariis ipsis praescriptos, alumni temporibus vacationis frequentent scholas vel cursus in quibus indoles Linguae Latinae praesertim relate ad praxim liturgicam traditur. Cursus tales speciales iam exsistunt in variis locis sed eorum institutio in Seminariis vel scholis superioribus Catholicis magis colenda est.

2. Commendatione digna videtur introductio, Ordinario proprio consentiente, anni specialis post receptum Ordinem sacerdotii, in quo neo-sacerdos in seminario profundius instituatur in munere et praxi pastorali et in exercenda directione spirituali pro singulis personis et pro coetibus specialibus. In ista disciplina maxime suadendum est ut sacerdotes in audiendis confessionibus non sint contenti absolutionem tantum dando, sed occasionem capiant aliquam instructionem vel directionem spiritualem poenitenti tradendi. Durante isto anno suppletorio sacerdotibus permitti potest adiuvare parochos in ecclesiis ubi eorum servitium diebus Dominicis et festivis requiritur.

Devotissimus in Domino
✠ Iosephus F. Rummel
Archiepiscopus Novae Aureliae

68

Em.mi P. D. FRANCISCI Card. SPELLMAN
Archiepiscopi Neo-Eboracensis (New York)

11 februarii 1960

Eminentissime Princeps,

Mihi pergratum est animadversiones, consilia et vota de rebus quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent, Eminentiae Tuae communicare. Ad rem tractandam, materia dividitur in parte doctrinali et parte disciplinaria.

I. Quoad doctrinam

1. *De Laicorum Apostolatu*:

Ab initio Pontificatus Pii PP. X laicorum participatio in Apostolatu Ecclesiae modo semper crescenti inculcabatur. His ultimis annis momentum huius participationis speciali modo inculcabatur a Pio PP. XII per Litteras Encyclicas *Mystici Corporis* et *Mediator Dei* et per eius insisentiam in Actionis Catholicae diffusionem.

Fideles responderunt pleno corde invitationi hortationique Sanctae Sedis ut magis intime et magis active in Ecclesiae vita et in operibus Apostolatus participarent quod patet tum ex numero laicorum adsociationum semper crescenti tum ex fidelium desiderio ut sese Actioni Catholicae consociarent modo magis activo.

Dolendum tamen est aliquibus in casibus adsociationes istas propter incertitudinem de mandato de hierarchia accepto vel propter indeterminationem ipsius missionis, difficultates ecclesiis particularibus posuisse. Ut res bene ordinetur videtur Concilium Oecumenicum opportune dare expositionem profundiorem et clariorem de vita intima Ecclesiae et eius membrorum; de natura finibusque laicorum Apostolatus et de relatione ad hierarchiam; et de natura fidelium obligationis ut partem vere activam in hoc opus capiant.

Ut hic apostolatus vere fructuosus reddatur, fidelium participatio in Liturgia magis intima reddi debet — semper secundum populorum mores et consuetudines. Ita nostris in regionibus unio desideratissima inter sacerdotem celebrantem et fideles efficacius obtinetur usu librorum « Missalium » quam praxi Missae sic dictae « Dialogatae ».

2. *De Beata Maria Virgine*:

Expectatur expositio clarior de loco Beatae Mariae Virginis in Redemptionis oeconomia cum determinatione accurata de titulis « Co-Redemptrix » et « Omnium Gratiarum Mediatrix », ne apud libros populares, re vel potius verbis, obscuretur doctrina de Beatae Virginis dependentia a Christo.

3. *De Potestate Vicaria*:

Quaestio dogmatica de potestate Ecclesiae ad matrimonium ratum et consummatum dissolvendum congrue tractanda est a Concilio. Consideratio huius potestatis omnino logice sequitur ex dissolutionibus recenter concessis. Praxis hodierna dissolvendi matrimonium coram ecclesia celebratum inter partem catholicam et partem non baptiza-

tam logice conducit ad potestatem vicariam accuratius determinandam. In quantum notitia de dissolutione concessa in Causa « Monterey-Fresno » (res Ecclesiae omnino periculosa, mea opinione) latius diffunditur, ita frequentius quaestiones de dissolutione matrimonii rati et consummati orientur apud laicos.

II. Quoad disciplinam

1. *De unione Orientalium dissidentium*:

Ipse Summus Pontifex agens de Concilio Oecumenico momentum maximum attribuit reunioni omnium Christianorum et speciatim baptizatorum rituum Orientalium dissidentium. Differentiae dogmaticae inter Ecclesiam et Orientales dissidentes clare expositae sunt conciliis iam habitis, et praeprimis a Concilio Florentino, Tridentino et Vaticano ita ut nulla definitio dogmatica de his differentiis necessaria videatur. Ne reunio propter rationes tamen disciplinarias eis intercludatur, oportet Concilium confirmare praxim Ecclesiae permittentem ut Orientales consuetudines proprias et dispositionem rerum personarumque Ecclesiasticarum retinere possint, et suadetur iudicium Patrum Concilii de Ordinum Orientalium validitate. Reunione attenta, colloquia cum ipsis dissidentibus de re morali, dogmatica et disciplinaria exhortanda sunt ad difficultates practicas minuendas et ad ipsam spem reunionis augendam.

2. *De ipso Codice Iuris Canonici*:

Oportet edere alteram et recognitam editionem Codicis Iuris Canonici in qua includantur abrogationes, additiones, et modificationes effectae decretis, constitutionibus et interpretationibus authenticis quae post Codicis promulgationem editae sunt. Praesertim componendae sunt discrepantiae inter canones Codicis et praescripta Constitutionis « Provida Mater Ecclesia » anni 1936 de modo iudicialiter procedendi in causarum de nullitate matrimonii instructione.

Addendus est Codici novus liber i. e. Liber Sextus: De verborum significatione. Huius Libri Sexti additio esset res congrua et valde utilis. In Libro Decretalium inclusa erat talis sectio in qua significatio canonica verborum determinata erat. Tempore Codicis Iuris Canonici sectio huiusmodi (saltem ut pars separata) omittebatur, et significatio explicabatur et determinabatur cum verbum prima vice vel principaliter occurrit. Videtur tamen obscurationes multas hoc modo creari, e. g. de significationibus diversis verbi « publica » dum tractatur

de matrimonio, crimine, oratorio vel de cultu. Additione novi libri, uniformitas et certitudo de verborum significatione facilius obtineri po sunt.

3. *De Religiosis*:

Disciplina hodierna relationes inter Religiosos et Ordinarium regens parum correspondet praesentibus rerum adiunctis in quantum respicit participationem Religiosorum in vita dioecesana sive ad pueros educandos sive ad paroecias curandas. Religiosi, qui laborant intra dioecesis fines et in operibus quae re vera opera proprie dioecesana sunt nihilominus aliquomodo exempti sunt a iurisdictione Ordinarii loci.

Difficultas haec aggravatur propter Institutorum Constitutiones particulares, et propter Institutorum privilegia, aliquando ipsis religiosis incognita et quorum documenta nullibi inveniri possunt. Desiderandum est ut Ordinarii iurisdictio in Religiosos absoluta sit in quantum partem habent in operibus vere et directe dioecesanis.

4. *De Illegitimitatis Irregularitatis Abrogatione*:

Propter penuriam relativam sacerdotum abrogatio huius irregularitatis suadetur.

5. *De Matrimonii Impedimentis*:

Restauretur impedimentum Cultus Disparitatis uti existebat in iure ante Codicem. Argumenta tum pro tum contra bene cognoscuntur, sed videtur impedimentum iuris veteris habere fundamentum magis canonicum et rem minus scandalosam esse quam praxim nunc vigentem de dissolutione horum matrimoniorum; ulteriusque impedimentum hoc dogmatice facilius defendi potest quam praxis de dissolutione.

Abrogentur impedimenta gradus minoris quae, cum dispensentur etiamsi causa motiva falsa sit, historica potius quam utilia sunt.

Abrogetur etiam impedimentum raptus, quum periculum ad hoc impedimentum evitandum iam praevisum sit ex iuris praescriptis de nullitate matrimonii ex capite vis et metus.

Quaestio esset utrum melius esset impedimenta matrimonialia restringere ad illa ex lege naturali vel divina positiva orientia, ita ut abrogentur illa ex lege mere ecclesiastica exceptis semper impedimentis ex ordine sacerdotali et professione religiosa, ut minuatur admiratio fidelium ex dissolutione concessa propter haec impedimenta.

6. *De Librorum Prohibitione*:

Quamquam in doctrina radicatur, legislatio tamen de librorum prohibitione emendari oportet. Examinatis fidelium qualitatibus et activitatibus, consulitur ut ipse Index edatur de novo, ita ut classes librorum accuratius determinari et secundum exigentias restringi possint.

Facultates Quinquennales vigentes monent ne Episcopus facultatem de hac re agentem alteri subdeleget. Practice tamen facultas ista aliis delegari oportet e. g. Seminariorum vel Universitatum Studiorum Rectoribus ut licentiae in casibus occurrrentibus concedantur.

7. *De Rerum Ecclesiasticarum Alienatione*:

Legislatio vigens de bonorum ecclesiasticorum alienatione parum correspondet rerum praesentium adiunctis. Summa illam licentiam requirens nimis parva est. Consideratis negotiis huius generis in omni societate usitatis, licentia obtineri potest ab Ordinario pro bonis ecclesiasticis sub sua iurisdictione. Si vigilantia aliqua in iudicium Ordinarii desideretur tunc talis vigilantia exerceri possit a Metropolitano vel a Delegato vel Nuntio Apostolico.

Usus iste commendatur ex eo quod petitio ab aliqua natione longinqua de negotio aliquo in rem pecuniariam vix efficacius diiudicari potest peritis Romae quam ab illis in ipso loco negotiationis. Necessitas licentiam obtinendi secundum legem vigentem aliquibus in casibus admirationem et scandalum causat fidelibus.

8. *De Iudiciis*:

Includatur impedimentum aetatis defectus in processu summario de nullitate matrimonii.

Praescripta de tutela clarificari debent, ita ut accurate determinentur tum auctoritas competens ad tutelam valide instituendam tum casus in quibus tutor dari debet. Ad difficultates evitandas melius videtur iudici concedere potestatem dandi tutorem ad litem in illis causis coram se tractatis.

Essentialia de processu summario modo magis exacto determinare debent.

9. *De Censuris*:

Disciplina de censuris ecclesiasticis penitus emendari debet. Censurae vigentes confusionem creant quia fidelibus incognitae sunt et difficultates graves opponunt officio confessariorum. Censurae delicta cle-

ricorum et religiosorum plectentes retineri possunt, sed, ad fideles quod attinet, exceptis censuris inflictis propter delictum apostasiae, haeresis, matrimonium attentationis coram ministro acatholico et abortionis videntur omnes censurae melius « ab homine » esse.

Specialia de Statibus Foederatis

1. *De Sepultura Ecclesiastica*:

In hac Archidioecesi et verius in omnibus huius nationis partibus, legislatio nunc vigens de sepultura ecclesiastica occasionem multis vexationibus praebet. Coemeteriis deficientibus, vel valde longinquis, multi ex fidelibus solebant defunctos sepelire in coemeteriis acatholicis vel potius civilibus. Cum fideles tam aegre legem impleant praesertim illis locis quibus coemeteria valde longinqua sunt, melius est ut sepultura ecclesiastica respiciat Missam seu Liturgiam celebrandam, ita ut ipsa tumulatio in coemeteriis ecclesiasticis non habeatur tamquam pars integralis sepulturae ecclesiasticae.

2. *De Matrimoniis inter Diversos Ritus*:

Problema gravissimum pro Ecclesia hac in natione refert ad matrimonia rituum Orientalium fidelium qui matrimonium ineunt cum ritus latini catholicis. Multi ex his fidelibus nullam a tenerrimis annis societatem cum ritu proprio habuerunt, et plene ritum latinum observaverunt. Ex legibus vigentibus de paroecia vel ritu matrimonii, et de ritu infantium baptismatis, eorum animae turbantur et, proh dolor, aliquibus in casibus vera iracundia manifestatur nonobstante explanatione sincero corde a sacerdotibus ritus latini data. Oppositio his legibus vehemens est. Ut his difficultatibus pastoralibus terminum ponatur in bonum animarum aliqua iurisdictio dari oportet parochis utriusque ritus in illis casibus in quibus catholici ritus latini et orientalis matrimonium inter se contrahunt.

3. *De Binatione*:

Propter deficientiam sacerdotum facultas Ordinarii ad binationem vel trinationem permittendam extendi debet.

4. *De Loco Missae Celebrationis*:

Propter copiam fidelium potestas Ordinarii ad loca apta pro Missae celebratione designanda extendi debet.

5. *De Altaris Portatilis Privilegio*:

Quia multi sacerdotes ferias faciunt locis valde longinquis ab ecclesiis vel oratoriis, rogatur extensio privilegii Missam in altari portatili celebrandi.

6. *De Oleis Sacris*:

Secundum facultates nunc vigentes Ordinarii permittere possunt ut sacerdotes loco decenti olea sacra in cubiculis retineant. Sed ubi machina automobilistica, ut in societate nostra, res necessaria est, permissio extendi debet ita ut sacerdotes olea sacra apud se retinere possint dum proficiscuntur. Multae calamitates his machinis accidunt et, Deo providente, sacerdotes multoties praesto sunt, sed etiamsi animae muniantur absolutione sacramentali nihilominus sat frequenter illi afflicti moriuntur antequam olea sacra ad Extremam Unctionem necessaria trahi ab ecclesia possent.

7. *De Palmarum Benedictione*:

Propter consuetudines huius nationis fidelium petitur ut pars aliqua palmarum benedici possit in prima Missa celebrata Dominica II Passionis; benedictio solemnis Missa principali postea habita. Petitio de hac re his litteris includitur.

Interim, omnia fausta Tibi a Deo adprecans et benedictionem Domini in labores Commissionis Antepraeparatoriae implorans me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum

✠ FRANCISCUS Card. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

69

EXC.MI P. D. VINCENTII I. HINES
Episcopi Norvicensis (Norwich)

Die 27 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Litterae istius Pontificiae Commissionis Ordinario Norvicensi transmissae (1 C/59-929) *in vacatione sedis pervenerunt.* Infrascriptus novus Ordinarius nuper consecratus quae sequuntur libenti animo atque

omni sinceritate eaedem Commissioni generali quodam modo significanda submittit ut res quae in futuro Concilio tractari possint:

1. De defensione unitatis Ecclesiae contra errores schismaticos et divisionem ecclesiarum nationalium.

2. De usu linguae vernaculae in celebratione Missae catechumenorum et in administratione Sacramentorum necnon in recitatione privata Breviarii Romani.

3. De emendatione rationis studiorum in seminariis ut cleri ad vitam pastoralem modernam melius praeparentur.

4. De observantia formae canonicae matrimonii.

5. De reformatione regularum congregationum religiosarum mulierum ut iurisdictioni Ordinarii loci magis obstrictae sint.

Quae superius dicta istae Pont. Commissioni maxima cum reverentia submitto.

Interim omni qua par est reverentia me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum in Domino

✠ VINCENTIUS I. HINES
Episcopus Norvicensis

70

EXC.MI P. D. IACOBI I. NAVAGH
Episcopi Ogdensburgensis (Ogdensburg)

30 augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

In responsione ad invitationem Eminentiae Tuae consilia communicandi de rebus tractandis in oecumenico Concilio per Nostrum Sanctum Patrem, Ioannem Papam XXIII proxime convocando, vota mea pauca habentur.

Ex illis quae mihi referuntur ab aliis episcopis (in quantum omnino desunt orthodoxi viri in mea dioecesi), Sancti Patris convocatio ad unitatem magnum studium erexit apud christianos orthodoxos. Utile mihi videtur omnia possibilia in Concilio facere ad eos in unitatem cum Sancta Sede trahendos mediante eorum duces.

Studium etiam apud protestantes emersit a nuntio Sancti Patris. Attamen experientia mea aditum differentem quam pro orthodoxis suggerit. Plerique protestantes duces a me noti, ita ardenter sunt anti-catholici, ut idem vere dici non possit de ordinariis membris suarum eccle-

siarum. Insuper, e multis annis negotiorum cum protestantibus, dubito de influxu ducum protestantium ad sectatores in eorum viam dirigendos. In mea opinione, ergo, aditus ad protestantes debet in directa convocatione ad membra eorum ecclesiarum consistere, secundum principia in prima encyclica Nostri Sancti Patris enucleata.

Humillime et toto corde me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ IACOBUS I. NAVAGH
Episcopus Ogdensburgensis

71

EXC.MI P. D. VICTORIS REED

Episcopi Oklahomensis et Tulsensis (Oklahoma City e Tulsa)

Die 14 maii 1960

Eminentissime Pater,

Cum a me consilia, in Oecumenico Concilio proxime celebraturo examinanda, exquisieris, en quae ego humiliter proponenda existimo:

1. *A*) Ut auctoritas, qua Ecclesia pollet, dissolvendi matrimonii naturale vinculum tribunalibus inferioribus delegetur:

a) Sive erigendo nationale ecclesiasticum tribunal in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis pro causis Privilegium Fidei respicientibus;

b) sive maiorem potestatem Ordinariis locorum delegando pro dissolutione vinculi naturalis matrimonii.

B) Ut Sollemnitates, a iure statutae pro causis matrimonialibus instituendis, ad simpliciorem formam redigantur, dummodo normae iuridicae de probationibus acquirendis rite servatae fuerint.

C) Ut impedimentum matrimoniale mixtae religionis (de quo in canone 1060) clausula dirimente firmetur.

2. Ut leges de variis catholicis ritibus inter sese comparentur ad difficultates inter ipsos forte extantes facilius solvendas.

3. Ut praescripta iuris de indulgentiis acquirendis examini subiciantur ut discrepantiae quae frequenter occurrunt inter opus a lege praescriptum et ipsas indulgentias removeantur.

4. Ut usus linguae sic dictae « vernaculae » in sacris functionibus liturgicis magis ac magis augeatur.

5. Ut doctrina catholica, quae in Litteris Encyclicis Pii Pp. XII: « Mystici Corporis » et « Mediator Dei » continetur, in formam decretorum Concilii redigatur necnon ut eadem doctrina fusius explicetur praesertim quoad membra Ecclesiae.

6. Ut statutum legis de admittendo alumno, qui religiosae familiae olim adscriptus fuerit, in dioecesanum seminarium amplius explanetur.

7. Ut doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum profundius expendatur.

Fausta Tibi quaeque devotissime adprecans, me humiliter profiteor

Tibi addictissimum in Christo
✠ Victor Reed
Episcopus Oklahomensis et Tulsensis

72

Exc.mi P. D. GERALDI T. BERGAN
Archiepiscopi Omahensis (Omaha)

Die 14 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Quo litteris detur responsum die 21 martii editis, ex animo doleo me ad epistolam anno proxime elapso ad me missam ideo non rescripsisse quia male intellexeram. Mihi enim id temporis episcopis liberum permitti videbatur ut pro lubito materiam, si quam haberent gravioris momenti, transmittendam curarent a Concilio discutiendam; quodsi episcopus nihil haberet rebus adiciendum a Concilio volvendis non esse necesse ut rescriberet.

Ego Archiepiscopus, humili praefectus archidioecesi mediis partibus Foederatarum Americae Septentrionalis Civitatum existenti, neque inter theologos neque inter doctores sanctae Matris Ecclesiae connumeratus, arduas quaestiones a Concilio tractandas Cardinalibus et praeclaris viris doctis undique terrarum convolaturis relinquo, quaecumque decreta fuerint libentissime amplexurus.

Quum tamen quaestiones sollicitentur discutiendae, velim quae sequitur duplicem proponere:

1. Quum ex toto corde approbem quod fideles in liturgia sanctae Matris Ecclesiae magis quam antea partes agant, spero fore ut, sermone

latino praecipua ex parte retento, quanta potuerit facultas concedatur cultum lingua vulgari exercendi.

2. Velim proponere, si quae mutanda fuerint in Breviario, ne officia habeantur ex iis mixta quae litteris A et B designari solent. Non parum enim perturbationis oritur cum Matutinum et Laudes Solemnia. Horae Minores feriales, Vesperae modo solemnes sunt, modo autem feriales.

Liceat mihi sperare, dum observantiam testor quam intimo cordi foveo insitam, fore ut haec epistola satis desideratis faciat.

Addictissimus tuus
✠ GERALDUS T. BERGAN
Archiepiscopus Omahensis

73

EXC.MI P. D. FRANCISCI COTTON
Episcopi Ovensburgensis (Owensboro)

Datum Owensburgho, hac die 30 martii anno 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Pergratum est mihi Eminentissimae Tuae significare de notitiis acceptis quod Summus Pontifex Noster Ioannes XXIII Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico instituit, et quod Augustus Pontifex opiniones, consilia et vota Episcoporum et Praelatorum de quibus in Canone 223 desiderat.

Nos, infrascriptus Episcopus Ovensburgensis, necnon omnes clerici, religiosi, et laici Nostrae dioecesis, magno cum gaudio accipimus notitiam de dicto Concilio futuro et ex bono corde et animo Eum approbamus.

Ego autem, primus episcopus huius dioecesis Ovensburgensis missionariae relative noviter erectae, multum haesito ad subeundas animadversiones speciales circa res, doctrinam, vel disciplinam, quae in futuro Concilio tractari debent. Et in Nostra dioecesi pauci sunt sacerdotes et periti ad suggerenda capita circa tales res omnino absunt.

Interim sacram Purpuram reverenter deosculor.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini
addictissimus famulus
✠ FRANCISCUS COTTON
Episcopus Ovensburgensis

74

EXC.MI P. D. IACOBI A. McNULTY

Episcopi Patersonensis (Paterson)

Die 25 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Placet mihi responsum dare tuis litteris magno aestimatis, die 21 martii 1960 datis, in quibus rogabas me ut communicarem animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent; et sequentia nunc praebeo:

1. In Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Catholici cum acatholici non solum habent commercium, sed etiam multas familiaritatis necessitudines. Nostri sacerdotes seniores strictam accipiant legem qua fideles sacris acatholicis adesse sinantur, e. g. nuptiis, exsequiis et Bar Mitzvah. Sacerdotes iuniores, tamen, erga interpretationem benignam de « causa gravi » in lege de hac re inclinatiores sunt. Ipsi dicunt fideles his sacris adesse sini, ut amicitias et bonas vicinias honorent et colant. Tractatio de hac quaestione in Concilio nobis utilis esset.

2. Litterae Encyclicae *Mediator Dei,* Pii Papae XII, beatissimae memoriae, et Instructio de Sacra Musica et Sacra Liturgia diei 3 septembris 1958, dans regulas pro participatione fidelium in sancto sacrificio Missae, fructus bonos tulerunt. Alia instructio de Mystico Corpore Christi et de divino cultu ad confirmandos et excitandos fideles in adorando Deum omnipotentem per sublimem Missae sacrificium conduceret.

Impensos aestimationis meae sensus Tibi pando et permaneo,

Excellentiae Tuae Reverendissimae

devotissimus in Christo

✠ IACOBUS A. MCNULTY

Episcopus Patersonensis

75

EM.MI P. D. IOANNIS F. CARD. O'HARA

Archiepiscopi Philadelphiensis Latinorum (Philadelphia)

Die 18 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine mi Obs.me,

Mihi summopere placet respondere litteris Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 18 iunii currentis anni, N. 1 C/59-51, circa quaestiones in futuro Concilio Oecumenico tractandas. Consultatione peracta cum aliquibus ex prudentioribus sacerdotibus huius Archidioeceseos Philadelphiensis mihi gratum est heic enumerare res diversas quae forsan in Concilio opportune discuti possint. Plane apparet aliquas quaestiones propositas aptius tractaturas in revisione Codicis Iuris Canonici vel a Sacris Dicasteriis Apostolicae Sedis, ideoque Eminentiae Tuae prudenti arbitrio earundem dispositionem relinquo.

Circa Doctrinam Catholicam.

1. Ad fovendam et facilius spem Augusti Pontificis de unitate populorum in sinu Ecclesiae Christi exsequendam peropportunum mihi videtur perennem et hodiernam imaginem Ecclesiae ut Corporis Christi Mystici describere. Revera doctrina de Corpore Mystico se praestat ut clavem theologicam qua porta ad unitatem tantum desideratam aperiatur. Forsan Concilium apte considerare posset ulteriorem explanationem dicti theologici « Extra Ecclesiam nulla salus », speciatim quoad acatholicos baptizatos.

2. Ad minutius depingendam hanc veram imaginem Ecclesiae opportunum duco definire doctrinae capita de Ecclesia quae iam in schemate Concilii Vaticani inveniuntur, nempe:

a) Christus Dominus Ecclesiam Suam ut societatem veram, visibilem, et externam instituit.

b) Christus Ecclesiam ut societatem Hierarchicam instituit, Apostolis conferendo triplicem potestatem docendi, regendi, et fideles sanctificandi.

c) Episcopi collegialiter sumpti, sunt iure divino Apostolorum successores in docendo, regendo, et fideles sanctificando.

d) Corpus seu collegium Episcoporum una cum Romano Pontifice est infallibile in magisterio Ecclesiae exercendo sive ordinario sixe extraordinario (i. e. in Concilio Oecumenico).

3. Doctrinam Ecclesiae definire circa obiecta secundaria infallibilitatis.

4. Naturam infallibilitatis SS. Scripturarum definire, ut hic Revelationis fons illustretur et defendatur a vera Ecclesia Christi in his nostris temporibus quando valor Scripturarum ab acatholicis parvi penditur vel reicitur.

5. Authentice et diffusius disserere de relationibus et functionibus Ecclesiae Christi cum societate contemporanea, delineando nempe:

a) Quod Ecclesia Christi salvis doctrinis et legibus propriis sese conformare potest exigentiis et diversis linguis, usibus et moribus civilibus populorum; nec eorum impedit legitimorum finium naturalium assecutioni, imo favet. Declaretur insuper mens Ecclesiae erga sic dictum « colonialismum » et « imperialismum »;

b) quod Ecclesia minime cum communismo atheistico convivere valeat, nec accipere vel tolerare possit hodierna systemata philosophica falsa;

c) quaenam sint normae practicae tolerantiae pro his qui convivere debent cum sectis acatholicis, tum in nationibus catholicis tum in nationibus mixtarum religionum;

d) quaenam sit authentica et contemporanea Ecclesiae doctrina circa unionem Ecclesiae et Status, praesertim in iis nationibus ubi separatio utriusque vi legis civilis iam viget.

6. Solemniter primarium finem supernaturalem Ecclesiae affirmare, gloriam Dei nempe et animarum salutem, in multimoda sua actuositate ut in scholis catholicis, Actione Catholica, rebus socialibus, et operibus inter iuvenes.

7. Iterare doctrinam Catholicam circa legem naturalem et iura humana.

8. Emanare recensionem confirmativam Decreti « Lamentabili » diei 3 iulii 1907, ut fructuosius et efficacius adhibeatur contra errores et aberrationes nostri temporis; ac praesertim propositionem sextam eiusdem Decreti circa Ecclesiam docentem et discentem corroborare.

Circa Disciplinam Populi Christiani.

1. Principia catholica de vita familiae Christianae inculcare, speciatim relate ad hodiernam vitam in magnis urbibus ubi tam facile adimpletio obligationum genitorum et filiorum negligitur, et reverentia et amor filialis frequenter deest in cura senum, aegrotorum et pauperum propriae familiae.

2. Enucleare principia moralitatis catholicae circa oblectationes ho-

diernas ut radiophonium, televisionem, opera theatralia et cinematographica.

3. Confirmare, salva auctoritate suprema Apostolicae Sedis, potestatem hierarchicam et ius advigilandi in apostolatum laicatus Catholici, et in alia opera Catholica sive nationalia sive internationalia.

4. Commendare accuratam et completam institutionem catecheticam pro neophytis, et similiter pro nupturientibus in matrimoniis mixtis.

5. Enixe commendare opus educationis catholicae, propriis scholis Catholicis tradendum, iuxta locorum circumstantias et exigentias.

6. Invitare populum Christianum ad maiorem sanctificationem diei dominicae; et quaestiones dirimere de conceptu theologico operis servilis.

7. Expolire iuxta exigentias hodiernas Indicem Librorum Prohibitorum, et concedere Ordinariis locorum ampliorem potestatem dandi licentiam eos legendi et retinendi.

Circa Disciplinam Cleri.

1. Perscrutari studiorum cursus in seminariis, ut disciplinae reapse ecclesiasticae, scilicet theologicae, philosophicae et litterariae, integre conserventur iuxta normas Apostolicae Sedis et probatas traditiones.

2. Iterare praescripta Apostolicae Sedis de usu linguae latinae pro Sancta Missa et Officio Divino.

3. Latius concedere privilegium altaris portabilis, praesertim ut populus facilius Sacram Missam auscultet in locis dissitis et missionibus ubi nondum exstant ecclesiae. Facultates in hac re Ordinariis locorum concedere.

Circa negotia maioris momenti quae Ecclesia obire hodiernis debet temporibus.

1. Denuo declarare principia moralia catholica circa limitationem artificiosam familiarum, non solum relate ad conscientias individuorum, sed prorsus reiciendo talem systematicam limitationem quae nostris diebus propugnatur ut unica solutio practica in difficultatibus et angustiis demographicis, oeconomicis et politicis nationum minus opulentarum quae numerosa populatione gravantur.

2. Tractare de proprietatibus essentialibus matrimonii, et de malo divortii.

3. Noviter declarare et ad hodiernae necessitates accommodare principia catholica de iuribus et officiis datorum operis et operariorum.

Circa Sacramenta et Liturgiam.

1. Tempus pro ordinibus sacris conferendis extendere, ita ut festa duplicia primae vel secundae classis, vel dies sabbatorum sub finem anni scholastici, infra tempora ordinationum sacrarum iure communi praescripta includantur.

2. Accuratius declarare relationem inter characterem Sacramenti Confirmationis et Apostolatum laicum.

3. Permittere administrationem Sacrae Communionis degentibus in nosocomiis etiam horis postmeridianis et serotinis, praesertim in nosocomiis acatholicis. Horis matutinis accessus ad aegrotos saepe perdifficilis evadit propter curam medicam et praxim vigentem in nosocomiis.

4. Concedere facultatem confirmandi in periculo mortis omnibus sacerdotibus qui morientibus adsistunt eisque alia sacramenta conferunt.

5. Concedere facultatem celebrandi in ecclesiis paroecialibus unam Missam lectam, horis quidem matutinis Feriae Quintae in Coena Domini, in qua, sive continuo vel statim ab ea expleta, Sacra Communio fidelibus distribui liceat; et etiam in Missa Chrismatis in ecclesia cathedrali habita Christifideles ad Sacram Synaxim accedere valeant.

6. Concedere omnibus sacerdotibus facultatem Missam celebrandi Feria Quinta Hebdomadae Maioris, quin praeiudicetur Liturgia solemnis horis serotinis celebranda.

7. Considerare opportunitatem iterum permittendi fidelibus accessum ad Sacram Communionem Sabbato Sancto.

8. Abbreviare formularium pro administratione Extremae Unctionis.

9. Redigere novam formulam simpliciorem et breviorem in abiuratione pro conversis ab haeresi et schismate.

10. Ampliare seriem Epistolarum et Evangeliorum pro Missis dominicalibus ut cyclus completus extendatur per tres vel quattuor annos.

Circa Ius Canonicum.

1. In nationibus mixti ritus maiorem libertatem concedere in administratione sacramentorum fidelibus alieni ritus, praesertim baptismi et matrimonii, quin ritus mutationem secumferat.

2. Ponderare an conveniat constituere impedimentum mixtae religionis ut impedimentum dirimens. Revera periculum perversionis saepe saepius maius exstat in casibus mixtae religionis quam in casibus disparitatis cultus.

3. Concedere Ordinariis locorum facultatem permittendi Missam binatam etiam diebus ferialibus ut missa postmeridiana haberi possit, vel ob alias causas consuetas.

4. Concedere Ordinariis locorum facultatem permittendi ut actor acatholicus stet in iudicio.

Interea Eminentiae Tuae manus humillime deosculor meque profunda veneratione profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae

add.mum et dev.mum servum verum

✠ IOANNES F. Card. O'HARA

Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

76

EXC.MI P. D. CONSTANTINI BOHACHEVSKY

Archiepiscopi Philadelphiensis Ruthenorum (Philadelphia)

Die 29 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Honori mihi duco significare Eminentiae Vestrae me recepisse litteras diei 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1023. Post debitam deliberationem audito, discreta ratione, consilio quorundam virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium sequentia proponere audeo:

Ut introducatur obligatio recitandi quotidianum Divinum Officium pro omnibus clericis saecularibus ritus orientalis.

Ut Concilium Oecumenicum condamnet persecutionem atheisticam communistarum saevientem in pluribus partibus terrae.

Ut petitiones mutandi ritum decidantur ab Ordinario a quo.

Ut proprius parochus facultatem habeat permittendi unicuique catholico sacerdoti ut sui subditi Baptismum perficiat existente rationabili causa. Persona tali modo baptizata sequi debet ritum sui patris.

Hisce animadversionibus submissis, voveo me paratum esse stare pro suprema decisione quae Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico facere dignabitur.

Sacram Vestrae Eminentiae Purpuram exosculans, remaneo

humillimus in Christo servus

✠ CONSTANTINUS BOHACHEVSKY

Archiepiscopus Philadelphiensis Ruthenorum

77

EXC.MI P. D. IOANNIS I. WRIGHT

Episcopi Pittsburgensis (Pittsburgh)

May 2, 1960

Your Eminence,

In response to the invitation of the Holy Father and the Commission for which Your Eminence writes, I beg leave to submit the following topics for possible consideration to be included among questions discussed in preparation for or during the Oecumenical Council.

1. The place of Sacred Scripture in the devotional life and the theological sources of the Church. In making this suggestion I have in mind the relationship of such a question both to studies in positive theology within the Church and in the appeal to those persons or groups separated from the Church but still professing devotion to the Scriptures. I also have in mind the desirability that preaching and spiritual direction acquire one again a more strongly Scriptural basis and spirit, particularly in our times.

2. I would hope that the Council include strong reference to the Catholic understanding of the Providence of God in history and human affairs; this with particular reference to the probleme of the so-called « exploding population » question and the question of warfare.

3. I suggest that questions of Peace and War, conscientious obiectives, pacificism and the like be questions studied especially in view of the grave confusion among Christians with respect to these matters in an age of atomic warfare.

4. I raise the question as to whether an Oecumenical Council might be the proper place to clarify the questions respecting change of rite, in marriage and related matters as between Catholics of Latin Rite and those of the Oriental Rites. These questions take on special urgency over all the world at the moment because or the large number of displased persons; in our own country they are delicate because of the assimilation of many Eastern Europeans into civil and cultural communities traditionally dominated by Western European cultures.

With great respect and with earnest prayer that God's grace may accompany the deliberation the subjects pose, I am

Faithfully in Christ
✠ JOHN I. WRIGHT
Bishop of Pittsburgh

78

Exc.mi P. D. DANIELIS I. FEENEY
Episcopi Portlandensis (Portland)

Die 11 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Accedendo voto expresso in epistola tua sequentes sententias et opiniones submitto:

1. Reaffirmatio veritatum quas Ecclesia ab initio semper et pro semper docuit, nempe: Unitatem et Trinitatem Dei, Incarnationem et Redemptionem, constitutionem hierarchiam Ecclesiae, Sacras Scripturas ut verbum inspiratum Dei, sacramenta quae gratiam conferunt; paucis verbis, declarationem coram mundo Ecclesiam esse Ipsum Christum apud nos.

Talis proclamatio his temporibus incredulitatis ac indifferentismi, excitabit admirationem mundi quando divulgabitur in diariis quotidianis et ephemeridibus in toto orbe terrarum.

2. Quod attinet ad cultum publicum, media ut laici se immisceant modo plus activo in officiis publicis cultus divini per usum linguae vernacularis et per actiones. Non obstante progressu iam effecto in rebus liturgicis, multum adhuc desiderandum est.

3. Invitatio ad illos a nobis separatos ut per modum « dialogi », ut hodie aiunt, media inveniantur ad cognoscendum eorum mentes et sententias in rebus religiosis, nam viget evidentia esse desiderium apud omnes Christianas ad maiorem unitatem.

4. Investigatio de modo operandi in relationibus inter Statum civilem et Ecclesiam.

5. Relaxatio disciplinae severioris tractando de sacerdotibus qui tarde detegunt se esse inaptos ad opus sacerdotii perficiendum. In aliquibus casibus est spes bene fundata eos valde utiles fore Ecclesiae ut laici pii et activi.

6. Legislatio ne honores tum ecclesiastici tum civiles multiplicentur. Habeatur proportio quaedam meriti ut hi honores maius sint appretiati.

Credo quod maximus fructus Concilii erit Ecclesiam considerari organum viventes et activum et non reliquiam temporum praeteritorum.

Submittendo has simplices sententias Eminentiae Tuae Ill.mae et Rev.mae, maneo

Addictissimus in Christo Domino
✠ Daniel I. Feeney
Episcopus Portlandensis

79

EXC.MI P. D. EDUARDI D. HOWARD

Archiepiscopi Portlandensis in Oregon (Portland in Oregon)

Die 22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Mihi Archiepiscopo Portlandensi in Oregon, discreto etiam adhibito consilio quod Eminentia Tua suasit adhibendum, desideranda videntur haec:

1. Regalitas D. N. I. C. sollemniter proclametur ad insolentiam invalescentis laicismi compescendam.

2. Ad « horam Mariae » maturandam, quae duplicem impetret gratiam, videlicet unionem Ecclesiarum et pacem inter Nationes, definiatur dogma de Maria Mediatrice omnium gratiarum (cf. Votum Concilii Provincialis V Portlandensis in Oregon, transmissum ad Pium PP. XII die 18 iunii 1957).

3. Ad Concilium fratres dissidentes invitentur quam calentissime, in verbo Domini: « Compelle intrare » (*Luc*. XIV, 23).

4. Ad infidelium fovendam conversionem, vinculum aliquod instituatur, caritativum simul et oeconomicum (more Paulino), inter territoria missionum et dioeceses.

5. Ad absolvendam reformationem liturgicam: Pascha fixetur; refusis Additionibus et Variationibus, rubricae simpliciores redigantur in unum, numero signandae progressivo sicut canones *C.I.C.;* item codificentur decreta Collectaneae S. C. Rituum; Officium Sanctorale limitetur adhuc, ita ut cultu universali colantur ii solum Sancti qui revera sint universales, ceteri autem (more primaevo) cultu tantum locali, in sua quisque dioecesi vel instituto religioso; Breviarii recitatio individualis paulo magis discrimetur a recitatione chorali, logica quidem discriminatione (praeterquam phonica); Psalterium ita recognoscatur ut et versionis novae conservet perspicuitatem et versionis veteris non amittat efficacitatem; idem Psalterium distribuatur per duas saltem hebdomadas (more Ambrosiano); homilia quaedam locum cedant aliis quae sint temporibus nostris magis « praedicabiles ».

6. Ad efformandum clerum, redigendi curentur et edendi textus scholastici sobrii, lucidi, perspicui, scientifice ac didactice praestantes, qui non aërem verberent: textus biblici (curante P. Instituto Biblico), textus theologici et subsidiarii (curante S. C. de Seminariis et, respective, S. C. de Religiosis); textus non quidem imperandi, suadendi et commendandi.

7. Clausula restrictiva potestatis Ordinarii: « ... non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere » (can. 806, § 2) deleatur.

8. Processus « coram unico iudice », notus Cod. Orientali (can. 453-467), in Codicem latinum quoque recipiatur.

9. « Ministri » heterodoxi, qui voluerint, abiurata haeresi, Ecclesiam Catholicam ingredi, possint ordinari diaconi et dioecesibus incardinari ibique diaconatum exercere, manentes uxorati. Quod in America non difficile videtur. Nam (ut rescripsi ad S. S. C. S. Officii):

Nullae praevidentur reactiones negativae: nec apud catholicos, utique opportune praemonendos et ad benevolentiam iam praedispositos; nec apud « protestantes », qui mirari non poterunt nisi S. R. Ecclesiae novissimam benignitatem.

Ipsi convertendi poterunt incumbere saltem per annum in studium Theologiae fundamentalis, ut praedicare possint et docere necnon acatholicorum refellere obiectiones (pari fere in gradu sistentes in quo Fratres a Scholis Christianis, melius tamen callentes Apologeticam).

Incardinabuntur utique cum omnibus incardinationis consectariis, tum circa commorationem tum circa eventuales migrationes.

Ea quidem lege incardinabuntur, ut ad presbyteratum ascendere nequeant, nisi forte post obitum uxoris; suppletis utique studiis (iuxta regulam Collegii Bedae).

Munera quaeque diaconalia poterunt explere, praesertim catechizare et praedicare; tum praeterea, si casus ferat, administrare temporalia, archivum et libros paroeciales curare, in scholis paroecialibus docere. Immo de schola vivent, praeferendi laicis tot, qui eadem percipiunt emolumenta quae in scholis publicis. Utique salarium etiam familiare, antequam incardinentur definiendum erit, et quidem tuto.

Tuam deosculor S. Purpuram devota mente in Domino.

✠ EDUARDUS D. HOWARD
Archiepiscopus Portlandensis in Oregon

* * *

Die 15 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Praeter cetera id quoque ex Concilio Oecumenico speratur:

S. Ioseph ingrediatur Canonem Missae, et quidem proximus a B. V. Maria.

Ad osculum S. Purpurae inclinatus devotissima mente,

✠ EDUARDUS D. HOWARD
Archiepiscopus Portlandensis in Oregon

80

Exc.mi P. D. CAROLI BUSWELL
Episcopi Pueblensis (Pueblo)

29 aprilis 1960

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Cum tempore quo litterae diei 18 iunii 1959 ad hanc sedem pervenerunt, sedes episcopo vacaret et cum nonnisi die 8 augusti nominatio et die 30 mensis septembris mea episcopalis consecratio evenirent, proinde die 6 mensis octobris 1959 dioeceseos possessionem ceperim, unde prorsus causa dilationis in responsione cuius alioquin tempus utile iam elapsum iudicabam.

Responsio mea erit brevis quantum ad animadversiones, vota et consilia circa res et argumenta tractanda in futuro concilio, quippe quod nuper episcopatum inceperim et haec nostra dioecesis non diu constituta fuit, eiusque compositio quamvis ordinata et territorialiter extensa tamen non est complexa.

Attamen enixe mea vota velim addenda his Americae Septemtrionalis episcoporum qui cum re liturgica maxime rationem habent, ita ut instructio Sacrae Congregationis Rituum anni 1958 magis ac plenius a fidelibus dignoscatur et intelligatur, necnon et huius instructionis praescripta ad praxim adamussim reducantur, exoptantes ut tandem aliquando fideles etiam pueri conscii participes efficiantur dum Sacrae Synaxi adsunt.

Votum nostrum est etiam, maxima qua par est cum reverentia erga augustissimum mysterium sed cum vera sollicitudine de spirituali animarum bono, ut in liturgica actione fidelibus in nostris regionibus privilegium concedatur utendi lingua loci et in casu lingua anglica saltem eo gradu et extensione qua conceditur privilegium ubilibet in orbe.

De re canonica, cum in causis matrimonialibus saepe accidat ut oratores diutius expectare debeant dum minutissima investigatio et formalitates processuum cursum tenent, cuperem suggerere ut peritiores studium instituant si quo minus ad novissimam sententiam citius pervenire possit.

Denique, quoad studia et methodum in ecclesiasticis disciplinis exponendis in seminariis et universitatibus omni modo insto ut investigatio et expositio philosophica et theologica ad mentem Sancti Thomae fiat etiam nostris temporibus quamvis physica phenomena et etiam spatio-

rum mysteria in dies melius ab hominibus cognoscantur siquidem nulla datur magis adaequata ratio pro existentia et rebus quam illa Aquinatis: « Esse est actualitas omnium actuum, et propter hoc est perfectio omnium perfectionum », quae plenitudo essendi pertinet ad Deum, in quo omnes vivimus, movemur et sumus.

De cetero Deum quotidie precor ut patribus Commissionis Antepraeparatoriae viam monstret mentesque dirigat ut eorum rationes et labores ad maiorem Dei et Matris Ecclesiae honorem et gloriam fortunate eveniant.

✠ Carolus A. Buswell
Episcopus Pueblensis

81

Exc.mi P. D. VINCENTII S. WATERS
Episcopi Raleighiensis (Raleigh)

Romae, die 17 augusti 1959

Eminentissime ac Rev.me Domine,

Superiori Communicationi diei 18 iunii 1959 huius Ven. Commissionis his paucis respondere mihi in honore est:

1. Motum excitare ad fovendum et instaurandum spiritum religiosum (religionem) in familiis christianis.

2. Praecipere ut cursus Theologicus absolvatur non minus quam quinque annis, ut studia circa societatem et scientias ampliorem locum obtineant; itemque omnes ecclesiasticas disciplinas excutere (retractare) eo fine ut ad usum magis accommodatae evadant ministerii pastoralis futuri sacerdotis.

3. Strictius ad effectum adducere quae canon 1374 praescribit et instructio Episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis admonet (Coll. P. F. n. 1449).

4. Praescripta efficienita edere contra evulgatam immodestiam.

5. Seria et gravis disputatio et inquisitio ac definitio de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

6. Vera notio et definitio humanae libertatis.

Optima omina praebens ut felicem atque optabilem exitum habeant, quae improbo labore haec Ven. Commissio peragit.

Tuae Eminentiae Rev.mae
addictissimus in Domino
✠ Vincentius S. Waters
Episcopus Raleighiensis

82

Exc.mi P. D. GULIELMI T. McCARTY
Episcopi Rapidopolitani (Rapid City)

Die 4 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratias tibi ago pro epistola tua circa Concilium Oecumenicum.

Spero hoc Concilium fore optimam benedictionem pro Ecclesia et toto mundo. Preces et Missas in nostra dioecesi offerimus pro felicissimo exitu huius Concilii.

Subiecta, quae proposuit Papa Noster Ioannes XXIII pro consideratione in Concilio sunt valde opportuna, necessaria et comprehensiva pro Ecclesia et toto mundo in nostra aetate.

Deus benedicat hoc Concilium et Maria Immaculata intercedat pro omnibus in eo participantibus.

Iterum gratias tibi ago cum spe te videndi Romae.

✠ Gulielmus T. McCarty
Episcopus Rapidopolitanus

83

Exc.mi P. D. ROBERTI I. DWYER
Episcopi Renensis (Reno)

Die 27 aprilis 1960

1. Iudicium de *libertate,* non modo religiosa sed etiam civili et politica, quae tam ad catholicos quam ad acatholicos attinet, Concilium futurum Oecumenicum ferre debet. Omnia, quae in *syllabo errorum* Pii IX f. m., inveniri possunt, haud dubie othodoxa et germana sunt. Permulti, autem, hodiernis diebus, qui pertimescunt ne Ecclesia Romana auctoritatem suam interponat tali modo ut, occasione data, conscientiae libertatem tollat illisque socialem deneget. Ut interpretationem hanc, sive sinistram sive malevolam, de Ecclesiae sollicitudine circa libertatem plenam conscientiae iuriumque politicorum acatholicorum auferamus, formula quaedam nova hac de re constituenda est.

2. Ut Concilii Vaticani opus perficiatur, Concilium Oecumenicum describat naturam officii sive muneris Episcoporum sacramentalem indicetque quam potestatem certam et determinatam officium Episcoporum sibi adnexam habeat. Episcoporum iura, v. g., circa religiosos necnon auctoritas Ordinariorum loci in rebus matrimonialibus praesertim in illis quae ad sacramentum attinent, sunt definienda.

3. Usus et indulgentiarum tractatio (non autem doctrina), emendetur et corrigatur. Privilegia, quae nunc tantum ad religiosos attinent, Episcopis omnibus ad bonum fidelium dari debent.

4. Ut praecones prudentiores et facundiores verbum Dei fidelibus nuntiare possint, Sacrae Scripturae pericopae selectae in diebus dominicis ad fideles lectae Christi vitam, logica et composita dispositione, totam includere debeant. Parochi et omnes, qui animarum curam habent, diebus dominicis omnibus ceterisque per annum festis de praecepto intra omnes Missas sub gravi praedicare requirantur.

5. Officium Divinum, seu Horae Canonicae, salvis clericorum monasticorum et religiosorum privilegiis et iuribus, in ordinem talem redigatur ut Testamentum tam Vetus quam Novum a carceribus usque ad calcem quotannis legi possint. Lectione psalterii et vitae sanctorum natura atque vis Officii Divini conservabitur.

6. Non modo ut admiratio sed etiam ut scrupulositas evitetur, praescripta Can. 138 et seq., de iis quae statum clericalem dedecent, intentis oculis sunt contemplanda. Quamquam negotiatio prohibeatur, quid de pecunia bene collocata, de aere alieno publice contracto aliisque similiter (v. d. investiments by clerics of their own personal money in government or other approved stocks and bonds)?

7. Brevi Summula et explicatione circumscripta « Educationis Catholicae » indigemus. Non paucae urbes et oppida sunt quae, ob fidelium paucitatem, scholas, sive elementarias sive medias sive superiores, catholicas providere, ut videtur, non queunt. E contra, multae sunt scholae a re publica conditae, quas, periculo perversionis a loci Ordinario vitato, pueri catholici frequentare possunt.

✠ ROBERTUS I. DWYER
Episcopus Renensis

84

EXC.MI P. D. IOANNIS J. RUSSEL

Episcopi Richmondiensis (Richmond)

Die 16 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Responsionem litteris Tuis die 18 iunii datis hisce transmitto cum animadversionibus meis de rebus futuro Concilio pertinentibus.

1. Estne optanda definitio vel explicatio exacta Apostolatus Laicorum in Corpore Mystico necnon clarificatio characteris recepti in Sacramentis Baptismi et Confirmationis in relatione ad Sacerdotium?

2. Relatio clarificanda est inter Ecclesiam et Statum in mundo moderno. Propter formationem nationum novarum, gubernationum democraticarum et dictaturarum, novae conditiones praevalent et vetera vera principia novis conditionibus et circumstantiis applicari debent.

3. Si recitatio Officii Divini in lingua vernacula permittetur, preces Breviarii multo uberrimae in vita spirituali sacerdotum et utiliores in praedicatione et fidelium instructione fuissent.

4. In quaestione maximi momenti belli totalis principia iudicari et explicari debent propter directionem, informationem educationemque populorum et nationum de nuclearis pyrobolis et destructione terribili et quasi-universali ex eis eventura.

5. Continuatio discussionum Concilii Vaticani de Infallibilitate Romani Pontificis et Ecclesiae, declaratio ipsius applicationis litteris encyclicis et aliis documentis.

6. In seminariis maioribus requiri debent cursus de rebus scientificis, de relationibus inter laborem et administrationem, et de actione sociali ut sacerdotes educationi laicorum aequiparentur vel saltem conversationes intelligentes de his rebus cum eis habere possint.

Omni quo par est obsequio prosequor meque profiteor

Excellentiae Tuae Rev.mae
addictissimum

✠ IOANNES J. RUSSEL
Episcopus Richmondiensis

85

EXC.MI P. D. IACOBI E. KEARNEY

Episcopi Roffensis in America (Rochester)

Die 13 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Summi Pontificis atque Eminentiae Tuae votis libentissimo animo adquiescens, haec quae sequuntur communicare censui Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Nullum mihi videtur doctrinae Catholicae caput praecipuum, quod a Concilio diutius tractari vel definiri necesse sit. Sentio tamen ut ea principia doctrinalia quae problemata *libertatis conscientiae et religionis,* ut aiunt, attingunt, denuo examinentur et clarius pro temporis adiunctis et necessitatibus formulentur.

Ceterum, puto Concilium imprimis argumenta tractare oportere de disciplina cleri et de apostolatu pastorali.

1. Formatio clericorum in Seminariis adaptetur exigentiis modernis. Quare, Episcopis maior tribuatur libertas in toto programmate Seminariorum statuendo, tum quoad usum linguae vernaculae in lectionibus, tum quoad usurpandum auxilium diaconorum inferiorumque clericorum in officiliis paroecialibus ut praxim quamdam attingant pastoralem ante ordinationem sacerdotalem. Nimis namque rigidum adhuc videtur programma in multis seminariis; optandum vero ut habeatur illa flexibilitas qua, sub Episcopi moderamine, alumni praeparentur ad aggredienda onera multiplicia quae pastores animarum gravant.

2. Vestis seu habitus clericalis et religiosus moderniorem formam adsumat. Sacerdotes praesertim, potius quam vestem talarem, gestent habitum similem habitui civili, cum aliquo signo distinctivo. Vestis talaris induatur solum pro functionibus in ecclesiis vel intra propriam sacerdotis domum, non vero in viis publicis. Tonsura clericalis ceteraque id genus quae facile praebent occasionem derisionis vel iocositatis apud fideles et infideles aboleantur. Forma habitus clericalis definiri potest a coetu Episcoporum uniuscuiusque nationis. In genere, seponantur ea omnia ad rationem vitae exterioris sacerdotum pertinentia quae eos a populo abalienent.

3. Usus linguae vulgaris magis extensivus permittatur in officiis divinis et liturgicis, praesertim in iis partibus quae ad populum directe fiunt. Neque habeatur lectio latina dein mera repetitio vernacula: lin-

gua vero vulgaris locum proprium et aequalem cum latina habeat. Ipsa quoque officia ad simpliciorem formam redigantur.

4. Desideratur simplificatio in iure processuali. Iudicibus tribunalium ecclesiasticorum tribuatur amplior facultas dispensandi super quibusdam sollemnitatibus tecnicis quae iustitiae administrationem multoties praepediunt potiusquam facilitant.

His argumentis generalibus nihil aliud addere habeo. Velim tamen iterum dicere quod, mea sententia, disciplina in ecclesia vigens accurate et adamussim examinari debet, respectu praesertim habito relationis Ecclesiae ad culturas hodiernas, ita ut in regionibus missionum fides nostra tamquam vere universalis manifestetur, in iisque ubi praxis catholica (licet plurimi in Ecclesia sint baptizati) haud fervens vel actuosa dici queat, iterum reviviscat et florescat.

Haec dum Tecum communico, Eminentiae Tuae Reverendissimae me profiteor

addictissimum in Christo
✠ Iacobus E. Kearney
Episcopus Roffensis in America

86

Exc.mi P. D. LORAS T. LANE
Episcopi Rockfordiensis (Rockford)

Die 29 augusti 1959

Eminenttissime Princeps,

Litteris Eminentiae Vestrae receptis, die 18 mensis iunii anno 1959 datis, hisce foliis transmitto Pontificiae Commissioni animadversiones meas quas de rebus tractandis in Concilio Oecumenico cum humilitate expono:

I. *Restauratio Officii Diaconatus.*

Ex eo quod his in temporibus habetur talis sacerdotum paucitas pro necessitatibus Ecclesiae, mihi videtur restaurationem officii diaconatus, separatim a sacerdotio, esse opportunam et cum magna quippe utilitate pro Ecclesia.

Diaconi variis modis adiuvare possent sacerdotibus, inter alia:

a) baptizando;
b) Sanctam Eucharistiam distribuendo;
c) Benedictionem Sanctissimi Sacramenti dando;

d) praedicando;
e) catechizando;
f) illos qui in fidem Catholicam recipi quaerunt instruendo;
g) lapsis ut ad fidem veram revertarentur suadendo;
h) Christifideles ad participandum Sacrae Liturgiae praeparando;
i) auxilium in administratione bonorum temporalium dando;
j) organizationes paroeciales dirigendo;
k) censum faciendo.

Ut mihi quoque videtur, consideratio forsitan detur in casibus qui pertinent ad laicos nuptos qui officium diaconatus quaerunt, et praesertim in casibus qui pertinent ad proselytos ad fidem Catholicam qui nupti sunt ex ratione status vitae prioris.

II. *Recensio Libri Quinti Codicis Iuris Canonici.*

Quia hic liber a multis sat difficilis est ad interpretandum intelligendumque, simplificatio et clarificatio libri quinti Codicis Iuris Canonici in rebus quae de delictis et poenis tractant utilitatem magnam haberent.

III. *De Casibus Privilegii Fidei.*

Exclusivo modo, secundum canonem 247, § 3, competentia Sacrae Congregationis Sancti Officii in solvendis casibus de dissolutione vinculi naturalis in favorem fidei pertinet. Ratione multiplicationis casuum istorum inde ab anno 1924, possitne haec competentia dari episcopo uti delegato Sanctae Sedis his in casibus?

IV. *De Officio Divino.*

Gratia Papae Pii XII, imm. rec., habetur recensio divini officii quae vim obtinuit kalendis ianuarii anno 1956. Forsitan aliae mutationes introduci possunt, quae sequenti includerent:

a) omne officium cum tantum uno nocturno ita ut novem psalmos et tres lectiones habeat;

b) eliminationem hymnorum, salvis forte raris exceptionibus.

Omni quo par est obsequio, infrascriptus Eminentiam Vestram prosequitur seque profitetur, cumque precibus pro successu felicissimo Concilii Oecumenici,

addictissimum

✠ LORAS T. LANE
Episcopus Rockfordiensis

87

EXC.MI P. D. VALTHERI P. KELLENBERG

Episcopi Petropolitani in Insula Longa (Rockville Centre)

Die 26 augusti 1959

Eminentia Vestra,

Gaudium magnum et privilegium mihi duco transmittere per Eminentiam Vestram ad Commissionem Pontificiam Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico haec memoranda quae portant nostras animadversiones, necnon consilia et vota, compilata et formulata post consultationes cum aliquibus eruditis et prudentibus sacerdotibus et professoribus seminarii nostri.

Corde confido et spero has animadversiones aliquantulum auxilio fore operibus Commissionis Pontificiae et actionibus salutaribus Sanctae Matris Ecclesiae.

Rogo permanere Eminentiae Vestrae

addictissimus in Christo
✠ VALTHERUS P. KELLENBERG
Episcopus Petropolitanus in Insula Longa

I. *Animadversiones ad promovendam unionem omnium Christianorum cum vera Ecclesia*:

Differentiae doctrinales, quae diu separaverunt multas sectas Christianas a verae Ecclesiae unitate, forsan non sunt tam profundae ut aestimaverunt non-Catholici. Itaque, causa unionis forte possint promoveri clariores definitiones doctrinae Ecclesiae de sequentibus:

1. Necessitas bonorum operum non negat iustificationem esse omnino gratuitam ex parte Dei.

2. Declaratio identitatis Christi cum Ecclesia Sua et simul unionis Christi cum membris Suis in Ecclesia possit respondere Protestantium obiectioni Ecclesiam sese interponere Deum inter et animam humanam.

3. Relationes Christianorum a-Catholicorum cum vera Ecclesia, et problema salvationis a-Catholicorum qui bona fide manent.

4. Relatio Magisterii vivi Ecclesiae tam ad Sacras Scripturas quam ad Traditionem, ita ut a-Catholici melius intelligere possint doctrinam Ecclesiae de auctoritate SS. Pontificis et episcoporum docendi et custodiendi divinam Revelationem.

5. Evolutio dogmatum, cum emphasi super influxu S. Spiritus vi-

ventis in Ecclesia (ad respondendum adversariis recentium dogmatum definitionum).

6. Reiteratio doctrinae infallibilitatis Universalis Ecclesiae ita ut Protestantibus et Schismaticis magis intelligibilis reddatur doctrina de Papae infallibilitate.

7. Declarentur dignitas et functiones laicorum in Ecclesia, praesertim in Actione Catholica et in Liturgia (ut respondeatur Protestantibus dicentibus laicos nunc esse mere passive « receptacula » doctrinae et sacramentorum).

8. Libertas individui in Ecclesia.

9. Relatio Ecclesiae ad Statum, et problemata tolerantiae civilis.

II. *Theologiae problemata actualia*:

1. Utrum miracula possunt cognosci ut signa divinae credibilitatis Ecclesiae solo rationis lumine et sine fide divina?

2. Utrum prophetiae, quas Concilium Vaticanum asseruit esse signa divinae credibilitatis, includunt etiam illas Veteris Testamenti, et si ita est, utrum se referant solum ad Regnum Dei an etiam ad personam Messiae?

3. Utrum opportunum sit nunc definire Christi sacrificium et mortem nos salvasse *per modum satisfactionis?*

4. Clarificetur auctoritas Magisterii *Ordinarii* SS. Pontificum.

5. Utrum opportunum sit nunc reaffirmare potentiam mentis humanae ad cognoscendas cum certiudine veritates in praeambulis Fidei contentas?

6. Clarificetur functio B. M. V. ut Co-Redemptricis.

7. De formis litterariis in Sacra Scriptura.

8. Functio Legis Naturae et character obiectivus moralitatis.

III. *Errores huius temporis*:

1. Denegatio libertatis Dei in creando.

2. Scientismus et reiectio notionis metaphysicae.

3. Existentialismus.

4. Ethica sic dicta situationis (circumstantiarum).

5. Relativismus: Historicismus et relativismus culturalis.

6. Naturalismus.

7. Determinismus: psychologicus et sociologicus.

8. Exaggerationes libertatis: personalis, academicae, litterariae, artisticae, et scriptorum ephemeridum.

9. Cultus gentis propriae (razzismo).

10. Totalitarismus.

IV. *Ius Canonicum et disciplina*:

1. Ut Catholici Orientalium Rituum residentes in statibus non-orientalibus maiorem habeant libertatem in sacramentis frequentandis, praesertim in occasione Baptismi et matrimonii.— Item, in eligendo sibi ritum.

2. Ut examini subiciantur iura et privilegia paroeciarum nationalium, praesertim ubi conditiones et necessitates earum valde immutatae sunt.

3. Dentur consilia magis explicita fidelibus qui velint vel debent se subicere iudicibus civilibus in rebus matrimonialibus.

4. Ut clarificetur sensus dandus ad verba « opera servilia » in canone 1248 C. I. C.

5. Ut consideretur consilium quo Ordinarii loci possint subdelegare facultatem permittendi lecturam librorum prohibitorum tam aliquibus officialibus Curiae suae quam praesidentibus collegiorum et universitatum catholicorum, rectoribus seminariorum, necnon cappellanis (directoribus spiritualibus) societatum quae vulgo hic nominantur « Newman Clubs » (alumnorum catholicorum qui frequentant universitates acatholicas).

V. *Liturgia et cultus*:

1. Desideratur ulterior simplificatio officiorum Breviarii Romani.

2. Multae hic petitiones acceptae sunt, et in dies accipiuntur, quae rogant maiorem usum linguae vernaculae in sacramentis administrandis et in popularibus devotionibus.

✠ Valtherus P. Kellenberg
Episcopus Petropolitanus in Insula Longa

88

Exc.mi P. D. IOSEPHI T. Mc GUCKEN
Episcopi Sacramentensis (Sacramento)

Eminentissime Domine,

Litteras Tuas de futuro Concilio Oecumenico ad me pervenisse grato animo agnosco. Magnopere gaudeo de proposito Summi Pontificis, Ioannis XXIII fel. reg. quoad convocationem Concilii Oecumenici, eo quod eximium Ecclesiae Sanctae bonum fideliumque aedificationem efficere poterit.

In re tanti momenti, autem, non iudicavi me posse opiniones ferre attentione Eminentiae Vestrae dignas. Humillime, quidem sequentia propono salvo semper meliori iudicio.

1. *De Doctrina.*

a) An definiri debeat munus et officium Sanctae Romanae Ecclesiae erga varias hominum categorias, fideles nempe et schismaticos, haereticos et infideles, ad quietandas quaestiones de relatione harum humanae familiae divisionum ad corpus Christi Mysticum et ad ostendendam caritatem maternam et potestatem salvificam verae Christi Ecclesiae pro omnibus hominibus, eorumque omnium debitum investigandi et obsequendi Ecclesiae Catholicae auctoritati et divinitati?

Huiusmodi declaratio doctrinalis efformari poterit tali modo ut schismaticos et haereticos non repelleret sed potius ad reunionem cum vera Christi Ecclesia alliceret. Mihi videtur quod hodie opus sit, non tantum ut olim, haereticos inveteratos eorumque inventiones damnare, sed magis homines a sorte supernaturali errore et ignorantia defraudatos ad Ecclesiam retrahere, veluti ad Christum veritatis luce virtuteque caritatis praefulgentem.

Aliis verbis, declaremus genuinum sensum dicti « extra Ecclesiam nulla salus », modo tamen positivo ad ostendendam Ecclesiam esse Christum mysticum, aeternae salutis fontem singularem, gratiae largitorem, vitae defensorem, iurium protectorem, propugnatoremque pacis et beatitudinis.

b) An definiri debeat munus Beatae Mariae Virginis ut Matris spiritualis Corporis Mystici Christi proindeque omniumque fidelium, et omnium gratiarum mediatricis?

2. *De re Morali.* (De sic Dicta « nova » Theologia Morali).

An theologos et confessores moneri debeant de periculo conscientiam falsam formandi ex nimis facili vel imprudente admissione culpae vacationis pro actibus obiective graviter peccaminosis propter sic dictam « psychologicam compulsionem » ex latebris « subconscientiae » erumpentem?

3. *De Disciplina Cleri.*

a) An neo-sacerdotes cleri saecularis ad unum annum post ordinationem retineri debeant in studiis et exercitiis de re spirituali et pastorali, coniunctis cum usu et tractatione ministerii sacri sub vigilantia et ductu sacerdotum apostolico animo praeditorum et in ordinatione curae animarum ad hodiernas necessitates accomodata expertorum?

b) An sacerdotes saeculares inter duodecimum et decimumquintum annum post ordinationem subire debeant periodum saltem menstruum ad spiritum renovandum?

4. *De re Pastorali.*

An reformari debeant studia de re pastorali in seminariis, ut magis idonea reddantur ad apostolatum hodiernum, eo fine ut neo-sacerdotes maturiorem cognitionem habeant de ratione ordinandi vitam et actuositatem in cura animarum?

Nos, quidem, caritate Christi incensi et facultate praeclara praediti homines ad gaudia sempiterna adducendi, caeteros omnes qui perituras mundi delicias offerunt excellere debemus in scientia, arte, et moderatione operis nostri. E contrario comparatus ad ordinem rationemque negotii et industriae hodiernae modus temperandi opera in plurimis paroeciis imperitus et inefficax videtur.

5. An restaurari debeat exercitium officii Ordinis Diaconatus? Amplificatio otii quae in dies crescit inter plurimos viros, vix aetate provectiores sed suo munere solutos propter annua quae eis a Civili Statu praebentur (per sic dictum « servitium socialem ») opportunitatem pro adiutorio valido praebere videtur quam Ecclesia arripere poterit mediante Diaconatus ordine (vel alio officio ecclesiastica lege fundato) pro viris etiam nuptis, sapientia et experientia munitis et pio animo ornatis.

6. An Actionis Catholicae consilium augeri debeat ad includenda maiora opera apostolica a laicis exercenda; ad maioremque stimulum spiritualem agitandum et ad actionem de theoria in praxim magis efficaciter reducendam? (e. g. ut in « Legio Mariae »).

7. An in Breviarii recitatione sacerdotes licentiam habere poterint Psalmos legendi lingua vernacula ad libitum bis vel ter in hebdomada? Certo certius huiusmodi concessio gratissimo animo accepta esset a plurimis sacerdotibus qui sine intellectu Psalmos legunt; et effectum felicem haberet ditandi eorum vitam spiritualem et locupletandi eorum ad populum praedicationem.

8. An studio subici debeat usus linguae latinae eo fine ut contra intemperantiam quorumdam usus vernaculi propugnatorum, uti vinculum unitatis et tutamen integritatis rectae doctrinae omnino conservetur, non autem quoadusque deveniat lingua latina occasio discriminis inter latinos et caeteros fideles, aut obstaculum conversioni Afrorum, Asiaticorum, Arabum, etc., aut tandem impedimentum participationi voce in intellectu in cultu divino pro maxima parte catholicorum qui linguam latinam prorsus ignorant.

9. An Suprema Ecclesiae Auctoritas magis accurate de aerariis Pa-

roeciarum, Dioecesium et Ordinum Religiosarum inquirere et cognoscere debeat eo fine ut circumscriptiones ecclesiasticae quae vel ob inopiam in periculo versentur, vel ob characterem missionarium adiutorio merentur, vel ob vias et rationes ineptas et obsoletas sustinendi opera religionis, consilio experto indigeant (Puta in America Latina) magis aeque et valide ab iis qui possint adiuventur?

Interim, omni qua par est reverentia, me profiteor Eminentiae Vestrae addictissimum

✠ IOSEPHUS T. MCGUCKEN
Episcopus Sacramentensis

89

EXC.MI P. D. STEPHANI WOZNICKI

Episcopi Saginavensis (Saginaw)

Die 13 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Hisce litteris consilia seu vota transmittimus, quae in proximo Concilio Oecumenico utiliter tractanda videntur. Usi sumus consilio consultorum dioecesanorum et decanorum quos in sessione speciali ad hoc nuper convocavimus; insuper opiniones aliorum ecclesiasticorum peritorum in scriptis requisivimus. His omnibus consentientibus, sententias allatas humillime proponimus tamquam opiniones cleri huius dioecesis Saginavensis.

Enixe rogamus Eminentiam Vestram ut habeas nos excusatos ob tardum hoc responsum quia tempore aestivo per aliquas hebdomadas absentes a dioecesi fuimus causa visitationis ad limina Apostolorum.

Et interim Sacram Purpuram maxima observantia deosculantes nos in Christo profitemur

Eminentiae Vestrae
addictissimos

✠ STEPHANUS WOZNICKI
Episcopus Saginavensis

I. *Quoad Doctrinam*

1. Videtur nunc opportunum esse vetustam et fere generalem fidem Ecclesiae et fidelium de munere Beatae Mariae Virginis, tamquam Mediatricis omnium gratiarum, uti dogma Fidei Nostrae definire et renuntiare.

2. Oportet cum emphasi reiterare et clarificare doctrinam Catholicam de intrinseca malitia restringendi prolem mediis contra naturam.

Ratio prima. Diebus nostris etiam Christifideles hanc rem leviter tractant, permultis praedicationibus et conatibus cleri nostri non obstantibus.

Ratio secunda. Leges de hac re debent ubique locorum eodem modo interpretari et explicari.

Ratio tertia. Quotidie crescit influxus coetuum qui docent absolutam necessitatem restringendi prolem ne eveniat damnum maximum humano generi.

3. Oportet populo Catholico explicare quomodo matrimonium cum dispensatione super impedimento disparitatis cultus contractum possit potestate Summi Pontificis dissolvi.

Ratio prima. Haec evidenter est nova interpretatio matrimonii sacramentalis, aliena omnino clero nostro seniori et totaliter aliena populo nostro, qui semper putabat et nunc putat matrimonia cum dispensatione inita esse indissolubilia.

Ratio secunda. Quid sit dicendum acatholicis quibus per multos annos doctrina, de qua supra, semper eodem modo explicabatur?

II. *Quoad disciplinam Cleri*

1. Reformationes aliquae sunt necessariae quoad habitum publicum cleri et legem deferendi tonsuram. Cann. 136, 2379.

Ratio. Nostris temporibus cum iam contra clerum tam multae sunt actiones variorum rationalistarum et communistarum, in nonnullis regionibus persaepe praesens habitus cleri est causa et occasio derisionum et invectionum. Videtur melius esse si sacerdotes in talibus circumstantiis versantes habitum magis laicalem in locis publicis gererent.

2. Necessarium est complere reformationes inceptas quoad breviarium romanum. Reformationes nuper factae optimae et valde utiles sunt, sed aliae debent adhuc proponi ita ut officium eveniat brevius et lectiones secundi nocturni de novo exarentur.

III. *Quoad disciplinam populi*

1. Nunc necessarium est repetere leges et delineare praxim de casu in quo certis sub conditionibus fideles in matrimonio invalido implicati permittuntur tamquam frater et soror cohabitare. In hac re deest uniformitas agendi, praesertim quoad interpretationem scandali vel occasionis scandali.

Ratio. Accidit frequenter in nostris regionibus quod coniuges in secundo matrimonio invalido versantes sine ullo pudore omnia privilegia ab Ecclesia petunt ac si haberent ad ea ius. Putant se esse Catholicos quasi secundi gradus sed semper in bono comitatu. Nolunt accipere excommunicationem in sensu stricto. Quia eorum numerus de die in diem crescit, adest periculum pro aliis fidelibus.

2. Clara interpretatio canonis 786 de Confirmatione conferenda, specialiter autem quoad verba: « sufficienter instructus » est necessaria. Ponitur enim quaestio, suntne haec verba relative intelligenda an absolute?

Ratio. Mos apud nos diu iam viget conferendi Confirmationem post Primam Communionem, seu circa annum nonum, quando nempe pueri iam sunt melius instructi in Fide.

3. Praxim solvendi matrimonia « in favorem Fidei » seu Privilegium Sancti Petri oportet mutare et veterem legem de disparitate cultus restituere.

Ratio prima. Hi casus in nationibus acatholicis sunt tam multi, ut sit fere impossibile eos omnes sufficienter, in forma praesenti a Congregatione Sancti Officii demandata, praeparare. Hoc verum est praesertim in dioecesibus maioribus.

Ratio secunda. In talibus casibus certe littera legis impletur, sed non spiritus. Semper remanet dubium de acatholicorum desiderio ineundi Ecclesiam ex motivo suam animam salvandi. Potius videtur saepe adesse tantum desiderium contrahendi matrimonium cum catholico frequentius vero cum catholica.

4. Oportet plures leges de ieiunio et abstinentia in Ecclesia vel abolere vel mutare, ita ut in hac re sit in mundo Catholico maior uniformitas. Sufficit retinere legem de abstinentia servanda omni die sexta cuiusvis hebdomadae et duo vel tres dies ieiunii in designatis vigiliis per annum servandos. Loco autem legum abrogatarum sit firma exhortatio Ecclesiae de beneficiis spiritualibus ex ieiunio et abstinentia derivandis.

Ratio praecipua. Hodie tam magna de his rebus est diversitas interpretationum in diversis regionibus ut inter fideles maxima confusio verificetur.

Leges istae in nonnullis nationibus aut totaliter ignorantur aut minime observantur.

5. Oportet clarificare privilegium de quo in canone 1125, specialiter autem quoad haec verba: « ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur ».

Ratio prima. In Statibus Foederatis Americae Septentrionalis inve-

nitur problema maximum cum nigritis, qui generaliter contrahunt plura matrimonia. Quando volunt in Ecclesiam intrare, impossibile est frequenter determinare quodnam ex eorum matrimoniis fuerit validum.

Ratio secunda. Secundum interpretationem aliquorum hic canon applicari potest etiam in peculiaribus adiunctis quae apud nos vigent quando orator sit non baptizatus. Praxis autem Curiae Romanae contraria esse videtur.

IV. *Quoad certas alias praxes in Ecclesia*

1. Debet adesse maior uniformitas in Ecclesia circa usum linguae vernaculae in sacra liturgia.

Ratio. Variae in hac re inveniuntur consuetudines apud varias nationes. Melius esset si Ecclesia definitive praxim pro tota Ecclesia uniformem statueret, praesertim quia de his rebus hodie plura aguntur et scribuntur.

2. Maior uniformitas desideratur quoad varias facultates quae religiosis et missionariis et etiam saecularibus saepe conceduntur benedicendi obiecta religiosa cum indulgentiis specialibus adnexis. Privilegia per saecula ob varias rationes iam acquisita tam magnam confusionem causant ut difficile sit hodie has res populo nostro et etiam clero intelligenter explicare. Melius esset si hae facultates uniformes essent et pro clero saeculari et pro clero regulari. Haec ratio maxime verificatur quoad indulgentias et privilegia peculiaria.

3. Necessarium est definire, praesertim pro fidelibus in regionibus acatholicis degentibus, limites ad quos fideles possunt in vita quotidiana cum acatholicis cooperare et participare in conatibus ex se neutralibus qui tamen quid Protestanticum prae se ferunt. Difficile enim est in his circumstantiis se immaculatum a peccato participationis in divinis praeservare et custodire.

Ratio. Saepe apud Protestantes in regionibus talibus datur praxis eventibus maioris momenti publici occurrentibus invocandi benedictionem Dei in opus inceptum et caeremonias sacras communes, quae vulgo dicuntur « Joint Services » celebrandi. Nonnumquam est difficillimum pro sacerdotibus recusare partem habendi in talibus caeremoniis propter necessitates vitae socialis. Si Sancta Sedes publice indicaret quomodo et laici et etiam clerici his in circumstantiis sese gerere deberent, vita nostra quotidiana esset facilior.

4. Adest difficultas nostris diebus quoad methodum promulgandi seu divulgandi vel decreta Sanctae Sedis vel dispensationes generales et privilegia generalia. Nam per aliquos iam annos nonnulla decreta Sanctae Sedis divulgata sunt per « agenciam telegraphicam », « Associated Press »

vel per alias « agencias telegraphicas » et saepe vim legis habuerunt immediate.

Sed *Acta Apostolicae Sedis,* quod semper putavimus esse medium officiale promulgationis, per unum mensem vel etiam per sex hebdomadas ad nos non perveniunt. Quid tunc sit faciendum interea quando nulla notitia modo officiali data habetur quamvis notitia non-officialis late divulgetur? Unicus fons tam pro laicis quam pro episcopis et sacerdotibus fuerat « agencia telegraphica », quae errare potest et de facto aliquibus vicibus erravit. Proinde propter maximum progressum in rebus divulgandis systema divulgationis officialis in Ecclesia novum debet satui. Aliter enim episcopi in dissitis regionibus constituti nequeunt de rebus sic divulgatis nec annuntiare nec disputare nec verificare. Proinde debet esse aliquis modus officialiter divulgandi talia documenta inter episcopos antequam divulgantur per « agencias telegraphicas ».

V. *Observationes quoad revisionem Codicis Iuris Canonici*

1. Optanda est simplificatio canonum quoad confessores pro religiosis mulieribus. Nostris diebus non apparet necessitas specialis delegationis pro confessionibus religiosarum excipiendis.

2. Canones de clausura debent redigi ita ut exprimant novas leges nuper latas.

3. Liber quintus Codicis de poenis et delictis debet de novo ordinari et redigi nam interpretationes moralistarum fere negant totam vim legum poenalium et in praxi leges nunc existentes ansam praebent multis dubiis.

4. Canon 806 ita immutetur ut verificatis circumstantiis de quibus in altera paragrapho eiusdem canonis Ordinarius impertiatur facultatem ter litandi diebus festis de praecepto. Talis largitio omnino suadetur ex magna cleri penuria et ex eo quod fideles nunc nullum scandalum vel admirationem ex tali praxi paterentur. Revisa lege ieiunii eucharistici, amplius non habetur magnum incommodum a parte ipsius cleri.

5. Optanda est simplificatio procedurae quoad casus matrimoniales:

In casibus quae nunc processum formalem requirunt nullum periculum iniustitiae adesset si multae formalitates stricte iudiciales vel omnino abolerentur vel eis sufficerentur formalitates administrativae.

Processus de quo in canone 1990 debet extendi ad omnia impedimenta eisdem in adiunctis.

✠ STEPHANUS WOZNICKI
Episcopus Saginavensis

90

Exc.mi P. D. PETRI G. BARTHOLOME

Episcopi S. Clodoaldi (Saint Cloud)

Die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Opinio universalis sacerdotum dioecesis nostrae atque Episcopi exstat ut vocatio ad futurum Concilium Oecumenicum a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. opportuna magisque necessaria sit ad corrigendum et extorquendum errores et falsas opiniones quae contra fidem populorum Christianorum atque Catholicorum adversantur, praesertim in ultimo dimidio saeculo, per perniciosos motus et falsas liberalismi et materialismi doctrinas. Ut Ordinarius dioecesis, orationibus sacerdotum, religiosorum et laicorum bonum exitum futuri Concilii Oecumenici commendavi.

Post plenam atque profundam contemplationem et post observationem factam de inclinationibus materialisticis in cogitationibus et actionibus ut manifestantur in Statis Unitis Americae Septemtrionalis, et in nostra dioecesi, quae magis Catholica est quam aliae in patria nostra, sequentes animadversiones, consilia et vota pro futuro Concilio humiliter suggero:

1. Cum materialismus non solum mentes acatholicorum sed etiam catholicorum pervaserit, multae doctrinae fundamentales fidei Catholicae in vita cotidiana populorum neglegi et praeteriri videntur. Sic, mihi necessarium videtur in futuro Concilio fundamentales doctrinas Ecclesiae affirmare et confirmare secundum mutationes insidiosas quae in ultimo dimidio saeculo viguerunt: doctrinas ex. gr., de peccato originali, de redemptione humani generis, de vita futura, etc. Populi in hoc saeculo et tantum pro hoc saeculo vivere videntur, et non pro vita aeterna saeculi futuri. Populi moneri debent ex doctrinis Christi et ex proposito Dei de his doctrinis primis et fundamentalibus Christianismi in lingua hodierna accommodatis nostris temporibus.

2. In tempore praesenti falsae Democratiae et Libertatis, magni est momenti necessitatem auctoritatis Ecclesiae, Societatis Civilis et Familiae Christianae asserere.

3. Decalogus Veteris et Novi Testamenti oblitus est et obedientia legi Dei, et legibus ecclesiasticis ignoratur.

4. Necessitas obedientiae auctoritati legitimae, civili, ecclesiasticae

atque parentibus ad tuendum ordinem et pacem in societate humana asseri debet.

5. Doctrinae et instituta Christi et Ecclesiae de familia Christiana affirmari debent, praesertim secundum lucem vitiosae inclinationis quae contra integritatem et permanentiam vitae familiae oppugnat. Declaratio gravis de auctoritate patris in familia pro orbe terrarum praecipue pro America Septemtrionali pronunciari debet.

6. Considerando progressum Communismi et Socialismi, ius bona privata acquirendi et possidendi clare et intrepide declarari debet. Iusta et aequitate praedita distributio bonorum inter homines intrepide declarari debet. Iura et munera quae in possidendo bona privata acquiruntur clare demonstrari debent.

7. Pronunciatio clara de iuribus industriae et de congruentibus oneribus operariorum definiri debet, propter hodiernam vitiosam usurpationem potestatis, et propter pravitatem et avaritiam quae in industria detectae sunt.

8. In futuro Concilio quaestio de distributione terrae atque iura et onera agricolae tractari debent. Recta et iusta distributio terrae inter homines generis humani fortiter propugnari debet. Agellus, vulgo « family sized farm » satis idoneus ad sustentationem familiae commendari debet uti necessarium ad formandam firmam Christianam humanitatem in toto orbe terrarum.

9. Educatio. Ius patris et matris ad educandam prolem gravissimo modo affirmari debet, ut contentio ex parte magistrorum et potestatis Civilis impediretur quod ius et potestas educandae subolis, unice potestati Civili propria sint. Curricula educationis cursum de Religione semper includere debent.

10. Concilium clare Liberalismum definire debet et doctrinas huius philosophiae condemnare sub aspectu doctrinae Christianae.

11. Relativismus. Opinio populorum nostrae aetatis ut veritas sit relativa, ut normae vivendi sint relativae, ut veritas absoluta et principia absoluta vivendi non existant, hae opiniones modo claro certoque condemnandae sunt, ut populi Christiani, et etiam populi pagani, qui vim legis naturalis esse credunt, in fide sua confirmentur et opera viresque dent ut talem firmam fidem in vita sua sequantur.

12. Sine dubio, unitas populorum Christianorum, res de qua Summus Pontifex valde occupatur, considerationem plenam accipiet. In Statibus Unitis Americae Septemtrionalis haec unitas fieri non potest sine miraculo gratiae. Episcopi multi in hac patria credunt unitatem Christianorum populorum obtineri non posse. Mihi videtur quod haec unitas prosequi non possit cum successu magno. Historia Christianismi demonstrat quod

difficilius est haereticos ad unitatem fidei quam paganos ad unitatem vivendi cum Christo reducere.

13. Educatio Catholica Secundaria. Concilium per S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, vias aptas eligere debet ad investigandum et inspiciendum curriculum studiorum in universitatibus Catholicis virorum et mulierum, ut doctrina orthodoxa tueri possit et sacerdotes, sorores, laicique qui in his institutis docent, doctrinam traditionalem Christi docere possint. Ad finem adducendum, videtur necesse esse ut visitatores a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus designentur, utque omnia instituta Catholica in mundo universo inspiciantur.

14. Ordines Religiosi et Congregationes. Per annos quinquaginta praeteritos, omnino manifestum est, ob statum Pontificalem sororum, et immunitatem Papalem ordinum virorum ab auctoritate Episcopi Dioecesis, spiritum libertatis quod Religiosi et Religiosae Episcopo Dioecesis exhibent, concordiae unitatique actionis pro causa Christi in dioecesi se opponere. Quoad Instituta virorum, haec fere sunt dioecesis intra dioecesim. In minimis tantum expresse a lege Canonica praescriptis Episcopum dioecesis in animo retinent. Administrationes et activitates quarumdam harum institutionum cum opera Ecclesiae in dioecesi confligere videntur. Institutiones Sororum cum statu Pontificali simile animum ad Episcopum dioecesis cito manifestant. Necesse mihi videtur ut S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, per viros peritos, activitates Collegiorum mulierum Catholicarum in Statibus Foederatis investiget.

15. Sacerdotium.

a) Curriculum Maius Seminarii iuxta hodiernum progressum philosophicum et scientificum denuo examinari debet. Modernae haereses amplius examinari debent et veritas doctrinae Christianae contra illas haereses clarius dirigi debet. Formatio spiritualis iuvenum qui nunc seminarium ingredere velint magis asseri debet. Oportet ut haec formatio spiritualis locum primum habeat. Oportet ut haec spiritualis formatio disciplinam academicam praecedat.

b) Formatio spiritualis sacerdotis maximi momenti est. Sacerdotes profunde spirituales in societate humana commiscere possunt et animum laicorum maxime penetrare possunt. Participatio activa ex parte sacerdotis in vita populorum hodie magis necessaria est in apostolatu Ecclesiae.

16. Decentralizatio.

a) Valde optandum est ut maiores facultates dispensandi, etc., Episcopo Dioecesis concedantur, cum debita cura de usu facultatum concessarum a Congregationibus Romanis facto.

b) Valde optandum est ut officia secundaria quarumdam Congrega-

tionum ex. gr. S. C. de Religiosis; S. C. de Seminariis et Universitatibus; S. C. de disciplina Sacramentorum in nationibus diversis mundi constituantur. In his officiis de rebus quotidianis, ex. gr. dispensationibus, facultatibus, permissionibus, visitationibus, etc., tractari possit.

17. Sacra Liturgia. Necessitas adhibendi linguam Latinam in actionibus Sacrae Liturgiae et in vita cotidiana Ecclesiae declarari debet, praesertim quia mundus parvissimus factus est ob media extraordinaria communicationis et propter facilitatem peregrinationum hominum per totum orbem terrarum. Latina lingua vim habet unitatem intus Ecclesiam conservandi et adiuvandi.

Plures aliae deliberationes de fidelium participatione in Sacra Liturgia haberi debent. Notio hodierna cum emphasi de participatione fidelium in cultu communi magis ac magis ostendit inclinationes socialisticas in Ecclesia exclusionem dignitatis et necessitatis privatae personae.

Omni qua par est reverentia permaneo

addictissimus in Domino
✠ PETRUS G. BARTHOLOME
Episcopus S. Clodoaldi

91

EXC.MI P. D. IOSEPH E. RITTER
Archiepiscopi S. Ludovici (Saint Louis)

St. Louis, die 29 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Mature perpensis omnibus quae E. V. Rev.ma nobis scripsit litteris, datis die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1156, de animadversionibus, consiliis et votis quae Episcopi, pastorali sollicitudine zeloque animarum suggerentibus, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico communicare velint, sequentia sunt argumenta praecipua, quae mihi videntur aliquam tractationem mereri:

1. Ut doctrina de virginitate B. V. M. in partu speciali investigationi subiciatur et eius significatio, tam speculativa quam practica, enucleetur.

2. Ut clarius et securius exponatur, declaretur, vel etiam definiatur doctrina de privilegio B. V. M. quo ipsa nominatur « Mediatrix Omnium Gratiarum ».

3. Ut aliquae directivae, specificae et perspicuae, edicantur de rela-

tionibus inter auctoritates civilem et ecclesiasticam et de modo agendi pro eis qui in societate sic dicta pluralistica degunt.

4. Ut leges liturgicae in codicem reducantur secundum modum Codicis Iuris Canonici.

5. Ut praescripta Codicis Iuris Canonici rescribantur secundum interpretationes authenticas iam editas; ut saltem aliqua praescripta ita revisioni subiciantur ut eliminentur dubia de significatione et disputationes canonistarum saepe scandalosae. Ad minus, desiderantur interpretationes authenticae quae illas leges effectivas reddant.

Alii nobis sapientiores alia argumenta profundiora certe proferant, sed haec nobis, accepto consilio, visa sunt aliquod meritum habere, et haec, ea quae par est submissione, communicamus corde sincero venerandae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
add.mus

✠ IOSEPH E. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

92

EXC.MI P. D. GULIELMI O. BRADY
Archiepiscopi S. Pauli de Minnesota (Saint Paul)

12 augusti 1959

Beatissime Pater,

Gulielmus O. Brady, Archiepiscopus Ordinarius Sancti Pauli de Minnesota, Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, humiliter ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, varias opiniones offert S. Sedi pro futuro Concilio Oecumenico, opinionibus variorum virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium huius iurisdictionis praehabitis et perpensis.

Cum omni qua par est reverentia, permaneo

Addictissimus et obedientissimus in Domino
✠ GULIELMUS O. BRADY
Archiepiscopus Sancti Pauli de Minnesota

Concilium convocatum cum spe reconciliandi haereticos et schismaticos cum vera et catholica Ecclesia, optime perpendere potest opportunitatem.

De Doctrina Catholica

1. Clarificandi et exponendi veram naturam Ecclesiae Catholicae utpote a D. N. Iesu Christo fundatae et conservatae.
2. Exponendi relationem inter Sanctam Traditionem et Sacram Scripturam, necnon et de Ecclesia ut custos et interpres revelationis tum scriptae tum oralis.
3. Definiendi Ecclesiam ut fontem gratiae et salvationis pro omnibus.
4. Clarificandi sensum aphorismi « Extra Ecclesiam nulla salus ».
5. Exponendi relationem inter doctrinam revelatam et conclusiones scientiae modernae, et iterandi doctrinam de relatione inter fidem et rationem.
6. Exponendi veram naturam et relationem inter Ecclesiam et Statum Civilem ita ut veterae notiones sint clarae in nostris circumstantiis.
7. Clarificandi sensum in quo alii sunt in Ecclesia « sacerdotes » proprie dicti, dum laici (ut gens sacerdotalis) sunt omnino distincti.
8. Definiendi et clarificandi statum episcopalem cum definitione potestatum Ordinariorum in actu.
9. Iudicandi noviter de validitate baptismi uti confertur in sectis. Practice, apud nos, investigationibus peractis, baptismum invenitur aut dubium aut nullum; attamen, in ordine ad matrimonium debemus illum iudicare ut validum, omni humano iudicio contradicente, cum periculo animarum.
10. Non expedit ulterius definire praerogativas Beatae Mariae Virginis, nisi prius eradicata sit apud haereticos notio (falsa sed potens) Ecclesiam Catholicam habere ut centrum B. Mariam V. et non Christum Dominum.

De disciplina cleri et fidelium

1. Simplificandi et clarificandi leges abstinentiae et ieiunii ita ut generatim dispensationes in futuro non sint nisi oriantur ex magna difficultate... et ad finem ut dies et obligatio clarae et simplices sint fixae saltem in unaquaque natione.
2. Inveniendi modum magis celeriter iudicandi causas matrimoniales.
3. Simplificandi breviarium romanum ut sit magis opportunitas orandi quam obligatio servanda.

4. Conficiendi Missale Romanum novum, definitum, et in quantum est possibile universale, fixum saltem in unaquaque natione.

5. Approbandi et promovendi societatem sicut Unio Sacerdotalis ad vitam cleri promovendam.

6. Emendandi Rituale Romanum secundum conditiones et consuetudines hodiernas, sc., cum simplificatione formulae pro distributione S. Communionis, tum in ecclesiis tum in nosocomiis, et alii huiusmodi.

7. Simplificandi formulas liturgicas pro benedictionibus, sc. pro dedicatione et consecratione ecclesiae et altaris, et aliis huiusmodi.

8. Concedendi Ordinariis facultates largas cum potestate subdelegandi ut benedictiones ad indulgentias lucrandas in favore fidelium sint immediate concessae et non mediantibus variis Ordinibus religiosis.

9. Simplificandi caeremonias varias speciatim pontificales necnon et paramenta episcoporum secundum conditiones modernas, usum, loca, temperaturam, etc.

Varia modificanda, hodiernis temporibus consideratis

1. Modificandi et limitandi facultates Religiosorum ita ut sint magis sub Ordinario et minus exempti.

2. Modificandi Indicem Librorum Prohibitorum ita ut libri paucissimi sint universaliter prohibiti, necnon et amplificandi facultates Ordinarii permittendi usum librorum talium.

3. Modificandi regulas ecclesiasticas de Ecclesiis sic dictis « Nationalibus » in regionibus ubi non sunt amplius necessariae. Apud nos, institutio ecclesiarum nationalium est causa rixae et dissentionis quia Nationales Ecclesiae (saepe in manibus Religiosorum) privilegia sibi vindicant, dum ex altera parte, impossibile est coërcere fideles qui viciniores degunt Ecclesiae Nationali adire Ecclesiam territorialem longius sitam — dum Ecclesiae Nationales iam a longo tempore non sunt vere Nationales et in iis sermo et instructio sunt semper lingua communi omnibus fidelibus.

4. Amplificandi facultates Ordinarii speciatim iis in causis in quibus S. Sedes generatim vel semper petitas concedit, votis Ordinarii auditis: e. g., in debitis contrahendis ordinariis et in dispensationibus concedendis.

5. Permittendi sacerdotibus qui licite binas vel trinas Missas celebrare solent, etiam in diebus ferialibus, alterum vel etiam tertium stipendium accipere sub gravi obligatione eleemosynas ita perceptas mittendi in manibus Ordinarii qui etiam sub gravi uti debeat stipendiis ita receptis

pro seminario, pro caritate vel pro Propagatione Fidei, Sede Romana approbante in unoquoque casu.

6. Instaurandi commissionem ad leges canonicas nonnullas modificandas, sc. canones 92, 125, 213, 216, 466, 454, 476, 522, 524, 707, 745, 782, 845, 873, 956, 1067, 1077, 1279, 1371, 1399, 1409, 1488, 1529, 1543, 1572, 1991, 1992, 2268, 2293.

Animadversiones variae pro bono Ecclesiae

1. De relatione inter S. Sedem, Ordinarios et publicas ephemerides. Saepe, hisce ultimis annis, S. Sedes annunciat dispensationes universales de lege abstinentiae et ieiunii vel facultates varias mediante ephemeride, « radio » etc. dum Ordinarii qui habent curam animarum nihil de hisce rebus antecedenter sciunt.

Nefas est in Ecclesia accipere directiones Papae Nostri ex commentariis diurnis civilibus. Nefas est ut fideles legant in iis novas regulas (sc. de relaxatione legum ante S. Communionem recipiendam), potestate et obligatione Ordinarii postpositis et posthabitis. Certissime, invenire debet S. Sedes modum prius communicandi decisiones Ordinariis antequam pervulgentur per ephemerides.

2. Cum optimo fructu Ecclesia debet considerare quomodo taxa varia, fidelibus nota, sc. pro documentis, pro rescriptis, pro dispensationibus, etc. sunt, diebus nostris, occasio scandali tum fidelibus cum acatholicis. Debemus invenire modum iudicandi necessitates Ecclesiae tum Romanae cum localis et pro iis providendi, modo magis nostris temporibus accommodato. Ita acta et gesta Ecclesiae erunt semper et ubique gratis, dum necessitates Ecclesiae erunt provisae per subsidium annuale et sufficienter munifice provisum, a variis dioecesibus offertum secundum conditionem materialem earum et capacitatem.

✠ GULIELMUS O. BRADY
Archiepiscopus Sancti Pauli de Minnesota

93

EXC.MI P. D. ROBERTI E. LUCEY
Archiepiscopi S. Antonii (San Antonio)

August 14, 1959

Your Eminence,

Herewtih I am sending Your Eminence in duplicate a memorandum regarding social justice and international justice in the hope that these subjects may be put on the agenda of the coming Oecumenical Council.

The foundations of social justice and particularly international justice in the family of nations have never been clarified and that may be one reason why the requirements of social justice are not generally known.

If this research could de assigned to Catholic theologians, philosophers, economist, sociologists and experts in international justice their findings would be of immense help to Catholic scholars all over the world.

I would think that Father Felix Morlion, O. P., Rector of the International University for Social Studies in Rome, would be interested in this subject and I know that some research is now being done by Father W. A. Kaschmitter, M. M., and a group of learned professors at Louvain University in Belgium. It is so often said by the adversaries of religion that Christian principles are sterile and impotent in the world of today. I think that some statement about these problems would be most helpful to the Church. The very fact that the enemies of the Church in various countries of the world would learn that competent scholars were doing research on the foudations and requirements of social justice would place Holy Mother Church in a very favorable ligth.

In a few days I hope to send some suggestions regarding the agenda of the Oecumenical Council as requested by the Holy See but I felt that these problems of social justice and international justice would require special consideration.

With best wishes and cordial regards, I remain

Sincerely yours in Christ
✠ ROBERT E. LUCEY, S. T. D.
Archbishop of San Antonio

Social justice and social charity

The natural law origins of social justice seem to rest upon the interdependence of people. Everyone is born with God-given rights to life and its development. Besides what a person can himself do, everyone needs the help of others and a whole community in order to exercise these rigths. Therefore, he has the right to the help of others and that of the community and the duty, himself, to help others and the community in the preservation of people's life and development generally. The community is not only the community as such but all its groups and persons. Giving the help seems to be what St. Thomas

called general justice; receiving the help seems to be what he called distribuitive justice.

Giving the help and receiving the help in the economic part of life are called social justice (which embraces also commutative justice under the aspect, however, of the common good). To act effectively for social justice in economic life requires organization—economic and governmental.

The basis of social justice in economic life—the interdependence of people—is the basis also for action in fields other than the economic. Social charity is an accepted and functioning sense of the interdependence of people.

While social justice and social charity are natural law obligations, both of these are exalted in the Christian dispensation.

In our time the « community » is in fact the whole world in considerable part, as well as one's country, region, and industry or profession.

Some applications migth be made to economic life from Pius XI's Encyclical on Social Order, the development of underdeveloped countries, the establishment of peace, health, education, etc. If the term social justice is extended beyond economic life, all of these could de labeled social justice. Still that is a question of terminology and another label could be given to the non—economic applications of the fundamental principles.

✠ Robert E. Lucey, S. T. D.
Archbishop of San Antonio

94

Exc.mi P. D. CAROLI F. BUDDY
Episcopi S. Didaci (San Diego)

Die 12 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Tuis litteris diei 18 mensis iunii, a. c. respondeo et humiliter expono sequentia ad disceptandum in futuro Concilio Oecumenico.

Anno 1951, infrascriptus Ordinarius Dioecesis Sancti Didaci, in California incoepit quod v. d. « Crusade for Souls ».

Duce parocho, vicario eiusque cooperatore et laicis idoneiis quorum nota est industria in rebus Actionis Catholicae, constituitur impigra temperatio ex omnibus paroeciis Dioecesis.

Hi Duces instituunt consilia ex vicino consilioque praeest etiamque ex vicino.

Cruzadae initium fit cum orationibus per spatium sex hebdomadarum, novenis mutatione suggestorum, sermonibus in Ecclesiisque concursibus in atriis ubi personae instruuntur de finibus Cruzadaeque artibus quae successum ferunt.

Elapsis sex hebdomadis orationum, principiis doctis, verum stipendium incipit: unus vel duo Catholici, si possibile est mariti, comiter visitant singulas domus intra regionem nominatam vicini. Propositum dictae visitationis consistit in invitandis acatholicis ad exquirendas pretentiones Ecclesiae Catholicae in foro paroeciale vel circulo disceptationis. Invitantur etiam benigne ad excipiendas Missam et devotiones in Ecclesia paroeciali.

Stipendium pro animis iteratur singulis annis generaliter in tempore Quadragesimae. Exitus sunt mirifici, neo-conversi crescunt ex anno in annum ita ut usque adhuc sunt quinque milia (5000) per annum una cum quinque millibus (5000) lapsorum Catholicorum qui ad gremium Ecclesiae reversi sunt.

Circiter triginta quinque (35) Archidioeceses et Dioeceses initiativerunt hoc opus cum aequo exito. Similiter in Anglia et in regionibus missionariis. Animadversiones Ordinariorum variorum Nobis stimulos admovent.

Ne longus sim, modus est efficacissimus, Regnum Dei in terra extenditur. Populatio nostra Catholica fertur inter acatholicos uti tribus, plena cupiditatis et aedificium clausum. Iudicii huiusmodi culpa nostra est quia Ecclesia in America Septemtrionali manifestat comparate numerum paucissimum neo-conversorum et causa est defectio in populatione nostra Catholica educationis in methodo vincendi animas.

Multa scripta sunt de re supra dicta a Reverendo Domino Ioanne A. O'Brien ex Collegio Notre Dame in Indiana et infrascripto Episcopo et per longum et largum explanatur in ephemeride v. d. « Christ to the World » edita Romae.

Si Eminentia Tua vel alius delegatus tuus desideret materiam iam editam eamdem transmittere possumus. Adnexum invenitur exemplar materiae editae in ephemeride dicta « Crusade for Souls ».[1] Credo

---

[1] Cf. The Methodical Effort of the Diocese of San Diego to Bring non-Catholics and Eapsed Catholics to Christ (from the Review « Christ to the World » 1958, n. 2).

« Crusade for Souls » habere potentialitates magni momenti ad extendendum Regnum Dei in terra.

Hac occasione nactus impensos aestimationis meae sensus Tibi obtestor permanens

Addictissimus servus in Christo

✠ CAROLUS F. BUDDY
Episcopus Sancti Didaci

95

EXC.MI P. D. IOANNIS I. MITTY

Archiepiscopi S. Francisci in California (San Francisco)

Die 1 septembris, A. D. 1949

Eminentissime Princeps,

Litteras diei 18 iunii Eminentiae Vestrae accepi et post considerationes et consultationes mihi pergratum est proponere sequentia vota Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico:

1. Definitio dogmatica de realitate obiectiva ignis infernalis. Haec definitio erat in agendis pro Concilio Vaticano, et mihi videtur opportuna.

2. Declaratio aliqua contra duas normas moralitatis, scil., unam pro vita privata, familiari et sociali, alteram vero pro negotiis saecularibus. Sunt homines boni nominis et Catholici qui frequentant sacramenta, Missam, etc., sed in re commerciali vel politica — obiective loquendo — carent conscientia vera. Videtur dicendum quod sequuntur normas aliquas non in harmonia cum lege morali vera.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Add.mus

✠ IOANNES I. MITTY
Archiepiscopus Sancti Francisci in California

96

EXC.MI P. D. EDUINI V. BYRNE

Archiepiscopi S. Fidei in America Sept. (Santa Fé)

21 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris die 18 mensis iunii anno decurrente datis, Eminentia Vestra postulabat animadversiones, consilia necnon vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Hisce igitur quas sequuntur animadversiones, exquisito consilio virorum ecclesiasticorum prudentium et peritorum huius archidioeceseos, Eminentiae Vestrae communico et Pontificiae Commissioni tamquam possibiliter pertractandas in Concilio humiliter propono.

1. Maxime optandum est doctrinam mediationis universalis Beatae Mariae Virginis definiri posse, ita ut Beata Virgo Maria tamquam Mediatrix Omnium Gratiarum declaretur.

2. Ad populi christiani disciplinam quod attinet, bonum forsitan esset si scopum et limites praerogativarum laicorum accuratius definirentur, ad hoc ut structura hierarchica Ecclesiae tutius permaneat, contra eos qui, ad principia sic dicta democratica appellantes, auctoritatem Summi Pontificis et Episcoporum quemadmodum enervare satagunt.

3. Pergratum foret si in locis, exempli gratia Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, ubi viri ecclesiastici in iure canonico periti sufficienti numero exstant, tribunalia tertiae instantiae pro causis matrimonialibus constituerentur.

4. Ad hoc ut fidelibus ansa praebeatur saepius commodiusque caeremoniis liturgicis assistendi, mihi placeret si caeremonia, praesertim pontificalia, aliquantulum abbreviarentur.

5. Cum Sancto Ioseph debitus honor non dari videatur, velim votum exprimere ut eius nomen in Missae Confessione necnon in Canone introducatur.

Hanc occasionem nactus, impensos aestimationis meae sensus Eminentiae Vestrae obtestor meque profiteor

Eminentiae Vestrae addictissimum

✠ EDUINUS V. BYRNE
Archiepiscopus Sanctae Fidei
in America Septemtrionali

97

EXC.MI P. D. HIERONYMI D. HANNAN

Episcopi Scrantonensis (Scranton)

Die 22 augusti 1959

Em.me et Rev.me Domine,

Honori mihi duco respondere litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico quibus facultas mihi conceditur exponendi animadversiones, consilia, vel vota quae pastoralis sollicitudo suggerat circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Fere tota mea vita anteacta dedicata est doctrinae et disciplinae Ecclesiae explicandae, propugnandae, defendendae. Durantibus istis annis et usque ad praesens tempus, inimicus fui mutationibus sive istius disciplinae sive interpretationum rerum ad fidem et mores pertinentium. Certe promptus semper eram accipere etiam consensu interiori vocem auctoritatis ecclesiasticae. Sed tacente ista voce inveni leges existentes bene adaptatas, vel saltem adaptabiles, exigentiis omnibus curae animarum. E contra quam maxima mala sive ex parte cleri sive ex parte laicorum ortum habere ex inoboedientia ne dicam contemptu erga istas leges, experientia docente, semper putavi.

Ex dictis apparet me haud paratum esse suggerere mutationes disciplinae. Immo in Concilio mea pars esset, saltem uti nunc opinor, mentem exponere saltem contra radicales novitates.

Si aliqua mutatio mihi approbanda videretur esset delaxatio coarctationis Catholicorum intra ritum cui pater pertinet. Illa lex certe gaudet valore administrativo sed in quibusdam adiunctis oppressiva videri potest iis qui propter illam impatienter ferant restrictionem quae non videretur necessaria ad fidem vel mores servandos.

Interim cuncta fausta Eminentiae Vestrae adprecans et Sanctam Purpuram deosculans permaneo

addictissimus in Christo

✠ HIERONYMUS D. HANNAN

Episcopus Scrantonensis

98

Exc.mi P. D. THOMAE A. CONNOLLY
Archiepiscopi Seattlensis (Seattle)

Die 26 mensis augusti 1959

Your Eminence,

I am enclosing herewith a list of suggestions for consideration by the Pontifical Cimmission that is preparing for the forthcoming Oecumenical Council.

The matter was submitted to serious discussion with my Auxiliary, The Most Reverend Thomas E. Gill, Titular Bishop of Lambaesis, together with the members of the Curia and the faculty of the Major Seminary of St. Thomas the Apostle.

I deeply regret the delay in submitting these items. I was under the impression that they had already been posted in accordance with our cordial request of june 18th.

With sincere sentiments of deep personal esteem and kindest regards, I am

Devotedly yours in Christ
✠ Thomas A. Connolly
Archbishop of Seattle

Doctrina

1. De vero munere theologiae dogmaticae contra quosdam bonae voluntatis qui, imprudenti animarum zelo commoti, novas proponunt notiones et methodos quae (fertur) accommodant dogmata sacra mentibus rudium vel incipientium et neo-Catholicorum, et hoc quidem sub velamine catechesis aut theologiae « kerygmaticae »; contra quosdam alios qui, falsum « irenismum » amplectentes, intendunt conceptus theologicos iamdiu acceptos et in scholis quasi consecratos destruere, respuentes theologiam ut aiunt speculativam et nostris temporibus non ad rem aut nullius momenti.

2. De doctrina Sancti Thomae promovenda ne tum in theologia tum in philosophia renuntietur aut minuatur. Petimus Sacrum Concilium iterum atque iterum in propriis locis exigere ut futuri sacerdotes theologicis et philosophicis disciplinis instruantur « ad Angelici Doctoris rationem, doctrina et principia ».

3. Definitio solemnis doctrinae de Beatissima Virgine Maria ut Mediatrice omnium gratiarum.

4. De profectu dogmatum in relatione ad magisterium ordinarium praesertim de consensu Patrum ac Theologorum; de traditione ut fonte revelationis (nil innovetur nisi quod traditum est).

5. De Sacrae Scripturae inspiratione et inerrantia.

6. De origine potestatis episcoporum

7. De « Limbo ».

8. De unione mystica individui cum Christo.

9. De gratia sacramentali praesertim de matrimonio et de ordine.

10. De natura et effectibus characteris spiritualis in sacramentis baptismi, confirmationis et ordinis.

11. Natura sacerdotii dioecesani delineatur per relationem tum ad statum religiosum tum ad officium Episcopi ut pastoris.

12. Soli sacerdotes sunt proprie ministri secundarii immediati sacrificii Missae et cum eis fideles mediate offerunt.

13. De relationibus inter Ecclesiam et Statum.

Praxis

1. De doctrina de normis obiectivis moralitatis et de eius fontibus in decretis divinis, in magisterio Sanctae Matris Ecclesiae et in dictamine rectae rationis, contra errores modernos et inclinationes huius aetatis eorum qui solent scientias legitimas psychologiae et psychiatriae cum theologia morali permiscere.

2. De bello et de quaestionibus affinibus.

3. De iniuriis contra bona corporis, de mutilatione etc.

4. De principiis moralitatis quoad negotiationes.

5. Renovetur liber quintus *C.I.C.*

6. Sacerdotibus dioecesanis concedi debent facultates aequivalentes privilegiis sacerdotum religiosorum quoad indulgentias et quoad absolutionem a censuris.

7. Quantum valeat paroecia toti Sanctae Ecclesiae missioni clarificetur. Confirmetur amplificeturque status paroeciae ut fidelium focus patrius.

8. Provideatur pro senectute et pro infirmitate sacerdotum dioecesanorum.

9. De Apostolatu laicorum praesertim quoad clarificationem principiorum.

10. De obligationibus et privilegiis familiae christianae.

11. Reformatio breviarii praesertim ut magis accommodetur sacerdotibus paroeciis addictis.

12. Sit nova examinatio officii cancellarii dioecesani, et moderatoris scholarum catholicarum necnon directoris operum caritatis et aliorum huiusmodi ut fiant vera munera canonica.

Omnes has sententias multa cum diffidentia humillime obedienterque Eminentiae Vestrae profero sincero corde supplicans eas Sanctae Matri Ecclesiae profuturas.

✠ THOMAS A. CONNOLLY
Archiepiscopus Seattlensis

99

EXC.MI P. D. IOSEPHI M. MUELLER
Episcopi Siopolitani (Sioux City)

28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

In responsione ad litteram ab Excellentia Vestra die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-1277) mihi transmissam, sequentes animadversiones submitto:

1. Errores a Pio IX anno 1864 condemnati ante Concilium Vaticanum peiores facti sunt per annos. Rationalismus et modernismus heri dierum degenerati sunt in saecularismum, materialismum, communismum atheisticum, et vigent non tantum ut systemata theoretica sed ut normae vitae quotidianae, ut patet: *a*) ex superbia hominum, qui nec legi civili nec divinae se subicere volunt, *b*) ex degradatione morum populi, praecipue in rebus contra iustitiam et caritatem et castitatem. Mala, cum sint tam magna et tam universalia, assumunt characterem socialem. Mala societati adscribimus potius quam singulis hominibus et ut problemata socialia nos occupant. Solutionem problematum socialium quaerentes, utimur omni possibili modo societatibus et actionibus omnis naturae (nuper etiam, salva reverentia loquor, liturgia) sperantes salutem animarum obtinere. Et mala magis magisque crescunt. Laborantes pro societate — pro bono sociali — obliviscimur hominum? Talis rex, talis grex. Forsan prima quaestio disputanda sit: Quid de nobismetipsis? Verba movent, exempla trahunt.

2. Quae Ecclesiae non sunt essentialia, non mutentur solius mutationis causa; praxis Ecclesiae in saeculis praeteritis non semper adaequata est indigentiis modernis. Cogito inter alia de rebus liturgicis.

3. A iuventute mea de gloria et pulchritudine cantus gregoriani persuasus sum. Attamen ubicumque vado sive hic sive alibi, perpaucas invenio ecclesias in quibus cantus popularis fidelium est. Alii quidem cantus menti Ecclesiae conformes videntur, ideoque opportunum cogitari potest illos cantus magis populares promovere utpote qui ampliorem ac magis spontaneam laicorum participationem in sacra liturgia foveant.

4. Clerus revisam Breviarii Romani editionem expectat. Volumina quae nunc exstant vetera, discolorata, debilita fiunt. Exoptatur novam versionem quamprimum praeparari et edi posse.

Haec omnia humili animo submitto.

Sacram Purpuram deosculans summa, qua par est, veneratione, permaneo Eminentiae Vestrae Reverendissimae

Addictissimus in Domino
✠ IOSEPH M. MUELLER
Episcopus Siopolitanus

100

EXC.MI P. D. BERNARDI I. TOPEL
Episcopi Spokanensis (Spokane)

April 22, 1960

Your Eminence,

May I present the enclosed suggestions for the Oecumenical Council? The ideas expressed in the enclosure are those that seem most important to me for the welfare of the Church today.

With sentiments of esteem, I am

Devotedly yours in the service of Our Lady
✠ BERNARD I. TOPEL
Bishop of Spokane

Nobis videtur quod negligentia et lassitudo christifidelium de propagatione fidei et promotione rerum ecclesiasticarum maxime deplorandae sint. Qua de causa Ecclesia in vita paroeciali, in missionibus domesticis et in missionibus finium alienorum multum deficit.

Circiter 500.000.000 catholicorum in hoc mundo numerantur. Interest minimorum fidelium laborare pro Ecclesia et disseminare doctrinam

ecclesiasticam. Oportet igitur, putamus, ut Concilium Oecumenicum ad excitationem spiritus missionarii inter fideles praecipue laboret.

Haec carentia zeli et spiritus sacrificalis pro Ecclesia etiam notabilior est, si quis zelum nostrum cum zelo aliquarum sectarum comparet. Communistae zelo et sacrificio pro communismo propagando certe recognoscuntur. In Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis sectae religiosae, e. g., Adventistae (« Seventh Day Adventists ») et Testes Jehovah (« Iehovah Witnesses »), magnum zelum demonstrant. Hac in re videtur ut sectae protestantes in Statibus Foederatis plus zeli pro opere missionario habeant quam Catholici.

Paenitet nos et difficile est explicare quare permultae scholae catholicae in Statibus Foederatis plus apostolorum non efficiant. Curamus ut scholae catholicae nostrae apostolos faciant.

In terris acatholicis, ut in Statibus Foederatis, apologetica nostra deficiens esse videtur. Aptum accessum ad acatholicos non habemus. Desunt ardentes apostoli qui faciunt ea quae protestantes in Ecclesiam veram ducerent. Seminaria nostra solutionem huius problematis praebere debent.

Quia obligationem ad eundum et evangelium ad omnes gentes praedicandum non satis comprehendimus, opus missionarium impeditur. Latior longiorque conspectus Ecclesiae universalis ad omnes fideles offerendus est et ex omnibus expectandus est. Ecclesia et res ecclesiasticae omnibus magnopere pertinere debent. Episcopi ultra dioeceses suas videre debent, parochi ultra paroecias suas; religiosi ultra ordinem suum vel societatem suam; laici ultra domos suas.

Speciatim, modus reperiendus est ut omnes uno cum animo magis pro Ecclesia quam pro finibus specialibus et propriis collaborent. Exemptiones religiosorum, forsitan, singularem et maximam carentiam concordiae et collaborationis efficiunt. Dubium non est quin institutiones religiosae quasdam tutelas habere debeant. Sed exemptiones, in praxi, Ecclesiae permultum nocent. Hoc nullo modo novum est. Magnus Archiepiscopus Mediolanensis, Sanctus Carolus Borromeo, hoc vidit et deplorandum putavit. Nobis firmiter creditur et persuadetur ut hodie difficultas de exemptionibus multo maior sit. Necesse est nos solutionem invenire qua institutiones religiosae cum Ordinariis locorum collaborent.

Aliquis nonnullis occasionibus cum Episcopo qui est in ordine religioso colloquitur; talis episcopus religiosus candide agnoscit difficultates administrationis in dioecesi sua quae ex exemptionibus religiosorum sui ordinis oriuntur.

Aliquo modo fundamentum in re est sanctitas insufficiens in presbyteris. Verum est quod litterae encyclicae recentes Supremorum Pontifi-

cum emphatice indicaverunt sanctitatem ut fine necessarium in clero dioecesano. Hoc tamen firmius et clarius et magis obligatorium faciendum est.

✠ BERNARDUS I. TOPEL
Episcopus Spokanensis

101

EXC.MI P. D. CAROLI H. HELMSING
Episcopi Campifontis-Capitis Girardeauensis
(Springfield-Cape Girardeau)

Eminentissime Pater,

His litteris mitto Eminentiae Vestrae opiniones, sententias et vota quae Eminentia Vestra rogavit in epistola diei 18 iunii 1959.

Eminentiae Vestrae addictissimus in Domino
✠ CAROLUS H. HELMSING
Episcopus Campifontis-Capitis-Girardeauensis

De Matrimonio

Ad salutem animarum et ad veram fidem propagandam valde utile videtur si aliqua revisio iuris canonici habebitur de forma celebrandi matrimonii. Apud nos et multis in locis persuasio divortii viget inter acatholicos. Frequenter accidit ut acatholici iam baptizati in secta acatholica inter se matrimonium contrahant vel coram ministello vel coram magistratu civili; deinde divortium civile obtinent et novum matrimonium attentant. Saepius tales, audita fide Catholica, sincere volunt recipi in veram Ecclesiam, sed obex conversioni invenitur in can. 1012 et can. 1014, etiamsi vera dubia adsint de validitate matrimonii propter errores et probabiles intentiones contra essentiam matrimonii praesertim contra eius indissolubilitatem.

Quaeritur utrum solutio inveniatur in revisione Iuris Canonici obligantis omnes baptizatos qua tales ad formam can. 1094, firma exceptione can. 1098. Post mensem ianuarii 1949 talis obligatio extensa est ad baptizatos in Ecclesia qui tamen nati ab acatholicis numquam in fide educati sunt ... Quorum matrimonium, nullum coram Deo et Ecclesia, est tantum matrimonium civile, canonice putativum cum prole legitima.

Solutio, supra data, si valde simplex videtur quia perplurimos ex-

cludit a Sacramento Matrimonii, potest limitari addendo alteram exceptionem can. 1098; i. e., excipiendo ab observatione formae can. 1094 omnes baptizatos in secta acatholica, e. g. schismaticos Orientales, qui profitentur Matrimonium esse Sacramentum et indissolubilem et observent formam religiosam celebrationis matrimonii apud se vigentem.

Apertum est matrimonium apud perplurimos Protestantes non reputari ut Sacramentum sed tantum contractum naturalem. In contrahendo igitur matrimonio, neque cognoscunt neque volunt bonum Sacramenti.

De impedimento disparitatis cultus

Videtur etiam valde bonum ad salutem animarum si reviviscet impedimentum disparitatis cultus quod ante codicem viguit; i. e., non solum inter baptizatum in Ecclesia Catholica et infidelem sed etiam inter baptizatum (simpliciter) et infidelem. Rationes supra allatae valore fruuntur de matrimonio legitimo can. 1015 § 3, quod saepissime divortio civili dissolvitur. Post paucos annos eliminabuntur vexationes, iactura temporis, et admiratio nostrorum et exterorum in causis matrimonialibus ad petendam dissolutionem matrimonii naturalis in favorem fidei.

De vera Christi Ecclesia

Valde utile videtur reiterare in Concilio doctrinam de natura, attributis et notis Ecclesiae simpliciter autem et (quatenus res permittit) cum verbis ipsis Sacrae Scripturae. Quae de sanctitate et cultus Ecclesiae docuit Pius XII in *Mystici Corporis* et in *Mediator Dei* exhibenda sunt ad mentes fratrum separatorum alliciendas.

De Auctoritate

Inter extrema materialismi atheistici et liberalismi necesse videtur docere noviter veram Ecclesiae doctrinam de auctoritate uti a Deo manante et in Christo Rege cum omni plenitudine existente. Reiectio auctoritatis — in societate domestica, civili et ecclesiastica — recte iudicata est a Benedicto XV speciale peccatum nostrae aetatis.

Qui nostra aetate constituitur in auctoritate indiget admonitione D. N. Iesu Christi ad Pilatum (*S. Ioan.*, 19, 11). Minister et dispensator potestatis Dei est in gubernatione mundi — sive in societate civili, sive in familia, sive in Ecclesia. Ultimo reddenda est ratio villicationis suae apud Christum Iudicem. Ergo, qui auctoritati subicitur in omni obedientia et reverentia obsequium praebet non homini sed Deo. Qui sentit aliter de usu auctoritatis aut de obedientia laedit dignitatem humanam et portam aperit tyrannidi, servitio odioso aut anarchiae.

De clausura monialium

Clausura minor papalis hodie feliciter data est monialibus quae sine detrimento vitae contemplativae se dedicaverunt variis operibus apostolicis e. g., scholis, secessibus etc. Recenter Ordo S. Ursulae de Unione Romana rogavit et obtinuit a Sancta Sede clausuram minorem papalem quae consistit tantum in cellis vel dormitoriis, refectorio, et aula communitatis. Nihil aliud requiritur. Talis clausura videtur consonare nostris temporibus et praesertim necessitatibus apostolatus. Valde optandum est ut detur omnibus monialibus e. g., ex Ordine Visitationis.

De taxa solvenda

Valde utile videtur si necessitas petendi solutionem taxae pro dispensationibus, privilegiis, facultatibus etc. tum apud curiam dioecesanam tum apud Curiam Romanam gradatim omnino tolleretur. Saepius petitio taxae invenitur occasio scandali infirmorum et indoctorum et non infrequenter coram fidelibus. Perplurimi sacerdotes seipsos libere onerant cum solutione taxae pro dispensationibus ex suis parvis reditibus potius quam scandalum offerant populo.

Experientia docet valde utile esse docere fideles se esse non solum membra paroeciae sed etiam dioeceseos et praesertim Ecclesiae Universalis. Quae doctrina feliciter dabitur occasione collectae semel in anno et in omnibus ecclesiis ad sublevandum « Summum Pontificem et Sedem Apostolicam » in suis operibus multiformis administrationis et caritatis. Talis collecta (*Peter's Pence* apud nos) sublimibus motivis fidei per totum orbem terrarum habita sine dubio amplius satisfaciet pro omnibus necessitatibus Sanctae Sedis.

De usu linguae vernaculae in Liturgia Sacra

Fere omnes sacerdotes, quorum consilio Ordinarius usus est ad opiniones pro schemate Oecumenico Concilio praebendo, suppliciter rogaverunt usum linguae vernaculae in Liturgia Sacra:

1. In tota Missa Catechumenorum praesertim legendo textus epistolae et evangelii ad populum versus immediate et sine obligatione legendi eos in lingua latina.

2. In recitatione Divini Officii tum privatim tum publice (extra chorum). Experientia docet fideles diligere supplicationes publicas Ecclesiae quando officiis plena intelligentia intersunt; usus autem linguae latinae impossibile reddit hoc bonum. Praeter aedificationem fidelium in officiis publicis recitatio Breviarii in lingua vernacula aperit thesaurum

Sacrae Scripturae sacerdotibus qui, etiamsi nunc sensum recte intelligunt, facilitate loquendi in lingua vernacula carent. Quae facilitas dabitur in iterata recitatione Sacrae Scripturae in idiomate populi.

3. In Rituali Romano et etiam in Pontificali Romano, quando administrantur sacramenta, saltem extra verba formae sacramentalis.

4. In omnibus benedictionibus Ritualis Romani.

5. In cantu liturgico tum intra tum extra Missam saltem quae pertinent ad Ordinarium Missae, e. g. Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei.

De perfectione christiana

Ius et officium erit Concilio Oecumenico sollemniter vocandi omnes Christianos ad perfectionem vitae christianae:

1. Iterando verum finem hominis iuxta evangelium, i. e., carnis resurrectionem et vitam aeternam, contra somnia Communismi de beatitudine ultima in hoc mundo. Qui finis verus demonstrabitur doctrina resurrectionis D. N. Iesu Christi, et assumptionis B. V. Mariae.

2. Docendo verba Christi « Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius et haec omnia adicientur vobis » continere formulam acquirendi summam quae possibilis est beatitudinem in hac vita.

3. Demonstrando veram luctationem seu dimicationem esse non inter varia genera seu classes hominum sed in ipsa persona humana. Haec luctatio videbitur esse effectus peccati originalis. Valde necessarium videtur Concilium iterare doctrinam de lapsu primi parentis et de peccato originali eiusque effectibus, non tacendo de lucta cum spiritibus malis.

4. Praesertim vocando omnes ad veram dilectionem Dei et proximi. Quae dilectio, tamquam supra naturam et vires hominis, gratia Dei redditur facilis et dulcis.

5. Monendo omnes de necessitate tollendi crucem et sequendi Magistrum et etiam de periculo seipsum gubernandi in hac vita principiis casuistarum, i. e. tantum peccatum mortale vitando.

De Fide propaganda

Sine dubio catholici gradatim amiserunt spiritum et zelum apostolicum. Quod quidem malum est; sed peius est quod Communistae furati sunt hoc spiritum ad somnia et errores materialismi atheistici propaganda. Ergo videtur officium Concilii Oecumenici inculcare in cordibus fidelium zelum ardens pro fide vera propaganda:

1. Per assiduam orationem quotidianam pro infidelibus et omnibus quibus vera fides deest.

2. Per mortificationem quotidianam qua in spiritu paupertatis seipsos negant pro amore Christi crucifixi.

3. Per eleemosynas quotidianas tali mortificatione obtentas et missionibus Ecclesiae oblatas.

Insuper omnino utile erit opportune et importune inculcare dilectionem proximi cogitatione, verbo et opere; et laudare apostolatum laicorum qui variis associationibus directe attentant allevare necessitates corporales et praesertim spirituales, quales sunt Conferentiae S.ti Vincentii de Paulo et Legio Mariae.

De officio et dignitate Sacerdotis

Valde utile erit si Concilium non solum iterabit doctrinam de dignitate presbyteri sed etiam monstrabit talem spiritualitatem ex ipsa natura sacerdotii necnon ab hodierno apostolatu exigi.

(Recens Encyclica Littera S. S. Pontificis in Centenario S.ti Ioannis Mariae Vianney fuit aptissima ad hunc finem).

De acatholicis vocandis ad Concilium Oecumenicum

Apertum est nobis, Concilio iam a Summo Pontifice convocato, Ecclesiam habere ius ad quasdam personas invitandas, secundum can. 223. Praeterea invitatio faciliter extenditur episcopis eorum qui in antiquo schismate manent.

Sed praeter multitudinem schismaticorum, adsunt in mundo perplurimi qui profitentur Christum Deum esse. Hi omnes, quia eorum patres negaverunt episcopatum et sacerdotium, necessario extra Concilium inveniuntur. Quaeritur, igitur, utrum proceres eorum e. g. moderatores sectarum principalium uti Lutheranorum, Methodistarum etc. vel moderatores supremi Foederationum sectarum uti « National Council of Churches », « World Council of Churches » invitari possint non ut habentes suffragium deliberativum sed tantum consultivum seu ut observatores.

Si tales moderatores sectarum protestantium vocantur, opportunum nobis videtur Summum Pontificem Ipsum sive personaliter sive per eius Secretarium Status extendere huiusmodi invitationem. Talis invitatio mitti potest directe, consulto prius Ordinario Loci vel Episcopatu Regionis, vel indirecte per Ordinarium Loci.

✠ CAROLUS H. HELMSING
Episcopus Campifontis-Capitis-Girardeauensis

102

Exc.mi P. D. GULIELMI A. O'CONNOR

Episcopi Campifontis in Illinois (Springfield in Illinois)

Die 15 octobris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ad litteras istius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, N. 1 C/59-1297 me referens, quasdam submitto quaestiones, quae mihi pertractandae utiliter videntur in proximo Concilio.

In primis mihi perutili videtur quaestio de Seminariorum alumnis iuxta hodiernas populi christiani necessitates praeparandis ac efformandis. Tempora mutantur et mores, dum divina veritas et doctrina catholica manent in aeternum, proindeque videndum ac decernendum est quomodo Domini ministri hodiernum mundum evangelizare ac christiane efformare valeant.

Vita ipsorum sacerdotum valde differt ab anteacta aetate, sed semper ipsi esse et manere debent fideles Christi administri et solliciti animarum pastores. Recolere quoque iuvat quod non sunt strictiores disciplinae leges aut normae, quae eos adiuvabunt ad spiritum sacerdotalem servandum ac fovendum, sed sincera, profunda ac plena in Seminariis efformatio.

De ipsa autem veritate catholica custodienda ac utiliter tradenda proximum Concilium quaedam constituere poterit, potissimum ad Sacrae Scripturae interpretationem, studium et explanationem quod attinet. Absque dubio « cibus mentis est Verbum Dei », sed verbum Dei convenienter evulgandum est, et Dei administri digna aptaque sint instrumenta oportet, ut Dominus per os eorum vere et realiter loquatur.

Ipsae Evangelii diei dominicae pericopes forsitan mutandae ac augendae sunt ut totum Evengelium fidelibus explicetur, sed brevis planaque verbi Dei explicatio in singulis diebus dominicis utique sit.

Institutio autem catechistica, quae omnino necessaria est, utilius et efficacius tradenda videtur in scholis, in circulis studii et discussionis, necnon in missionibus, aliisque mediis et methodis hodiernis temporibus aptioribus.

Denique agendum videtur de actione pastorali practica, quae adhibenda est ad fovendum et maturandum reditum haereticorum in verae

Ecclesiae sinum, atque erga eos plurimos, qui divinam revelationem non agnoscunt aut Deum esse absolute negant.

Haec dum Tibi humillime communico sperans alicuius fore utilitatis, Sacram Purpuram deosculor et summa qua par est veneratione me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
humillimum ac devotissimum servum

✠ Gulielmus A. O'Connor
Episcopus Campifontis in Illinois

103

Exc.mi P. D. CHRISTOPHORI WELDON
Episcopi Campifontis (Springfield in Massachusetts)

28 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Acceptis repetitis precibus Eminentiae Tuae, et rebus maturiore studio et consultatione ponderatis sequentes suggestiones in Concilio Oecumenico proxime celebraturo considerandas submitto:

1. Constituatur in Urbe stabile officium cuius esset perpendere res quae ad « Motum Oecumenicum » per universum orbem pertinent.

2. Concedatur facultas omnibus sacerdotibus Sacrum Feria Quinta Hebdomadis Sanctae litare.

3. Concedatur fidelibus facultas linguam vernaculam adhibendi in Missa dialogata e. g. saltem in talibus partibus Missae ut « Gloria » et « Credo ».

4. Concedatur facultas recitandi Divinum Officium in lingua vernacula ab libitum sacerdotis.

Supradictae suggestiones humiliter reverenterque submittuntur simul cum renovato proposito quotidie « memento » in Sacrificio Missae faciendi non modo pro felici exitu Concilii Oecumenici, verum etiam pro omnibus intentionibus Sanctitatis Suae, Ioannis Papae XXIII.

Eminentiae Tuae addictissimus in Christo

✠ Christophorus I. Weldon, D. D.
Episcopus Campifontis

104

EXC.MI P. D. AMBROSII SENYSHYN

Episcopi Stanfordensis Ruthenorum (Stamford)

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

In responsione ad litteras Eminentiae Tuae ex die duodevicesima iunii anni currentis, opiniones et consilia ad futurum Concilium Oecumenicum petentes, pergratum mihi est quinque res sequentes proponere:

1. Clerum catholicum rituum Orientalium clero ritus Latini quod attinet ad obligationem recitationis Divini Officii aequiparare (cf. can. 135).

2. Sollemniter ut dogma Sanctissimam Virginem Mariam Mediatricem esse proclamare.

3. In catechismis catholicorum ritus Latini liberis disciplinam de ritibus Orientalibus praebere. Videtur nobis, hoc maxime ad unionem cum dissidentibus prodesse.

4. In scholis catholicis discipulis malitiam communismi aperire atque eos quomodo catholici quod attinet ad hoc systema se gerere debeant perdocere.

5. Viros scientia theologica ad normam iuris canonici munitos, sed vinculo matrimoniali iunctos, ad diaconatum admittere.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

✠ AMBROSIUS SENYSHYN

Episcopus Stanfordensis Ruthenorum

105

EXC.MI P. D. A. IOANNIS KING MUSSIO

Episcopi Steubenvicensis (Steubenville)

6 aprilis 1960

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Litteris mihi scriptis die 21 martii 1960 a Pontificia Commissione respondere propero. His in litteris postulabatur ut animadversiones, consilia votaque pertinentia ad veniens Oecumenicum Concilium a Ioanne Papa XXIII convocatum transmitterentur. Fieri non poterat ut

primis litteris responderem quia haec tua communicatio advenit tempore quo erat valde difficile respondere tempore constituto. Nunc autem mihi est privilegium offerre has animadversiones monstrantes, mea humili sententia, necessitates speciales Ecclesiae visae ab hoc territorio praecipuo Ecclesiae.

1. Quoad Oecumenicum Concilium: Nostri sacerdotes et fideles actione Suae Sanctitatis hoc Concilium convocantis gaudent. Est signum maximum unitatis tempore quo desiderium unitatis procul a peractione est. Dat autem fidelibus illam fiduciam, nostram Sanctam Ecclesiam cognoscere non solum multas difficultates hodie praevalentes sed etiam Eam illas scire expedire. Hoc Oecumenicum Concilium denique ponit religionem rursus primo loco in mente multorum acatholicorum qui tempore praesenti omnibus praeter religionem ut responsum omnibus suis difficultatibus confidunt.

2. Nobis opus est defaecatione de coniunctione inter Ecclesiam et Statum in societate pluralistica. Cuncta scientia politica religiosaque eget novo studio praesertim cum pertineat ad talem societatem pluralisticam qualem in Civitatibus Foederatis habemus.

3. Puto necesse esse nos, nostros sacerdotes in nostra dioecesi diligenter dureque laborantes a praesenti obligatione Breviarii quam maxime levare. Requisita lectio eiusdem valde redigenda est. Hodie sacerdotis officia et paroecialia et docentia ita sunt ut ei nulla sit facultas apte legendi tanta ab eo requisita. Subiciam ut ad Matutinum dicantur tres psalmi et tres lectiones, alterae partes Matutini manentes sine mutatione. Nihil mutationis autem ad alias Divini Officii horas.

Scio praeterea me pro omnibus sacerdotibus huius dioecesis loqui cum commendo ut sacerdotibus privilegium legendi Divinum Officium vel in latina vel in vernacula secundum eorum selectionem concedatur. Quod si ita esset, Divinum Officium esset multis sacerdotibus exercitium spirituale potiusquam officium durum sicuti est hodie.

Preces nostrae ad intentiones Sancti Patris praesertim cum pro hoc Oecumenico Concilio applicentur. Pontifice Romano duce, gaudemus et plene obedimus et nos omnibus quae a nobis petat submittimus.

Deus Pontificiam Commissionem in tanto labore parandi hoc Oecumenicum Concilium illuminet et ducat.

Haec dum Tecum communico, impensos meos aestimationis sensus Tibi obtestor permanens

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus
✠ IOANNES KING MUSSIO
Episcopus Steubenvicensis

106

Exc.mi P. D. VALTHERI A. FOERY
Episcopi Syracusensis (Syracuse)

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est communicare Pontificiae Commissioni quasdam animadversiones seu opiniones quae forsan in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt:

I. *Sub capite doctrinae*

a) *De Mariologia*: Maria est vere Mater Spiritualis omnium hominum. (Prox. Fidei et Definibilis).

Maria est Mediatrix Omnium Gratiarum (quae mediatio non ponitur ex natura rei, sed ex libera Dei et Christi voluntate). (Doct. Certa et Cath.).

b) *De Deo Creante et Elevante*: Totum Genus Humanum ab Adamo, omnium protoparente, naturali generatione originem ducit (*Theol. Certa*).

Clarificatio theoriae modernistae de evolutione.

c) *De Ecclesia*: Clarificatio propositionis « extra ecclesiam, non datur salus », esp. re: Fr. Feeney.

II. *Sub capite disciplinae*

a) Hortatio ut Iudaei et Dissidentes fidem amplectent.

b) Re-activatio Ordinum Minorum (incl. Diaconatum et Subdiaconatum).

c) Usus linguae vernaculae.

d) Ecclesia et Respublica.

III. *De iurisdictione rituum diversorum eodem in loco*

Saepe evenit, praesertim in regione nostra, ut fideles unius ritus sese in numero minore inveniant apud ritus diversi populum. Immo difficultates multiplicantur quando, uti casus est, populus non iam tam stabilis est quam olim. Ex charactere regionis nostrae industriale, malum oritur ex eo quod personae individuales, immo totae familiae, ab uno loco ad alterum persaepe transeunt. Porro ex populorum multitudine

ipsa infra eamdem civitatem, nec rarus est quod eorum numerus excedat centum millia animarum, multiplicantur difficultates quando diversitas iurisdictionis exigitur.

Impossibile nec desiderabile est diversitatem rituum minuere. Ratio autem diversitatis rituum est augere potius quam Ecclesiae Christi unitatem incommodare. Ne finis ne praxis ritus alicui personae proprii obfuscetur, mens nostra est.

1. Detur libertas alicui fideli sese abscribendi isti ritui in quo facilior ei est fidem servare. Normae possunt instrui ita ut adscriptio alicuius personae certe nota sit, e. g., expressio voluntatis sese obligandi auctoritati Ecclesiae secundum ritum praeferendum, quae expressio debet fieri in scriptis coram delegato Ordinarii ritus, sive latini sive orientalis.

Ne iurisdictio propria ritus alicuius minuatur, praeferentia iurisdictionis servanda est apud Ordinarium unius ritus, ita tamen ut concomitantia iurisdictionis etiam fruatur ab Ordinario alterius ritus, quando loci Ordinarius est diversus ab Ordinario proprio.

Cum omni qua par est reverentia, permaneo

Addictissimus in Christo
✠ VALTHERUS A. FOERY
Episcopus Syracusensis

107

EXC.MI P. D. GEORGII I. REHRING
Episcopi Toletani in America (Toledo)

Toleti in America, die 19 augusti 1959

Eminentia Vestra,

Post orationem, deliberationem atque cum consultoribus Dioecesanis discussionem habitam, velim respondere litteris vestris iam abhinc unum mensem acceptis.

Quoad necessitatem, utilitatem aut tempus opportunum convocandi Concilium Oecumenicum, subsignatus confitetur suam carentiam scientiae ad formandum iudicium validum. Intuitu supereminentis sapientiae Sanctitatis Suae eiusque erudissimorum cooperatorum, certus est concilium esse producturum multum ad firmanda vincula quae nos omnes cum Sanctitate Sua coniungunt et ad dandam omnibus fidelibus non-fideli-

busque clariorem intelligentiam de Unitate et Universalitate Ecclesiae Christi.

Temerarium esset subsignato putare quod ipse posset suggerere aliquid discutiendum non iam a viris doctissimis bene animadversum. Subsignatus in suis observationibus, deductionibus conclusionibusque praecipue determinatur a conditionibus dioecesis propriae atque patriae; dum conditiones apud populos extraneos insufficienter scit.

Quamvis Concilium propositum feliciter sub patrocinio Sancti Pii X iam positum sit, quaeritur, si licet, utrum poni posset etiam sub praesidio B. V. M. Matris de Succursu Perpetuo.

In toto nostro territorio preces fiunt pro beatissimo eventu Concilii venturi.

Omni qua par est reverentia,

Addictissimum vestrum me subsigno
✠ Georgius I. Rehring
Episcopus Toletanus in America

108

Exc.mi P. D. GEORGII G. AHR
Episcopi Trentonensis (Trenton)

Die 28 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Hisce cum litteris transmitto ad Pontificiam Commissionem Antepreparatoriam pro Concilio Oecumenico animadversiones quasdam de materiis quae, ut mihi videtur, utiliter in Concilio tractari possunt.

Interim, sacram purpuram, qua par est reverentia, deosculans, Eminentiae Vestrae Rev.mae bona cuncta adprecor et me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimum in Domino
✠ Georgius G. Ahr
Episcopus Trentonensis

Iudicio meo quaedam res magno cum fructu in futuro Concilio tractari possunt ut sequitur:

1. Virginitas Mariae in partu. Quidam scriptores huic dogmati interpretationem dare voluerunt quae dogma quasi sine significatione relinquit.

2. Salus infantium qui sine Baptismo moriuntur. Nonobstante allocutione Pii XII (*A.A.S.*, Vol. 43, p. 841), nonnulli proposuerunt sententias doctrinae traditionali de necessitate Baptismi oppositas, quippe quae spem extendunt salutis pro omnibus infantibus sine Baptismo morientibus vel saltem v. g., pro iis qui in utero moriuntur. Difficultas in ordine practico est dilatio Baptismi.

3. Fines Matrimonii. Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii Decretum hac de re anno 1944 edidit. Hoc non obstante, adhuc quaedam scripta inveniuntur quae fines secundarios exaggerant. Haec emphasis effectum tristem habere potest quoad caelibatum et virginitatem. Potest ansam dare usui, sine discrimine et iustificatione, methodi limitandi prolem per continentiam periodicam. Immo in sic dicta Lambeth Conference adhibita est ut *iustificatio* foecundationis artificialis.

4. Relationes Statum inter et Ecclesiam. Multa hac de re his ultimis annis scripta sunt. Fortasse in Concilio futuro habere possumus resolutionem auctoritativam huius controversiae.

5. Apologetica seu Theologia Fundamentalis. Sunt qui asserunt unicam validam demonstrationem Christianam et Catholicam esse illam quae desumitur ex Ecclesia ipsa ut miraculo morali. Aliqui considerant tamquam nullius valoris tractatum de Vera Religione. Parvipendunt cognoscibilitatem et vim probativam miraculorum.

Occasione Concilii Oecumenici provisio fieri debet, ut videtur, pro electione summi Pontificis et pro praeservatione Hierarchiae ecclesiasticae pro casu, non impossibili, sed quod Deus avertat, in quo inimici Dei et Ecclesiae per explosionem machinae thermo-nuclearis omnes electores Pontificis et omnes episcopos Romae coadunatos morte afficiant.

✠ GEORGIUS G. AHR
Episcopus Trentonensis

109

EXC.MI P. D. DANIELIS I. GERCKE
Episcopi Tucsonensis (Tucson)

Die 5 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Litteris Eminentiae Vestrae diei 21 martii huius anni respondeo. Propter moram in responsione ad litteras diei 18 iunii 1959 veniam humiliter peto. Relate ad futurum Concilium Oecumenicum et ad res, quae in Concilio tractari poterunt, observationes aliquas mitto.

I. *De Ecclesia Orientali*

In Ecclesia Orientali sunt ritus varii in communione cum Sancta Sede. Hanc Ecclesiam firmius incorporare cum Ecclesia Universali multum proficeret. Inter Orientales sunt sancti et, si aliqui processu digni in Calendario Ecclesiae Universalis canonizarentur, pro Orthodoxorum conversione valde faceret inter istos Ritus.

II. *De Liturgia*

1. Mutationes in ieiunii Eucharistici legibus faciunt ut magis et magis fideles ad communionem Sacram accedant.
2. Forma simplicior in Officii Divini recitatione bene acciperetur. Melius esset, mihi videtur, si recitatio, extra monasteria, brevior fieret, Matutinum reducendo ad unum nocturnum, e. g., ut in festis Resurrectionis et Pentecostes aut simplicibus.
3. Apud nos contra usum linguae vernaculae in Liturgia standum est.

III.

1. In hac Dioecesi reditus ex donis occasione baptismi, matrimonii et funerum ad paroeciam pertinent. Sacerdotes salarium fixum percipiunt. Legem universalem votarem quae statueret paroeciae iura stolae danda esse.
2. De praecepto societas ad clerum auxiliandum in casu infirmitatis aut senectutis in omni dioecesi fundetur.

IV. *De Concilio futuro*

Concilii Oecumenici propositi nunciatio in nostra Patria bene accepta est. In ephemeridibus etiam acatholici pro hoc Concilio rationes legere possunt et multi inter eos bene disponuntur. In hac Patria multae conversiones ad fidem catholicam quotannis habentur. Acatholici reverentiam magnam monstrant nunciationibus ab Ecclesia Catholica. Sperandum est ergo bonum multum ex Concilii nuntiatione venturum esse.

Oremus ad invicem et pro Concilio ut multi qui sedent in tenebris ad lucem inducantur. Summa qua par est reverentia et devotione permaneo

Eminentiae Vestrae
Addictissimus in Christo

✠ DANIEL I. GERCKE
Episcopus Tucsonensis

110

Exc.mi P. D. PATRITII L. O'BOYLE

Archiepiscopi Vashingtonensis (Washington)

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Respondens Vestris litteris de materia proximo Concilio Oecumenico apte submittenda, sequentes quaestiones propono. Revera, plura ex his problematibus iam discussa vel etiam soluta sunt, sive a Summis Pontificibus in litteris Encyclicis, sive a Sacris Congregationibus in suis decretis. Nihilominus, etiam haec, uti videtur, convenienter proponi possunt Concilio Oecumenico, ut lucidius et plenius ab universo magisterio Ecclesiae exponi possint. Aliae ex hisce quaestionibus sunt res fidei, aliae res morum. Has quaestiones propono cum plena submissione iudicio Sanctae Sedis:

Res fidei

1. *De historicitate S. Scripturae, praesertim N. Testamenti.* Etenim temporibus recentioribus plures disputationes exortae sunt inter doctores et auctores Catholicos de interpretatione factorum historicorum quae in libris inspiratis narrantur; et quaedam theoriae de valore historico Scripturae Sacrae omnino novae propositae sunt. Optandum est ut Concilium determinet quasdam normas ad theologos dirigendos in hac materia.

2. *De significatione doctrinae « Extra Ecclesiam nulla est salus ».* Revera, haec doctrina est dogma fidei (DB., *Enchiridion Symbolorum,* n. 430). Nihilominus, haec doctrina aliqua interpretatione indiget, qualis a Sacra Congregatione S. Officii data est Archiepiscopo Bostoniensi in casu tristi P. Feeney.

3. *De mediatione universali B. V. Mariae.* B. V. Mariam esse aliquo modo mediatricem omnium gratiarum iam declaratum est a S. Pontificibus (DB., 1940 a, 1978 a). Forsan Concilium clariorem explicationem huius doctrinae dare vellet.

4. *De evolutione corporis humani a creatura viva irrationali.* Sperandum est ut Concilium theoriam *evolutionismi,* iam tractatam a Pio XII in litteris Encyclicis *Humani Generis* (DB., n. 2327), iterum investigaturum sit, ut doctrinam ab omnibus Catholicis tenendam clare proponat.

5. *De possibilitate existentiae creaturarum rationalium in aliis planetis.* Nonnulli putant Doctrinam Catholicam, praesertim dogma de In-

carnatione et Redemptione, opponi possibilitati creaturarum rationalium in aliis planetis. Declaratio Concilii de hac quaestione toti mundo afferret lucem de harmonia Doctrinae Catholicae cum inventionibus scientiae modernae.

Res morum

1. *De essentiali aequalitate omnium hominum, non obstante diversitate nationali vel ethnica.* In pluribus regionibus Statuum Foederatorum existit spiritus lamentabilis discriminis et nonnumquam etiam odii contra cives originis Africanae. Si Concilium Oecumenicum declararet essentialem aequalitatem omnium hominum, propter unitatem in Adam et in Christo, multum prodesset ad honorem fidei et Ecclesiae.

2. *De conditionibus requisitis ad bellum iustificandum.* Ad corrigendos errores propositos tum ab illis qui nimis facile bellum iustificant tum ab illis (Pacificistis) qui bellum tamquam aliquid intrinsece malum condemnant, explicatio et declaratio hac de re auxilium multum praeberet ad pacem mundi praeservandam.

3. *De iustis relationibus inter operarios et patronos.* Hodie plura dissidia existunt inter operarios et patronos, praesertim propter nimiam avaritiam et defectum caritatis ex utraque parte. Ad haec dissidia componenda multum adiuvaret plenior expositio doctrinarum expositarum tum a Papa Leone XIII in *Rerum Novarum* tum a Papa Pio XI in *Quadragesimo Anno.*

4. *De finibus matrimonii.* S. Congregatio Sancti Officii, die 1 aprilis, 1944, decretum edidit asserens finem primarium matrimonii esse procreationem et educationem prolis (DB., n. 2295). Confirmatio huius decreti a Concilio Oecumenico magis in lucem proferret doctrinam Ecclesiae de sancto statu matrimonii.

Consideratio et propositio auctoritativa harum quaestionum a Concilio Oecumenico valde desiderabilis esset, tum ad fidem et unitatem Catholicorum firmandam, tum ad manifestandum acatholicis harmoniam et immutabilitatem doctrinae Ecclesiae Catholicae.

Preces ferventes promitto ut Sua Sanctitas in vita et vigore praeservetur et ad felicem exitum proximum Concilium Oecumenicum perducat, etiamque ut Eminentia Vestra in laboribus magnis pro Christo et Ecclesia lumen et auxilium divinum abundanter recipiat.

Addictissimus frater Vester

✠ PATRITIUS L. O'BOYLE
Archiepiscopus Vashingtonensis

111

Exc.mi P. D. IOANNIS I. SWINT
Episcopi Vhelingensis (Wheeling)

Die 6 aprilis 1960

Eminentia Tua,

Hisce responsionem damus litteris tuis die 21 martii editis, N. 1 C/59-1469-bis.

De Concilio Oecumenico futuro multum gaudemus, cum fructus insignes Ecclesiae afferre possit. Ad hos fructus securius obtinendos, Nobis placebit si inter alia argumenta sequentia tractarentur:

1. Labores catholicorum totius orbis, duce Sancta Sede, expendi debent ad salvandam ecclesiam Americae Meridionalis. Conditiones ibi extantes serio perpendantur, et remedia apta systematice applicentur. Si conditiones praesentes perdurare sinuntur, infra paucos annos remedia qualiacumque inutilia erunt. Propaganda a sectis protestantibus necnon communistis magno cum successu diffusa Ecclesiam veram destruet nisi remedia necessaria immediate applicentur.

2. Omnes vires Ecclesiae dirigi debent ad reunionem Ecclesiae Orthodoxae Orientales cum Sancta Sede efficiendam. Si talis reunio realizetur, status sacerdotum orientalium iam nuptorum studiose considerari debet.

3. Minoris momenti et probabiliter ad aliquas tantum nationes applicabilis, quaestio de vestitu clericorum discuti potest. Saltem in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis abusus serii hac in re extant, maxime durantibus feriis aestivis, etc. Sacerdotes porro deberent semper illos qui residentiam paroecialem aggrediuntur vestibus clericalis induti salutare.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum

✠ Ioannes I. Swint
Episcopus Vhelingensis

112

Exc.mi P. D. MARCI K. CARROL

Episcopi Vichitensis (Wichita)

Die, 24 augusti 1959

Eminentia Vestra,

Litterae Vestrae benignissimae certiores nos facientes Sanctitatem Sua constituisse Antepraeparatoriam Commissionem pro futuro Concilio Oecumenico receptae sunt.

Difficultatibus et confusione in mundo praevalentibus talem expressionem unitatis in Ecclesia Catholica sincerissime sentimus fontem esse inspirationis ac spei toto orbe terrarum. Invitatio a Patre Christianorum ad fratres separatos extensa permulta tenerrime tanget corda eritque evidentia clarissima caritatis et curae, quas erga omnes nationes ac populos fovet Christi Vicarius. Firmissima est nobis spes fore, ut precibus et caritate mutua Concilium fiat medium felix, ut preces Pastoris Boni desideratissimum adducant effectum, ut fiat « unum Ovile et unus Pastor ».

Gravissimae difficultates in multis orbis terrarum partibus grassantes non existunt in nostra dioecesi; quamobrem quaecumque a Commissione Vestra honorata proponantur, Ecclesiae et animabus gratissima erunt et utilissima. Quoad res doctrinales consilium dare non possumus.

Quoad sacerdotes autem utilius atque fructuosius eorum spirituali esse posset progressui, si saltem illis in cura animarum laborantibus officii divini recitatio in sermone patrio permitteretur, aut licentia concederetur loco officii divini unam horam ante Sanctissimum peragere precibus idoneis iuxta eorum arbitrium ac devotionem seligendis. Numquam minuatur obligatio quotidiana precandi; sed, vita spiritualis sacerdotum in cura animarum enixe laborantium augeretur ac ditaretur, si lingua nativa pro recitatione officii divini uti permitteretur.

Summi Pontifices accuratissime cognoverunt mundi conditiones mutantes et mutatas hodiernis temporibus. Mutationes a Summis Pontificibus iam factae vitam spiritualem fidelium multo ditabant, ita ut eorum devotio et zelus ferventius nunc ardeant et floreant. Quascumque alias innovationes Sanctitati Suae ad hunc finem instituere placeat, utilissimae erunt ac gratissimae.

Sanctitati Suae et Eminentiae Vestrae sincerissima devotione ac fidelitate affirmamus preces publicas, diurnas et ferventes nos, una

cum tota dioecesi Vichitensi nobis commissa, esse oraturos, ut Spiritus Sanctus, a Filio Dei promissus, et a Patre Aeterno Ecclesiae missus, Vos dirigat in hoc opere gravissimo agendorum praeparandorum et in deliberationibus Sanctitatis Suae et Patrum in Concilio praesentium.

Interim impensos animi sensus imo ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, Salutem a Domino adprecans,

Eminentiae Vestrae Rev.mae
add.mus

✠ MARCUS K. CARROL
Episcopus Vichitensis

113

EXC.MI P. D. EDUARDI A. FITZGERALD
Episcopis Vinonaënsis (Winona)

Die 30 iulii 1959

Eminentissime Domine,

In responsione dicam non habere ullas animadversiones, consilia aut vota suggerenda circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari possunt.

Acceptabo humiliter quaecumque fuerint Ecclesiae animarumque bono profutura et orabo ut Deus Concilium Oecumenicum propositum benedicat.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae

in Christo Iesu

✠ EDUARDUS A. FITZGERALD
Episcopus Vinonaënsis

114

EXC.MI P. D. BERNARDI I. FLANAGAN
Episcopi Vigorniensis (Worcester)

Die 13 aprilis 1960

Eminentia Vestra,

Pergratum mihi est ex invitatione Eminentiae Vestrae sequentes breves animadversiones facere de rebus quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent:

1. Commendo formam breviorem pro consecrationibus variis in Pontificali, in particulari pro ecclesiis et altaribus.

2. Revisio Officii Divini ita ut hodiernis conditionibus et regimini cleri saecularis aptius conformetur, a pluribus sacerdotibus nostris commendatur. Discussio de usu vernaculae linguae in Officio etiam videtur opportuna.

3. Pro nobis qui apud societatem sic dictam pluralisticam degimus, expositio positiva doctrinae Ecclesiae relate ad varias formas gubernationis civilis videtur opportuna; hunc ad finem ut evidens sit nullam contradictionem exstare inter professionem fidei Catholicae et obligationes nostras civiles. Punctum in Symbolo Papae Pii IX ad hanc rem pertinens, sed quod nos scimus ad conditionem sui temporis contemporaneam modo particulari pertinere, ab inimicis Ecclesiae detorquetur ad detrimentum fidelium qui officia publica quaerunt, immo ad damnum ipsae fidei et Ecclesiae. Ergo, declaratio officialis positionis seu doctrinae Ecclesiae hac in re putatur et utilis et opportuna.

Omni qua par est obsequio Eminentiam Vestram prosequor meque profiteor

Eminentiae Vestrae addictissimum

✠ Bernardus I. Flanagan
Episcopus Vigorniensis

115

Exc.mi P. D. IOSEPHI P. DOUGHERTY
Episcopi Yakimensis (Yakima)

Die 19 aprilis 1960

Princeps Eminentissime,

Statim ac litteras Eminentiae Vestrae die 18 iunii 1959 subscriptas de animadversionibus, consiliis ac votis Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico respicientibus recepi, opiniones, suggestiones, necnon vota mea ut invitationi Eminentiae Vestrae libenter obvenirem, componere incipiebam.

Accidit autem quod mense augusti graviter aegrotavi et die 18 mensis septembris secari passum sum, unde non nisi medio mensis octobris ad Cancellariam redire poteram. Deinde illam diem primam septembris hac die iam elapsam, opportunitatem proponendi animadversiones, etc., amissam aestimabam.

Nunc autem pergratam epistolam Eminentiae Vestrae ulteriorem die

21 martii subscriptam recepi et novam vel potius prorogatam opportunitatem opiniones et vota scribendi laetus amplector. Privilegium sane maximum mihi erit si vel minimam partem habeam in futuro Concilio Oecumenico cuius Commissio Antepraeparatoria, Deo adiuvante, a Summo Pontifice Papa Ioanne XXIII fel. reg. iam instituta est.

Proinde, auditis de hac maximi momenti materia sacerdotibus peritis ac prudentibus sequentia, mea opinione, in futuro Concilio fructuose tractarentur.

Pars Dogmatica:

1. Magis elaboretur species et figura verae et unicae Ecclesiae cum speciali relatione ad multiplices sectas acatholicas et schismaticas ut universa plebs christiana tandem aliquando in unum iterum adnumeretur.

2. Determinetur valor baptismi in haeresi collati in quantum prodest validitati seu sacramentalitati subsequentis matrimonii.

3. Omnibus sacerdotibus concedatur facultas administrandi Sacramentum Confirmationis omnibus qui in periculo mortis ubique inveniantur.

Pars Liturgica:

Concedatur usus linguae vulgaris in certis functionibus et in privata lectione Divini Officii.

Pars Disciplinaria:

1. Clarificetur divina constitutio sacrae hierarchiae in Ecclesia praesertim quoad cultum divinum et curam animarum. Prudenter minuatur exemptio religiosorum.

2. Restauretur momentum et excellentia paroeciae et vitae paroecialis.

Hanc occasionem nactus, impensos aestimationis meae sensus Eminentiae Vestrae pando permanens,

Addictissimus in Domino
✠ IOSEPHUS P. DOUGHERTY
Episcopus Yakimensis

116

EXC.MI P. D. EMMET M. WALSH

Episcopi Youngstoniensis (Youngstown)

April 22, 1960

Your Eminence,

In reply to the letter of the Pontifical Commission Preparing for the Oecumenical Council under date of March 21, I am enclosing three proposals which I believe are worthy of consideration .

The first proposal suggests the establishment of a Pontifical Commission to continue the efforts of the Oecumenical Council to achieve a unity of all Christian people under the Vicar of Christ.

My second proposal is an appeal that Canon 1070, para. § 1, which exempts non-Catholics from the impediment of disparity of cult, remain unchanged. It is my firm opinion that any change in this law would result in scandal and in very serious harm to Church-State relationship in the United States. In conjunction with this, I further suggest that the Holy See not grant the dissolution of marriage in favor of faith when the marriage takes place before a Catholic priest and two witnesses and when a dispensation from the impediment of disparity of cult has been obtained. This practice is a source of serious scandal to Catholics in America.

My final proposal offers a practical solution to a problem that is peculiar to the United States. Diverse rite marriages are inevitable in the United States because of the social intercourse of people of different rites. Accordingly, I am suggesting that the Holy See permit the couple to decide in writing before marriage the rite in which they will practice the Catholic Faith and rear their children. Such a law would offer the best hope of religious family unity and the best guarantee that the couple will continue to practice their Catholic Faith and rear their chidren as Catholics.

Submitting these considerations for Your Eminence's judgment, I am, with deep sentiments of esteem,

Sincerely yours in Christ,

✠ EMMET M. WALSH
Bishop of Youngstown

Die 22 mensis aprilis A. D. 1960

I. Proponitur ut, absoluto Concilio Oecumenico, instituatur specialis pontificalis commissio cuius ius et officium erit in finem deducere quae in ipso Concilio proposita et acceptata fuerunt ad consequendam unitatem populorum in fide.

Membra huius commissionis, a Sede Apostolica nominata, poterunt examinare et discutere ea in quibus lateret diversitas a fide catholica, et proponere media quibus ad unitatem in rebus fidei et morum provenire possit sub cura Sedis Apostolicae.

II. Proponitur ut in iure canonico retineantur quae in canone 1070, § 1 statuuntur de impedimento disparitatis cultus. Id est ut hoc impedimento teneantur tantum « in ecclesia catholica baptizati » quando cum persona non baptizata matrimonium contrahant, iique qui ad fidem catholicam ex haeresi aut schismate conversi quoties cum persona non baptizata matrimonium ineant.

Nam si, uti ante codicis promulgationem, sub hoc impedimento includerentur etiam qui in secta acatholica baptizati fuerint, multiplicarentur matrimonia invalida.

Porro si iterum extenderetur hoc impedimentum ad acatholicos valide baptizatos, magna oriretur inter acatholicos confusio, magnumque scandalum ex eo quod Ecclesia Catholica non agnosceret validitatem eorum matrimoniorum et insimul legitimitatem prolis ex tali matrimonio procreatae. Plurimi enim acatholici non agnoscunt, et quidem cum bona fide, iurisdictionem Ecclesiae Catholicae divinitus datam in rebus quae ad matrimonii sacramentum pertinent. Magis, igitur, duceretur ad unitatem si servetur exemptio acatholicorum ab impedimento disparitatis cultus uti in canone 1070, § 1 statuitur.

Per modum corrolarii proponitur insimul ut de futuro non concedatur dissolutio in favorem fidei matrimoniorum coram Ecclesia Catholica valide contractorum cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

Nam per dissolutionem in talibus casibus augetur admiratio populorum etiam catholicorum. Persuasi enim sunt quod matrimonium coram Ecclesia initum permanens esse debet. E contra mali catholici parvipenderent sanctitatem matrimonii, etiam cum dispensatione ab hoc impedimento initi si postea facile obtinere possint dissolutionem sui matrimonii per dispensationem in favorem fidei.

III. Proponitur ut in matrimoniis catholicorum diversi ritus concedatur coniugibus ius eligendi ritum in quo vellent exercere obligatio-

nes Fidei Catholicae, et ut praescribatur ut talem electionem in scriptis deducant.

Nam catholici, praesertim in Statibus Americae Septentrionalis Foederatis fere universim minime cognoscunt Ecclesiae leges de matrimoniis diversi et mixti ritus usquedum agatur de praeparatione ad matrimonii celebrationem. Tunc tantum discunt matrimonium debere celebrari, contra consuetudinem apud nos, in ecclesia et coram parocho sponsi, et universum prolem debere educari in ritu mariti. Difficulter tantum intelligere possunt fundamentum talis legis et difficulter tantum legem ipsam acceptant. Itaque plurimis in casibus petunt licentiam celebrandi matrimonium in ecclesia et coram parocho sponsae, et insimul permutationem ritus.

Electio ritus in matrimonio plerumque fiet ab illa parte quae firmius fundata est in fide. Itaque maior habebitur spes quod ambo partes fidelitatem erga Catholicam fidem servent, et quod pueri in fide Catholica educationem accipiant ex eo quod habebitur unanimitas in familia quoad observationes religiosas. Unum tantum habebit familia parochum, easdem leges quoad ieiunium et festa de praecepto, easdem etiam leges ecclesiasticas.

Difficile est, et interdum etiam impossibile, tribuere ad sustentationem duorum parochorum. Hoc autem necessarium esset in matrimonio catholicorum diversi ritus si uxor recusaret uti suo privilegio iuxta hodiernas normas in can. 98, § 4 *C.I.C.*

Cum catholicus firmius in fide fundatus plerumque faceret electionem ritus, hic seu haec melius posset instruere domi filios in religione catholica.

Filii difficulter tantum intelligunt cur parentes, etsi ambo sint catholici, diversas debeant frequentare ecclesias.

In casu quo mulier cum filiis ex priori matrimonio, matrimonium contraheret cum viro diversi ritus, difficile omnino esset educare filios prioris matrimonii in uno ritu, et filios ex subsequenti matrimonio in diverso ritu.

Summa cum humilitate haec submitto

✠ EMMET M. WALSH
Episcopus Youngstoniensis

117

EXC.MI P. D. NICOLAI ELKO

Episcopi tit. Apolloniensis,
Exarchae Ap. Pittsburgensis (Pittsburgh)

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris circularibus Eminentiae Vestrae Reverendissimae datis die 18 iunii anni currentis lubentissimo respondendo animo, in sequentibus sit mihi fas paucis exprimere verbis aliqua problemata quae, iudicio nostro, specialem merentur considerationem in Concilio Oecumenico proximo cum eorundem aequa iustaque discussio atque decisio in emolumentum totius Ecclesiae futura esse indubitanter censenda est.

En problemata:

1. Cum revocatio dissidentium Orientalium ad unitatem fidei quam maxime cordi sit Ecclesiae Catholicae, peropportunum videtur ut in Concilio Oecumenico nonnulla puncta examinentur quibus clare elucidatis haec tantopere desiderata unio facilius possit realem effectum sortiri. Nostro iudicio sequentia essent puncta consideratione digna:

a) Quidnam sit requisitum minimum in praxi pro receptione dissidentium Orientalium clericorum apostatarum et schismaticorum in Ecclesia Catholica?

b) Nonnulla puncta circa Primatum Romani Pontificis magis dilucidanda sunt atque eius relatio ad sedes patriarchales originales Orientalium clare explicanda est.

2. Num opportunum esset normas bene determinatas statuere quibus Episcopi urgente pergravi necessitate, Ecclesiae iuribus atque fini principali absque difficultate cavere possent. Ecclesia enim multis in locis persecutionem eamque pergravem patitur. Quae persecutio saepe eo tendit ut dioceses particulares alicuius regionis a Sede Apostolica separentur utque unaquaeque regio suam habeat Ecclesiam independentem. In talibus circumstantiis Episcopi talium regionum maxime iuvarentur normis definitivis et claris pro casu necessitatis extremae latis.

3. Laudandum esset si occasione Concilii Oecumenici totus Codex Iuris Canonici Orientalis publicaretur cum explanationibus necessariis vel opportunis ut omnes Orientales Catholici determinatam haberent normam agendi.

Speramus fore ut puncta supra exposita aliquid additura sint considerationibus Concilii.

Qua par est reverentia remaneo

addictissimus in Domino
Eminentiae Vestrae Reverendissimae

✠ NICOLAUS ELKO
Episcopus tit. Apolloniensis
Exarcha Apostolicus Pittsburgensis

118

EXC.MI P. D. AEGIDII VAGNOZZI

Archiepiscopi tit. Myrensis,
Delegati Ap. in Statibus Foederatis Americae Septemtr.

Washingtonii, die 30 maii, A. D. 1969

Eminentissime Princeps,

Commisso mihi muneri satisfacturus de postulatis pro Oecumenico Conciilo Vaticano II deferendis, haec humiliter puto subicienda:

1. Definiatur veritas iuxta quam consecratio episcopalis est vere sacramentum quo character imprimitur ad actus perficiendos qui proprii et exclusivi sunt Episcopi

Quidam inter theologos et scriptores ecclesiasticos qui recentiore tempore quaestionem istam iterum aggressi sunt, contendunt consecrationem episcopalem esse sacramentale tantum, cuius effectus est potestatem aliquam iurisdictionis conferre, non autem characterem imprimere in consecrato.

2. Lex pro Ecclesia universali condatur qua sacerdotes dioecesani, vel quomodocumque in communi non viventes, teneantur singulis annis Exercitationibus spiritualibus vacare per quinque integros dies.

Quoniam mos est religiosis sodalibus dies octo generatim insumere ad Exercitationes spirituales quotannis peragendas, congruum maxime et necessarium videtur ut sacerdotes cleri saecularis iisdem Exercitationibus annuatim per aliquot dies dent operam, quippe qui sint vitae activae curis magis distenti, magisque mundi periculis ac tentationibus obiciantur.

3. Clarius et pressius definiantur officia et obligationes Episcoporum ad rem oeconomicam dioecesium quod attinet. Statuatur ut tum Capitulum Cathedrale, tum Consilium dioecesanum administrationis

apprime edoceantur de statu oeconomico et patrimoniali dioecesis deque singulis actibus et operationibus administrativis; iisdemque collegiis, exeunte anno, subiciatur relatio de expensis et acceptis, necnon ratio oeconomica aestimativa pro anno insequenti (bilancio di previsione).

Ratio qua bona temporalia dioecesana administrantur saepe causa est indignationis et malae voluntatis in clero et fidelibus et nonnumquam gravis etiam scandali. Sunt inter Episcopos qui parva vel nulla rei oeconomicae peritia pollent, aut illam gerendam relinquunt viris qui ad id muneris omnino impares sunt, vel consanguineis vel aliis qui de Ecclesiae utilitate nihilo sunt solliciti. Non desunt — ubi praesertim Ecclesiae necessitatibus oblationibus fidelium subvenitur — qui queruntur, et merito quidem, quod Ecclesiae temporalia bona interdum dissipentur, et liberalitas fidelium, non sine ipsorum incommodis saepe effusa, inanis reddatur.

Quibus omnibus praecavendis, hoc maxime iuvabit si Capitula Canonicorum et Consilia Administrationis plenius cognoscant de omnibus quae ad negotia oeconomica dioecesium pertinent, ita ut abusus tollantur et omnia tutiore ordine disponantur ac gerantur.

4. Proponitur ut in Romana Curia instituatur Officium Centrale ad examinanda ac recognoscenda rationaria oeconomica (contabilità) tum dioecesium, tum Congregationum Religiosarum iuris pontificii; quae rationaria quotannis ad Sanctam Sedem mittenda sint per Legatos Summi Pontificis.

Accidit interdum ut aliquae dioeceses et communitates religiosae reditus quam pingues sibi comparent, mediis adhibitis haud prorsus commendandis, vel etiam illicitae negotiationi indulgendo, vel denique pecuniae usui ita parcendo, ut finis ipse caritativus vel religiosus Ecclesiae institutionum negligatur et oblivioni tradatur.

Officium Centrale de quo supra (ad instar « Corte dei Conti » quam vocant) multum proderit ad huiusmodi damna et incommoda praevenienda vel removenda.

5. Nubendis mixti ritus permittatur ut libere, de consensu mutuo, ante matrimonium ineundum sibi ritum seligant quo ipsi et liberi regi debeant.

Optandum enim est, quando agitur de nupturientibus mixti ritus, ut pars praevaleat quae magis religioni colendae addicta est, et simultates inter parochos et fideles evitentur.

6. Constitutiones quibus reguntur Episcoporum Conventus (Conferenze Episcopali), pro unaquaque Natione Sanctae Sedi approbandae

subiciantur. Ubi Statuta huiusmodi haud obtineant, consulendum est ut condantur.

Conferentiae generales Episcoporum haud dubie summi hodie momenti in Ecclesia sunt. Ut autem utilitati quam maxime cedant, nec unius vel alterius partis vel factionis studiis obnoxia sint, peropportunum videtur ut earum Statuta a Sancta Sede approbationem recipiant.

7. Opportunitas perpendatur ut inter diaconatus et presbyteratus Ordines interstitium productius intericiatur, quo durante, diaconi ad sacrum ministerium in paroeciis exercendum incumbant unius anni vel biennii spatio, quo elapso, Seminario iterum se recipiant ad Presbyteratus Ordinem non ante sex transactos menses promoturi.

E lugendis quae in clero defectionibus occurrunt, patet quosdam sacerdotes, cum vitae activae munera capessunt, parum paratos esse ad saeculi pericula ac tentationes cavenda et superanda quibus undique obsidentur.

Quod autem levitae, antequam ad sacerdotium promoveantur, in paroeciis, experimenti causa, per aliquod tempus degere iubeantur — ubi ceterum multum proficere possunt sub ductu parochorum qui sint pietate ac zelo praestantes —, hoc sane iuvabit ad illos tempestive a sacerdotio arcendos qui futurae sanctitatis indicia non praebent, quo fieri potest ut, tempore progrediente, iteratis lapsibus corruant in via, vel etiam, uti transfugae, misere ad saecularia vota transeant.

Sacram Purpuram deosculans, summa qua par est observantia, me profiteor

Tibi addictissimum ac obsequentissimum
✠ AEGIDIUS VAGNOZZI
Archiepiscopus tit. Myrensis
Delegatus Apostolicus
in Statibus Foederatis Americae Septemtr.

119

EXC.MI P. D. IOSEPHI M. PERNICONE

Episcopi tit. Hadrianopolitani in Honoriade,
Auxiliaris Neo-Eboracensis

July 30, 1959

His Eminence Cardinal Spellman:

I respectfully submit the following suggestion for the Oecumenical Council: It would be to the spiritual advantage of priests and very helpful in their pastoral ministry if, when their understanding of the

Latin language is somewhat limited, they were free to read the Divine Office in the vernacular. Accordingly, the priest would have the option to read the breviary in Latin, which is always preferable, or in the vernacular.

As for the rest, I join with Your Eminence in whatever suggestions you may have for the coming Council.[1]

With gratitude for the honor you offer me and assuring Your Eminence of my daily prayers for you, I am

Humbly yours,

✠ Joseph M. Pernicone
Bishop of Adrianopoli di Onoriade
Auxiliary of New York

120

Exc.mi P. D. ERICI F. MacKENZIE
Episcopi tit. Albensis, Auxiliaris Bostoniensis

Bostoniae, die 11 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Hisce respectuose refero quod mihi tuto advenerint litterae a Pontificia Commissione Antepraeparatoria datae die 18 iunii 1959; in quibus rogatus sum ut exponerem vota mea circa res quae in futuro Concilio tractari poterint.

Hic, Bostoniae, Eminentissimus ac Reverendissimus Richardus Cardinalis Cushing, in omnibus rebus prudens ac sedulus, omnia exponet quae ei utilia videantur; et cum opiniones eius bene cognosco, votis eius adhaereo, potius quam propria mea transmittam.[1]

Sacram Purpuram reverenter deosculans, maneo

Eminentiae Tuae add.mus
✠ Ericus F. MacKenzie
Episcopus tit. Albensis
Auxiliaris Bostoniensis

---

[1] Cf. pp. 391-397.
[1] Cf. pp. 278-284.

121

EXC.MI P. D. BERNARDI I. SULLIVAN

Episcopi tit. Halicarnassensis

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Secundum Eminentiae Vestrae Litteras de die decimo octavo iunii 1959, receptas, humillime peto ut in Concilio Oecumenico proxime venturo tractetur doctrina de Beata Maria Virgine Omnium Gratiarum Mediatrice, ad eam doctrinam definiendam.

Eminentiae Vestrae Servus in Domino

✠ BERNARDUS I. SULLIVAN, S. I.

Episcopus tit. Halicarnassensis

122

EXC.MI P. D. IOANNIS I. MAGUIRE

Episcopi tit. Antiphrensis, Auxiliaris Neo-Eboracensis

Die 29 februarii 1960

Eminentissime Princeps,

Litteris Eminentiae Tuae respondens, mihi pergratum est animadversiones sequentes humiliter communicare de materiis quae forsan tractari possent apud futurum Concilium Oecumenicum.

I. DE DOCTRINA

1. *De fidelium Apostolatu*:

Ab ipso initio huius saeculi Sancta Sedes strenue exhortabat ut laici profundius intelligerent et intimius adimplerent munus ipsorum laicorum in munere salvifico Ecclesiae. De huius participationis momento multoties tractatum est, sed attentis necessitatibus hodiernis Ecclesiae, opportunum mihi videtur ut Concilium tractet modo doctrinali disciplinarique de hoc laicorum apostolatu et praeprimis de sua natura, de dependentia a fidelibus praestanda.

Ita momentum Apostolatus manifestari possit et participatio ipsa modo magis effectivo dirigi possit ad Ecclesiae necessitates sublevandas.

2. *De Potestate Vicaria*:

Canon doctrinalis de matrimonii sanctitate et praeprimis de matrimonii rati et consummati indissolubilitate necessarius mihi videtur. Talis canon suadetur propter dissolutiones recenter concessas uti in causa matrimoniali sic dicta « Monterey-Fresno ». Uti latius spargitur notitia de his dissolutionibus ita magis necessaria videtur definitio de hac re ad omnem opinionem de talis matrimonii dissolutione praecavendam.

II. De Disciplina

1. *De Sepultura Ecclesiastica*:

Hac natione difficultas gravis oritur propter multitudinem coemeteriorum acatholicorum vel saecularium, et propter notitias publicas apud ephemerides suadentes ut loca his in coemeteriis emantur. Problema frequenter augetur ex deficientia coemeteriorum ecclesiasticorum et ex difficultate vel impossibilitate talia coemeteria obtinendi.

His circumstantiis attentis melius videtur ut Missa vel ritus liturgicus constituatur tamquam res essentialis sepulturae ecclesiasticae et ut electio de loco sepulturae vel fidelibus vel Ordinario relinquatur. Approbatio publica adhuc habebitur et observatio legis facilius reddetur.

2. *De Censuris Ecclesiasticis*:

Oportet reformare de novo disciplinam de censuris. Censurarum multiplicitas difficultates graves opponit tum fidelibus tum confessariis. Censurae ipsae latent fidelibus et etiamsi cognitae difficile intelleguntur sunt e. g. censurae inflictio nonobstante ignorantia de censurae existentia.

3. *De Librorum prohibitione*:

Attento statu actuali fidelium, classificationes librorum prohibitorum restringi possent, et provisio sat larga fieri posset ad dispensationes vel licentias pro casibus concedendas; ita ut talis facultas vel potestas delegari posset habitualiter sacerdotibus idoneis e. g. Rectoribus Universitatum et Seminariorum. Ita legislatio facilius intelligi a

fidelibus posset et pericula in operibus obscoenis vel contra doctrinam Ecclesiae agentibus evidentia redderentur.

Interim Eminentiae Tuae omnia fausta a Deo adprecans, maxima cum devotione me profiteor

Eminentiae Tuae servum add.mum

✠ IOANNES I. MAGUIRE
Episcopus tit. Antiphrensis
Auxiliaris Neo-Eboracensis

123

EXC.MI P. D. PHILIPPI I. FURLONG

Episcopi tit. Araxensis, Auxiliaris Neo Eboracensis

Eminentissime Domine,

Quia neo-conversi ab haeresi generatim non solum in bona fide esse videntur sed etiam nec illorum errorum bene scientes nec sententiis falsis firmiter allegati, praescripta abiuratio haeresis saepe neo-conversis videtur severa, damnatoria et sicuti culpae gravis accusatio; ideoque abiuratio erroris et professio fidei fortasse modo simpliciori exprimi possunt et in illa neo-conversorum receptione acceptio veritatis magis quam renuntiatio errorum praeteritorum maiorem vim habere possunt.

Cum saepe saepius die Dominica oportet sacerdotes praeter Missas suas offerendas, aliis Missis adesse, sacramentum Baptismi ministrare, votis matrimonialis praesidere necnon consilium dare parochianis qui tantummodo illa die ad ecclesiam venire possunt, non videtur derogare aliquid a pietate sacerdotali si Dominicale officium divinum aliquo modo diminueretur magis quam officium dierum ferialium.

✠ PHILIPPUS I. FURLONG
Episcopus tit. Araxensis
Auxiliaris Neo-Eboracensis

124

Exc.mi P. D. IOSEPHI B. BRUNINI

Episcopi tit. Axomitani, Auxiliaris Natchetensis-Iacksoniensis

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Cum a Sanctitate Domini Nostri Ioannis Pp. XXIII, fel. reg., nuntiatum esset Concilium Oecumenicum totius Christi Ecclesiae mox convocatum iri, nemo fere fidelis huius Dioeceseos Natchetensis-Iacksoniensis erat quin de tali tantumque fausto omine summopere exhilaretur, idque imprimis quod ab eadem augusto Pontifice declaratum sit istud Concilium, prae omnibus aliis rebus, coadunationem omnium Christianorum in unitate caritatis Christi esse versaturum.

In hac Dioecesi (qui totum Statum Mississippi complectit) non sunt nisi duo coetus Christianorum separatorum qui nomen « Orthodoxorum » sibi vindicant: alter Graecorum in hac urbe Iackson; Syrorum alter in urbe Vicksburg. Uterque tamen coetus, non exclusis presbyteris, erga veram Christi Ecclesiam se omnino benevolum praebet. Quae cum ita sint, aliqua bene fundata spes elucere videtur ut, divino inflante Spiritu, in dominicum gregem unde aberraverint redeant.

Per maximam vero partem, Christiani nostrae regionis pertinent ad multiplices sectas haereticas quae pleno iure Protestantes nominantur ac sunt (Catholici numerantur circa 3% ex 2.000.000 incolarum!). Quos quidem, nullis divisionibus obstantibus, vocem Vicarii Christi aequo saltem animo exaudituros esse, nulla exstat causa desperandi. Quo magis cognoverint illam esse vocem veri atque proprii Pastoris animarum suarum, in domum aeterni Patris incolumes omnes perducere valentis, eo undique magis se dociles ostendent et ad pabulum verae doctrinae aliaque omnia adiumenta Fidei recipienda dispositos. Ipsorum imprimis duces et concilia invitentur ut praefatam unionem omnium Christifidelium discutere velint, posthabitis quibuslibet malevolis odii vel amaritudinis sensibus. Nam quis nostrum non videat quantum boni sperare liceat ex eo quod multi eorum duces confusionem et indifferentiam ex tam multifaria sua divisione emanantem re vera lamentantur!

Credimus insuper hanc optatam unionem, utpote Concilii futuri finem primarium, haud parum promoveri aliis quibusdam operibus a S. Sede initiatis, inter quae indicare libet modificationes diu desideratas in Codice Iuris Canonici necnon in libris liturgicis, Breviarii praesertim et Missalis; nec dubium est quin apud nostrates usus magis extensivus

linguae vernacularis in administratione Sacramentorum et sacramentalium quam maxime conferat ad unitatem inter Christicolas persequendam atque servandam.

Eminentiae Vestrae omnia fausta a Domino adprecans, manebo interim cum sensibus profundi obsequii,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus
✠ IOSEPH B. BRUNINI
Episcopus tit. Axomitanus
Auxiliaris Natchetensis-Iacksoniensis

125

EXC.MI P. D. STEPHANI A. LEVEN
Episcopi tit. Buritani, Auxiliaris S. Antonii

Die 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum erat recipere invitationem per manus Eminentiae Tuae transmissam suggerendi consilia et vota pro futuro Concilio Oecumenico. Cum Excellentia Sua, D. D. Robertus E. Lucey, Archiepiscopus Sancti Antonii talia pro Archidioecesi mandaverit volo solummodo gaudium meum in futuro Concilio exprimere et preces meas promittere.

Sacram purpuram deosculans

Eminentiae Tuae addictissimus
✠ STEPHANUS A. LEVEN
Episcopus tit. Buritanus
Auxiliaris S. Antonii

126

EXC.MI P. D. IOANNIS I. KROL
Episcopi tit. Cadoëni, Auxiliaris Clevelandensis

Clevelandiae, die 26 augusti 1959

Eminentia Vestra Reverendissima,

Respondens invitationi benignae ab Eminentia Vestra per litteras extensae, Prot. N. 1 C/59-2309, observanter sequentia argumenta submitto:

1. De modo quo ad Mysticum Christi Corpus relati sunt illi dissidentes et haeretici qui, secundum verba Pii Papae Duodecimi, ab Ecclesia visibiliter separati ad eam pertinent, tamquam inconscii, desiderio et intentione, et de modo quo gratia illis conceditur in ordine ad Ecclesiam et per Ecclesiam.

2. De relatione existente inter Mysticum Christi Corpus et Communionem sic dictam Sanctorum.

3. De Sacerdotio Christi:

a) Quomodo oblatio Mystici Sui Corporis continetur in Sui ipsius oblatione a Christo in ara Crucis facta et in sacrificio Missae re-praesentata.

b) Quomodo Sacerdotium Christi a Christifideli laico participatur. Non obstante praeclaro testimonio Litterarum Encyclicarum *Mediator Dei,* ulterior et magis definitiva determinatio huius partipationis necessaria adhuc videtur.

4. De relatione inter Ecclesiam et Statum Civilem, ratione habita tam de pluralismo religioso fere ubique de facto vigente quam de modo quo Status geographice dispersi ita intime connectuntur ut mundi unitas et proclametur et manifestetur.

5. De relatione inter religiosos et clericos saeculares praesertim in operibus educationis, ubi omnes subsunt auctoritati magisteriali episcoporum.

6. De possibilitate conformandi can. 1070, § 1 *C.I.C.* ad can. 60, § 1 *C. O.* ita ut pro omnibus lex sit: « Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata ».

7. De possibilitate omittendi interpellationes requisitas a can. 1121, § 1 *C.I.C.,* quotiescumque pars non baptizata, post divortium civile, aliud matrimonium attentavit.

Haec dum Vobiscum communico, impensos meae aestimationis sensus Vobis obtestor permanens

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus

✠ IOANNES I. KROL
Episcopus tit. Cadoënus
Auxiliaris Clevelandensis

127

Exc.mi P. D. IOANNIS I. SCANLAN

Episcopi tit. Cenensis, Auxiliaris Honoluluensis

Die 15 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Humiliter accipio honorem et favorem quos per Te Augustus Pontifex mihi concedit, quaerendo a me animadversiones, consilia et vota circa res quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Epistulae Tuae, traditae mihi tantum die 5 augusti, festino respondere breviter ita ut ea pauca quae suggerere volo ante diem primam septembris recipias, sicuti desideras.

Nemo est qui non videat multos esse errores magnamque omnium iurium officiorumque recusationem tum in mente hominum quam in eorum actione. Ex una parte adest vitiosa illa doctrina communismi, quem vocant, qui magnam partem mundi iam opprimit. Ex altera parte inveniuntur illi, qui in falsae libertatis nomine, denegant ipsam naturam veritatis et omne legis moralis fundamentum. Hi, non intelligentes quid sit vera libertas, advocant licentiam quamdam quae omnem veram libertatem destruit. Necessarium esse videtur ut Ecclesia Catholica, quae est mater omnis veritatis et libertatis, sese vere praecingat ad oppugnandos omnes hos errores lamentabiles.

Sequentes animadversiones fortasse huic Pontificiae Commissioni acceptae necessariaeque videbuntur:

1. Expositio clara et simplex naturae veritatis et libertatis ad refutandum pragmatismum, communismum et alios errores huiusmodi.

2. Nova et solida elucidatio propriae naturae et finis ultimi hominis. Maximi momenti est ut conclusiones huius studii ponantur lingua temporibus nostris accommodata.

3. Fervens oratio et continua supplicatio totius orbis Catholici ad Deum Omnipotentem per intercessionem B. M. V. Mediatricis omnium gratiarum.

4. Renovatio curriculi Seminariorum, praesertim Maiorum, ita ut alumni se praeparare possint ad sanctitatem vere heroicam, quae se manifestabit in eorum spiritu paupertatis, in amore castitatis, in humili obedientia, in magno zelo apostolico, in fide firmissima. Presbyteratus monstretur iuvenibus non ut merum munus in quo quaedam certe opera peragenda sunt et illa dumtaxat; sed, e contra, ut modus vivendi totalis,

in quo semper et omni hora pro Christo Domino adlaborare debent, die ac nocte.

5. Admonitio clericorum omnium, tam regularium quam dioecesanorum, ut non contaminentur ab insidioso spiritu mundi. Ne sint de hoc mundo, quamvis in hoc mundo. Omnes mulieres religiosae similiter admoneantur.

6. Maior sollicitudo Ecclesiae ad promovendam educationem Christianam tum qualitative quam quantitative.

7. Usus amplior radiophonicae diffusionis vocis et sic dictae televisionis ad propagandam fidem.

8. Maior zelus in populo Christiano ad docendum catechismum non tantum pueris et iuvenibus, sed etiam paganis et aliis. Confraternitas Doctrinae Christianae valde utilis erit ad hoc perficiendum.

9. Promotio maior vocationum ad presbyteratum et statum religiosum ita ut provideatur necessitatibus non tantum dioecesis paternae terrae, sed etiam Missionum. Hoc magno cum fructu iam factum est in archidioecesibus Boston et St. Ludovici pro regionibus Americae Meridianae.

10. Auxilium valde utile medicorum et paedagogorum laicorum in adiuvandis missionariis inter gentiles degentibus.

11. Concordantia codicis iuris canonici cum multis et maximi momenti decretis recenter a Sede Apostolica promulgatis, v. g. circa S. Eucharistiam, Matrimonium, etc.

Fausta quaeque a Domino Tibi adprecans, permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ IOANNES I. SCANLAN
Episcopus tit. Cenensis
Auxiliaris Honoluluensis

128

Exc.mi P. D. FULTON I. SHEEN

Episcopi tit. Caesarianensis, Auxiliaris Neo-Eboracensis

Aug. 28, 1959

Your Eminence,

In answer to the request contained in Prot. N. 1 C/59-2345 I have the honor to enclose the following suggestions for the Council.

Deferring in all things to the decisions of the Vicar of Christ, I remain, obediently in Christ,

✠ Fulton I. Sheen
Bishop tit. of Cesariana
Auxiliary of New York

De missionibus

Ratio:

Notum partim est, in aliquibus Dioecesibus Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis maiorem partem pecuniae inter Christifideles collectae ad Operas Pontificias adiuvandas, ab Ordinariis locorum ad usum personalem aut ad societates missionarias ab ipsis electas fovendas, adhibitam esse.

Expositio:

Animadvertendum ergo puto id quod in *A.A.S.*, XIV 1922-321-30 scriptum est, scilicet: pecuniae Operibus Propagationis Fidei a fidelibus datae, distribuendae sunt a Commissione ad hoc a Beatissimo Papa Nostro constituta, et, consequenter, nullus Ordinarius, nullus Dioecesanus aut Nationalis Director potest pecunia supradicta, pro quocumque etiam laudabili fine, uti.

Insuper, recolere vellem quod in Litteris Encyclicis *Decessor Noster* (24 iunii 1929) Pius PP. XI aperte declaravit, id est: omnem activitatem quam ad Missiones pertinet, sub una auctoritate et responsabilitate Directoris Nationalis Societatis pro Propagatione Fidei, in unaquaque Natione, coordinandam esse.

De institutis Missionariis

Ratio:

Aliquae Societates et Instituta Missionaria habent ingentes summas pecuniae in diversas possessiones (vulgo « real-estate, stocks and

bonds ») collocatas. Exempli gratia: certior factus fui de societate missionaria quae collocavit plus quam septies centena milia americanae pecuniae ($ 7.000.000). Etsi bonum sit habere aliquam pecuniam collocatam, vitandum tamen est excessum quod perniciosum vitae spirituali Sanctae Matris Ecclesiae in terris missionum, evadere posset.

Expositio:

Necessarium puto Societates et Instituta Missionaria, exactam relationem omnis pecuniae ad eis administratae, Congregationi de Propaganda Fide et Congregationi de Religiosis, quotannis mittere debere.

De religiosa educatione

Ratio:

In multis Catholicis Studiorum Universitatibus Statuum Foederatorum desiderantur lectiones et programmata de veritatibus fidei. Sane evenit ut laici aut Religiosi vel Sacerdotes studeant in Universitatibus supradictis per tres annos ad acquirendam Doctoris lauream quin unam vel horam expenderint pro religionis veritatum disciplina. In quibusdam Universitatum Collegiis et superioris gradus Scholis, deprehenditur quaedam tendentia ad imminuendas horas pro religiosa instructione adeo ut una tantum vel duo horae in hebdomada pene relictae sint.

Expositio:

Instructio de veritatibus fidei locum habeat oportet: in elementaribus scholis ad minimum quinque diebus in hebdomada; et in superioris gradus Scholis, in Collegiis et Universitatibus ad minimum tribus diebus per hebdomadam. Religionis instructio gaudere debet eadem temporis duratione qua fruuntur ceterae disciplinae.

De Seminariis

Ratio:

Tempore studiorum perdurante, in Seminariis, infra spatium quattuor annorum, seminaristae, ut evenit, habent unum integrum annum vacationum ex additione trium mensium in fine uniuscuiusque anni.

Haec longa periodus est potius in damnum quam in aedificationem relate ad sacerdotalem formationem; praeterquam haec dein longarum vacationum consuetudo, alit sane in futuris sacerdotibus otii desiderium potius quam parochialis ministerii studium.

Expositio:

Esset desiderandum seminaristas in Maioribus Seminariis non posse gaudere plus quam uno vacationum mense tempore aestivo. Regulares cursus relaxari debent hoc tempore; tamen, aestivi cursus supplendi essent ad hoc ut sociales disciplinae, missionologiae cursus et conferentiae circa neo-conversos, perfici possent.

De Sacramentis

Ratio:

Pauci tantum exterorum cultuum Ministri, in Statibus Foederatis, fidem praestant veritati peccati originalis; adhuc pauci, si Lutherani et Episcopaliani ministri excipiantur, credunt Christum esse Filium Dei ac humani generis Redemptorem. Apostolica Delegatio et Apostolicae Nuntiaturae habent talem consuetudinem et experientiam religiosae situationis tam plurimarum nationum, quod ab eis esset iustum iudicium expectandum.

Expositio:

Validitas baptismi in casibus matrimonialibus non deberet ita de facili praesumi sicut hodie praesumitur in praesenti canonica disciplina. Quandocumque ostendi posset eos qui baptismum administraverunt vel non habuisse intentionem hoc faciendi quod facit Ecclesia, vel defectum occurrisse aut formae aut materiae, tunc Delegatus Apostolicus vel Nuntius Apostolicus tali facultate essent donandi ut definitoriam decisionem de baptismi validitate possent exprimere, in casibus ab Ordinariis locorum praesentatis.

Quod in unaquaque confessione, Sacerdos ante pronuntiatam absolutionem teneatur ex stricta obligatione aliquot proferre consolationis seu exhortationis verbum, nec non spiritualem directionem pro unoquoque poenitente impertiri.

De personis

Ratio:

Nova forma administrationis Sacramentorum est necessaria attentis nostri temporis complexitatibus in hac nostra aetate ac vita moderna. Pius PP. V huiusmodi renovatam methodum reformationis perfecit in Roma post catholicam reaedificationem.

Expositio:

In Metropolitanis Archidioecesibus atque Dioecesibus quae valde in extensione patent quaeque difficultates patiuntur ex magno numero

sacerdotum ac religiosorum qui in administratione Sacramentorum tormentosam curam impendunt, ipsae Archidioeceses sive Dioeceses deberent dividi in aliquot districtus secundum occurrentes necessitates, et Episcopi Auxiliares eligi deberent ad modum Vicariorum Foraneorum in eisdem districtibus.

Vigens administrationis Sacramentorum systema sub Decanis vel Vicariis Foraneis est aut pure nominale aut defectibus scatens, post mutatas huius mundi conditiones.

Sane Auxiliares Episcopi non deberent propria iurisdictione esse instructi sed tantum ea auctoritate delegata donati quae revocari posset ad nutum Ordinarii; siquidem iidem Auxiliares Episcopi assistere tenerentur suos Ordinarios in Confirmationibus administrandis, Sacris Visitationibus perficiendis, edificiis sacris construendis, Clericorum disciplinae praesidendo, semper sub auctoritate Ordinariorum quorum iurisdictio nullum detrimentum patietur ob hanc delegatam administrationem de qua modo actum est.

Catechesis

Sermo sive homilia aut cathechetica lectio ad minimum per quinque momenta debet impertiri in unaquaque Missa in Dominicis et diebus festis, exceptione facta pro tempore aestivo.

De Religiosis

Ratio:

In quibusdam religiosorum paroeciis deprehenditur adeo ingens numerus sacerdotum ut quandoquidem habeantur quadraginta cooperatores et adiutores vicarii in eadem paroecia: quod constat accidere in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Quod ex tanta abundantia superest, esset adhibendum ad sustemtandas Missiones in America Latina.

Expositio:

Ordinarii locorum praediti esse deberent auctoritate circumscribendi numerum sacerdotum, in paroeciis curae religiosorum etiam exemptorum concreditis, laborantium.

✠ Fulton I. Sheen
Episcopus tit. Caesarianensis
Auxiliaris Neo-Eboracensis

129

EXC.MI P. D. ADOLFI MARX

Episcopi tit. Citrensis, Auxiliaris Corporis Christi

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Magno cum gaudio nuncium accipimus Sanctitatem Suam Sanctissimam Dominum Nostrum Ioannem PP. XXIII, fel. reg., convocaturum esse Concilium Oecumenicum. Deum iam adprecati sumus ut benedicat abundanter opera incepta. Tuae Eminentiae litteris diei 18 iunii 1959, responsum reddimus haec reverenter adferentes:

a) *Explicationem status dogmatici et iuridici laicorum in Ecclesia*:

Conceptus totalis Sanctae Matris Ecclesiae necessario pertinet ad explanationem laicorum in Corpore Christi. Tam magna revera est notio Universalis Ecclesiae, ut interdum perdifficilis evadat conspectus totius Ecclesiae simul. Ita, non raro accidit ut, cum de Ecclesia disseramus, ad hierarchiam solam Ecclesiae intendamus. Multa manualia doctrinae Christianae temporibus praeteritis scripta, hanc ideam Ecclesiae hierarchialis denotant. Saeculis vero antiquis Christianis Ecclesia habebatur uti communitas seu coetus sanctorum.

Notio vera Ecclesiae et hierarchiam et fideles amplectitur. Accurate et aptissime tota Ecclesia designatur, *Corpus Mysticum Christi*, quod est continuatio Verbi Incarnati in terris. Per Corpus Mysticum protrahitur unio Dei et hominis in Christo Iesu.

Hierarchiae membra, quibus officium speciale committitur, ab hominibus a Deo vocati sunt. Sed prius in Corpore Mystico per Baptismum incorporari oportet quam officium in Ecclesia quis recipiat. Per istam incorporationem fit membrum coetus fidelium, membrum gentis sanctae. Ex coetu fidelium aliqui in officia specialia vocati sunt; quibus adnectuntur munera specialia adimplenda. Officio consecuto provise magis Christiani non fiunt. Tam praepositi quam fideles unam Ecclesiam constituunt, eo quod ad Ecclesiam per gratiam eis a Deo Omnipotenti collatam pertinent.

Operam mutuam conferentes et in unione Iesu Christi, Corpus Mysticum Christi efformant et constituunt, cuius ipse Christus est caput, illi vero membra. Alius ope alius indiget: Hierarchia opus est fidelibus et vicissim. Hierarchia sola Ecclesia non constituitur neque solis fidelibus.

At hierarchia et fideles comprehenduntur in notione essentiali Ecclesiae. Omnes baptizati et gratia iustificati sunt pari modo membra *Corporis Christi Mystici;* omnes eidem vitae divinae participant, omnes ad eundem finem, nempe, visionem beatificam vocati sunt.

b) *Dogmaticam et iuridicam delineationem conceptus Institutorum Saecularium in Ecclesia*:

Temporibus recentibus Sancta Sedes recognovit statum omnino novum evangelicae perfectionis, i. e., Instituta Saecularia. Per Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia,* diei 2 februarii 1947 Pius Pp. XII, fel. rec., approbationem authenticam impertiit illis societatibus quarum membra christianae perfectionis acquirendae atque apostolatus plenius exercendae, consilia evangelica *in mundo* profitentur.

Maxime interest ut legislatio specifica de Institutis Saecularibus in *C.I.C.* incorporetur.

Principia dogmatica et iuridica illorum Institutorum clarificanda sunt. Earum natura, unica et distinctiva explicanda est. Distinctio inter Instituta Saecularia et associationem fidelium seu Instituta Laica desideratur. Notio circumscripta habenda est relate ad vota et vincula professionis, seu actus consecrationis quae sodales institutorum saecularium nuncupant.

c) *Relate ad recensionem C.I.C.*:

Ut leges sint accuratae et ligent, requiritur uti elementum principale, sermo legalis accuratus et uniformis. Legislator debet eadem eodem verbo designare; terminologia semel electa adhibenda est in similibus. Pernecessarium est in recensione Codicis eidem terminologiae adhaerere per codificationem legum, praesertim cum agitur de definitione vocabuli legalis. Cum vocabula legalia sunt incerta, maximum periculum adest malae interpretationis, et mala legibus corrigenda evadant maiora. Ideo desiderandum est ut in revisione Codicis Iuris Canonici maxime attendatur ad terminologiam uniformem.

d) *Extentionem status iuridici vicarii cooperatoris qui iam a pluribus annis, e. g., viginti quinque parochum in ministerio paroeciali adiuvavit*:

Historia Ecclesiae testante, constat parochum possidere officium quod, proximum ad episcopatum, est ex principalioribus in dioecesi. Parochi iura et obligationes clare in lege continentur et vindicantur. Lex tamen visum tenet paroeciae parvae, ad cuius curam sufficit unus parochus, qui paroeciae sub auctoritate et vigilantia Ordinarii loci administrandae in temporalibus et spiritualibus praeficitur.

Ultimis vero saeculis, vertente rerum oeconomicarum et socialium cursu, paroeciae status ita immutatus est ut inveniantur paroeciae nimis amplae quae ab uno sacerdote seu parocho exitu felici administrari non possint.

Parochus convenientem curam animarum sine auxilio sacerdotis assistentis seu cooperatoris gerere nequit. Hominum frequentia, nunc tempore, in magnis urbibus res ita mutavit ut etiam fideles quoque in istis magnis urbibus frequentiores inveniantur. Ita toto orbe habentur paroeciae quarum administrationem parochus adimplere non potest sine adiutorio trium, quattuor, vel plurium cooperatorum.

Officium parochi natura sua, et lege disponente, stabile est. Ita, sic stantibus rebus, non raro clericus, post vigesimum quintum annum ab ordinatione sacerdotali, adhuc extat vicarius cooperator. In testem vocamus usum actualem, ut videri potest in perpluribus urbibus magnis per orbem.

Proponimus igitur specialem legis provisionem in favorem illorum sacerdotum qui vigesimum quintum annum sacerdotii expleverunt fungentes officio vicarii cooperatoris.

Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo

Eminentiae Vestrae
humilis et addictissimus servus

✠ ADOLFUS MARX
Episcopus tit. Citrensis
Auxiliaris Corporis Christi

130

EXC.MI P. D. EDUARDI I. MAGINN

Episcopi tit. Curiensis, Auxiliaris Albanensis in America

Die 26 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Invitamentis E. V. diei 18 iunii huius anni libentissime obtemperans, quaedam maxima cum observantia nisus sum proponere consiliis Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, videlicet:

1. Ut Officium Divinum forma quodammodo breviori coarctetur, in commodum praesertim illorum sacerdotum qui curam animarum gerunt.

2. Ut minister Missam inserviens non amplius sub gravi requiratur, ita ut sacerdos possit celebrare sine ministro diebus etiam non praeceptivis, iusta tamen interveniente causa.

3. Ut licentia concedatur sacerdoti, praesertim curru automobili itineranti, oleum infirmorum secum tutiori quam decet modo gestandi, ut ipse, vulneratis imo et morientibus in via casu superveniens, ei non desit unum essentiale unde huiusmodi afflictos roborare possit.

4. Ut liceat fideli ritus cuiusvis orientalis ad ritum latinum modo expeditiori se transferre, sine mora et absque prolixitatibus hodie adamussim obtemperandis.

Haec dum suggero, Sacram Purpuram reverenter deosculans, summa qua par est observantia permaneo

Eminentiae Vestrae
humillimus servus in Domino
✠ Eduardus I. Maginn
Episcopus tit. Curiensis
Auxiliaris Albanensis in America

131

Exc.mi P. D. HENRICI T. KLONOWSKI

Episcopi tit. Daldiani, Auxiliaris Scrantonensis

Die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Gratias ago Eminentiae Tuae Reverendissimae quod litteras mihi misisti, quas die 5 augusti 1959 recepi, et quibus rogatus sum Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. reg. institutae animadversiones, consilia et vota mea communicare, atqui honori duco Tibi, Eminentissime Princeps, qui huic Commissioni praees rescribere, libenter communicans ea quae sequuntur uti digna, salvo meliori iudicio, ut ab illa Pontificia Commissione veneranda tractentur.

In re dogmatica - De Ecclesia

a) *Missio Ecclesiae.*

1. Quia Ecclesia certis, etiam magnis, territoriis excluditur et in aliis cohibetur, atque populus eius ministerio privatur, missio Ecclesiae

universalis, supernaturalis et divina affirmetur valde opportunum videtur.

Porro, videtur opportunum item indicare quod in mandato divino, de quo Ecclesiae missio exoritur, continetur obligatio ex parte hominum talem missionem suscipiendi, immo continetur necessitas ut homo ad corpus Ecclesiae visibilis pertineat; (et, si sermo erit de statu civili, quod status civilis, sive in omnibus suis organis, e. g. supremis tribunalibus, religionem foveat).

Item quod gloria Dei est finis Ecclesiae ultimus; proximus vero, prosequi opus Christi pro salute et sanctificatione animarum. Christus et Ecclesia eamdem habent missionem (*Lc.* X, 16; Io. XII, 18; XX, 21; *Mt.* XXVIII, 18-20; Rom. IV, 1; II *Cor.* V, 20).

Ecclesia igitur, sicut Christus ipse dum in terris versabatur, in missione sua exsequenda amore Dei et hominum universali movetur. Propterea errores, non homines condemnat. Quidquid boni in traditionibus et cultura cuiusque nationis sit approbat quin ullam culturam secum idem faciat.

2. Quoniam in Hungaria, Polonia, Sinis, Ecclesia pro ipsamet existentia sua luctatur et persecutionem patitur, expetendumne sit verbum dicere in genere de fortitudine eorum qui persecutionem pro Christo patiantur, ut inde robur et spem capiant (episcopi, sacerdotes, fideles)?

3. Quia apud acatholicos in Statibus Foederatis Am. Septemtr. late diffusus est, et publice inculcatur ab inimicis Ecclesiae, timor Ecclesiae ob eius potestatem, quasi Ecclesia quaereret moderari auctoritatem civilem et subicere omnes homines suo imperio, imponens iugum « Romanum » seu Papae super eos, explicetur oporteat potestatem et magnitudinem Ecclesiae esse potestatem et magnitudinem caritatis, missionem Ecclesiae esse missionem amoris, non huius mundi, « perfecta caritas foras mittit timorem », non quaerit terrena quae dat caelestia. Ad rem sunt quae continentur in Praefatione de Ss.mo Corde Iesu et in Praefatione de D. N. Iesu Christo Rege.

b) *Natura et Unitas Ecclesiae.*

Cum multi acatholici ex variis nationibus unitatem religiosam, etiam per actuositatem « Oecumenicam », hodie quaerant, opportunum videtur ut natura unitasque Ecclesiae explanetur.

Hanc quaestionem spectare videntur quae sequuntur. Ecclesia est Ecclesia Dei vivi (*I Tim.* III, 15). Uniuscuiusque hominis vita Deo interest magnopere ut aeternam salutem et unionem beatificam cum Deo consequatur. Ad hunc finem ultimum Iesus Christus, Filius Dei vivi, Ecclesiam suam instituit.

Elucet in Ecclesia unitas singularis (incomparabilis) trium elementorum essentialium (constitutivorum) sc. fidei, cultus, et regiminis; quae unitas est tum externa tum interna, in Deo fundata et ab Eo praeservata, unitas organismi una vita supernaturali viventis.

Ecclesiam tali unitate praeditam Christus ipse instituit, promisit; immo talem unitatem pro ea exoravit (*Io.* XVII. Unitas fidei, v. 6, 7, 8, 11, 14, 17, 26; cultus, v. 17, 18, 19; regiminis, v. 11-23); quae unitas non tantum similis est unitati Trinae Deitatis et Filii cum Patre, sed realiter participat in illa divina unitate per fidem et caritatem atque in vita supernaturali totum corpus compactum reddenti (*Eph.* IV, 16).

Perfectio sublimae participationis Ecclesiae in unitate Deitatis ulterius fulget in relatione fidei, cultus et regiminis cum divinis Personis quatenus Deum Patrem, Revelationis Auctorem spectat fides seu magisterium docens et fideles credentes; Verbum Incarnatum, Redemptorem se in cruce offerentem et sanctificantem spectat cultus seu sacerdotes offerentes administrantesque et fideles participantes; et Spiritui Sancto, Paraclito refertur regimen seu gubernatio hierarchiae et obedientia fidelium (*Act.* XX, 28).

c) *Sacramentum Matrimonii.*

Desiderandum esse videtur ut sanctitas, indissolubilitas, etc. sacramenti Matrimonii indicentur vel exponantur.

d) *Perpetua Virginitas B. M. Virginis.*

Optabile videtur ut aliquid de perpetua virginitate B. M. Virginis agatur, vel saltem ut mentio Beatae Mariae Virginis fiat.

In re morali

Desiderandum quidem videtur ut sermo fiat de obligatione hominis, in quacumque conditione positus sit, adimplendi munera sua, quaecumque et quota sint, fideliter et secundum veram conscientiam, atque data opera considerato bono publico.

Haec dum Eminentiae Tuae communico, omni qua par est observantia obsequii mei sensus profitens, cuncta fausta a Domino adprecor et permaneo

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ Henricus T. Klonowski
Episcopus tit. Daldianus
Auxiliaris Scrantonensis

132

Exc.mi P. D. RAIMUNDI P. HELLINGER

Episcopi tit. Derbei, Auxiliaris Chicagiensis

Die 18 augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Pater,

Videtur mihi has sententias tractandas esse in Concilio Oecumenico futuro.

1. Num tolerari possit adhaesio passiva in societate impia — e. g. Y.M.C.A.?

2. Ampliari debet scl. modus agendi eorum qui sunt specialiter beati in promotione vocationum secundum can. 1353 « sacerdotes debent fovere germen vocationis in pueris qui dent indicia eius ».

3. Hebdomada Liturgica in U.S.A. est responsio ad Papam Pium XI « instaurare omnia in Christo » potestne Sancta Ecclesia Catholica Universalis instituere hebdomadam liturgicam universalem saltem semel in anno?

Ego, vero, haec tibi referens peculiarem erga te meam declaro observantiam, meque libenter exhibeo tibi addictissimum

✠ Raimundus P. Hillinger
Episcopus tit. Derbiensis
Auxiliaris Chicagiensis

133

Exc.mi P. D. IOANNIS F. HACKETT

Episcopi tit. Helenopolitani in Palaestina, Auxiliaris Hartfortiensis

Die 17 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Infrascriptus Episcopus Titularis Helenopolitanus in Palaestina proposita quae sequuntur Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico communicat ut res quae in futuro Concilio tractari poterunt:

1. De emendatione rationis studiorum in seminariis ita ut cleri ad vitam pastoralem melius praeparentur.

2. De fovenda pro viribus vita communi cleri, maxime in domibus paroecialibus.

3. De introductione linguae vernaculae in recitatione privata breviarii.

4. De unione congregationum religiosarum, praesertim mulierum, quae eundem finem habent.

5. De emendatione iudiciorum praesertim matrimonialium ne iustitia per processus nimis involutos et praelongos laedatur. Processus formales simpliciores reddi debent. Fortasse aliquae proprietates processuum iuris civilis vigentis recipi possint.

6. De relationibus Ecclesiam inter et Statum. Utrum relationes quae in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis vigent exemplum vel saltem modum vivendi existimari possint?

7. De sacramento matrimonii, praesertim quoad observantiam a fidelibus formae canonicae. Negligentia si non contemptio huius gravis praescriptionis iuris Ecclesiae a fidelibus qui matrimonium coram ministello vel magistratu civili attentant in dies increbrescit.

8. De emendatione modi publicationis notitiarum magni momenti a Sancta Sede provenientium. Velim ut tales notitiae Episcopis directe per Nuntios vel Delegatos Apostolicos et non per medium actorum diurnorum nuntientur.

Quae proposita iudicio Sanctae Sedis humillime submitto.

Interim omni qua par est reverentia me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus in Domino

✠ IOANNES F. HACKETT
Episcopus tit. Helenopolitanus in Palaestina
Auxiliaris Hartfortiensis

134

EXC.MI P. D. GEORGII I. BISKUP

Episcopi tit. Hemeriensis, Auxiliaris Dubuquensis

Die 29 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Epistolam Eminentiae Vestrae Reverendissimae e Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico accepi et humillissime rescribo.

Utrum quaestio de separatione inter Ecclesiam et Statum clarificari vel definiri debeat.

Utrum tum clericis tum laicis aliquam participationem in functionibus societatis Y.M.C.A. sub vigilantia Ordinarii loci permittere utile esset.

Utrum normae vigentes participationem in functionibus societatis « Rotarians » prohibentes relaxari debeant ut ista participatio de licentia et sub vigilantia Ordinarii loci permitti posset.

Utrum cum facultate eodem die tres Missas celebrandi concedi debeat dispensatio a praecepto ieunii sacramentalis ita ut potum usque ad tempus incipiendi Missam sumere liceret.

Utrum facultas coronis indulgentias simplici signo crucis affigendi Ordinario loci concedi debeat ita ut aliis sacerdotibus cum facultatibus in dioecesi delegari posset.

Ad osculum sacrae Purpurae humiliter me inclinans sensus obsequii et reverentiae significo.

Addictissimus in Domino
✠ Georgius I. Biskup
Episcopus tit. Hemeriensis
Auxiliaris Dubuquensis

135

Exc.mi P. D. IOANNIS M. McNAMARA

Episcopi tit. Eumenensis, Auxiliaris Vashingtonensis

Die 25 augusti 1959

Eminentia Vestra,

Obtentis a Vobis Litteris, die 18 iunii 1949 datis, in quibus enixe rogatis, ut Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico animadversiones et consilia circa res quae in futuro Concilio tractari poterunt, significare velim, periucundum mihi est, consultis pluribus peritis prudentibusque sacerdotibus, Pontificiae Commissioni has observationes consiliaque subicere.

I. *De Clero*

1. Cum « Sacrorum etiam administri, qui paupertatis officio ob peculiare nuncupatum votum non obligentur, huius paupertatis amore

ducantur oportet, ... animum quoque a divitiis terrenisque rebus cotidie magis abalienare » debeant (cf. Pius XII, *Menti Nostrae*), cum autem sacerdotes sint qui amore voluptatum commodorumque vitae nimis ducantur opportunum videtur ut admoneantur de periculo populo scandalum praebendi, e. g., sumptuosiores emendo currus automobiles et in genere indulgendo rebus luxuriosis, quae statui sacerdotali non conveniunt.

2. Inter fines Divini Officii minimum non est quod sit medium efficacissimum sanctitatis (cf. Pius XII, *Menti Nostrae*).

Decet ergo Lectiones omnes, ad quas sacerdos adstringitur, tales esse ut nutrimento spirituali revera refertae sint.

Quaerere igitur quis potest cur aliquae Lectiones e libris classicis de re spirituali, veluti libello illo aureo *Imitatione Christi,* et huic similibus, non possint excerpi, vel cur non plures Lectiones possint excerpi e documentis pontificiis (sermone forsitan simpliciore recensitis), quae de spiritualitate sacerdotali optime agunt, ita ut sacerdos recitando Lectiones Divini Officii fere totum tractatum de spiritualitate sacerdotali per annum recoleret. Desideratur insuper brevius Divinum Officium ad usum sacerdotum qui provectioris sunt aetatis, vel qui laborant infirmitatibus, speciatim debilitate oculorum, quae quominus multa legantur prohibent.

3. Quandoquidem Sacra Scriptura est fons verae doctrinae et sanguis vivificans missionem pastoralem (cf. Ioannes XXIII, *Nostro cuore*), sacerdotes verbum Dei scriptum perdocte callere debent. Oportet igitur ut sacerdotes Sacram Bibliam assiduo legant; et revera quidem in Divino Officio per annum multas paginas sacras legunt, immo quasdam partes saepius. Nunc si sacerdotibus excerpta e Sacra Scriptura in Divino Officio lingua vernacula recitare liceret, auxilium eis maximum esset ad Sacras Scripturas in concionibus et instructionibus catecheticis magna cum facilitate citandas.

4. Ad fidem moresque fidelium praeservanda ac restauranda pauca media maiorem habent efficaciam quam conciones diebus dominicis regulariter habitae, si utique ex doctrinis ac principiis theologiae diligenter componuntur atque iuxta aptum dicendi genus pronunciantur. Sunt tamen ecclesiae in quibus conciones diebus dominicis non in omnibus Missis habentur; et in quibusdam ecclesiis conciones omnino non habentur per aestatem. Quapropter videtur opportunum ut lex hac de re recenseatur, ita ut concio ad populum haberi debeat in omni ecclesia in unaquaque Missa diebus dominicis etiam per aestatem, quando vero brevior esse liceret. Ad hoc assequendum autem Missae ita sem-

per disponantur ut tempus habeatur sufficiens pro concione saltem breviore; itemque nuntia ad minimum coarctentur, aut potius, si fieri potest, in sic dicto « Bulletin » edantur.

II. *De Populo*

Finis principalis educationis christianae, et consequenter signum eius efficientiae, formatio est Christifidelium devotorum, qui magis magisque vitam vivent Ecclesiae, qui scilicet liturgicis actibus a Sacramentis actuose participent, qui operibus quoque apostolatus in eorum familiis atque vocationibus incumbant, qui variis mediis operositatis laicorum operi magno missionario participationem praestent (cf. Pius XII, *La troisième Assemblée*). Aliis verbis, Christifidelis exemplaris oportet ut sit viva Christi imago, qui vitam christianam, ad bonum concivium suorum, in omni sua actuositate splendere facit. Proh dolor tamen non obstantibus tempore, energia et pecunia quae nos Catholici educationi dedicamus, fructus desideratos non semper metimus. Quare Concilium forsitan possit hoc problema considerare et suggerere vias mediaque quibus educatio catholica ad statum reducatur fructuosiorem.

2. Omnes sacerdotes qui curam animarum habent, animas ad veram Christi Ecclesiam convertere satagere debent. Attamen neobaptizatos ne negligant, sed instructiones, e quibus profundiorem fidei scientiam hauriant, eis dent. Quod merito coniungi poterit praeparationi ad Sacramentum Confirmationis recipiendum. Tali sacerdotum diligentia excitati, neoconversi Catholici erunt meliores, atque se in Ecclesia gratos acceptosque esse sentient.

3. Immoderatus vestium habitus tam in vita quam in notitiis publicis ita hodiernis diebus obnoxius est, ut Catholici omnes, tum fideles tum clerici, sub prudenti sapientique ductu et auspicio Episcoporum, collatis consiliis corrigere conentur oportet hoc vitium, quod dignitatem mulierum diminuit, atque viris ruinae spiritualis occasionem praebet.

4. Cum leges de censuris in Iuris Canonici Codice difficiles sint cum nec seminaristae bene ediscant, nec sacerdotes in ministerio faciliter memoria retinere possint, cumque autem quaedam censurae hodie non practicae appareant, opportunum videtur, ut haec Iuris Canonici pars ad simpliciorem formam reducatur, e. g., retinendo censuras « Latae sententiae » eas solummodo quae revera qua tales necessariae sunt.

5. Assensu meo perlibenter subscribo recensioni Indicis librorum prohibitorum, quae nunc efficitur, ut sit magis practicus pro necessitatibus modernis.

Sperans igitur observationes consiliaque ista ab Eminentia Vestra digna aestimatum iri, quae in Concilio discutiantur, cum omni qua par est observantia et aestimatione permaneo

Eminentiae Vestrae
famulus addictissimus

✠ IOANNES M. McNAMARA
Episcopus tit. Eumenensis
Auxiliaris Vashingtonensis

136

EXC.MI P. D. PHILIPPI M. HANNAN

Episcopi tit. Hierapolitani, Auxiliaris Vashingtonensis

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Vestris litteris de materia Concilio Oecumenico submittenda respondens, sequentes quaestiones pro discussione humiliter propono.

De rebus fidei

De ampliori significatione doctrinae « extra Ecclesiam, nulla salus ». Attamen nullum dubium quin sit dogma fidei, nihilominus doctrina ampliori explicatione indiget praesertim apud nationes quarum incolae sunt, pro maiore parte, protestantes.

De historicitate Sacrae Scripturae. Plures disputationes inter doctores et auctores Catholicos vigent de interpretatione rerum narratarum in Sacris Scripturis. Ex his rebus, admiratio vel etiam dubia de valore historico factorum expositorum oriuntur. Normae ad theologos dirigendos in hac materia desiderantur.

De rebus morum

De condicionibus pro bello iusto. In his diebus cum periculum belli « nuclearis » discutitur, fautores « pacifismi » bellum omnis generis esse intrinsece malum asserunt. Requiritur explicatio et applicatio principiorum de bello iuste gerendo, attentis hodiernis condicionibus.

De finibus matrimonii. Valde utilis esset confirmatio nova de finibus primariis matrimonii, i. e. procreatio et educatio prolis. Errores de his rebus fere omni modo propagantur in hac natione.

De rebus liturgicis

Prodesset vitae spirituali fidelium facultas utendi lingua vulgari in « devotionibus non-liturgicis »: exempli gratia, in Benedictione Sanctissimi Sacramenti, hymnus *Tantum Ergo* et oratio a sacerdote in lingua vulgari cantentur. Hoc modo, devotio fidelium cresceret et indicia darentur de usu gradatim linguae vulgaris in rebus sacris.

Adprecans omnia fausta Vestrae Eminentiae a Deo, me profiteor

Addictissimum in Domino
✠ PHILIPPUS M. HANNAN
Episcopus tit. Hieropolitanus
Auxiliaris Vashingtonensis

137

EXC.MI P. D. DAVIDIS F. CUNNINGHAM

Episcopi tit. Lampsaceni, Auxiliaris Syracusensis

20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, et Eminentiae Tuae, quasdam animadversiones cogitationesque, quae in Concilio tractabiles videntur, indicare placitus sum:

Sub capite Doctrinae

Maria est Mediatrix omnium gratiarum. Haec doctrina omnino certa est, necnon definibilis. Proclamatio dogmatica a magisterio Ecclesiae bono animarum fidelium valde fructuosa videtur, et Reginam Coeli et Terrae eo magis honoraret.

Sub capite disciplinae

Usus linguae vernaculae, in formulis benedictionum ac maxime in augustissimo sacrificio Missae, tractetur. Sollicitudo zelusque animarum comprehensionem maiorem rituum Ecclesiae et praesertim Actionis Liturgicae ex parte fidelium excitat, et usus linguarum populis bene notarum (v. g. per totam Missam Catechumenorum et deinde ab Oratione Domini usque ad Missae conclusionem, lingua latina in canone retenta) hanc consequentiam peroptatam et aptissime et efficientissime produceret.

Licet ad revisionem Codicis Iuris Canonici proprie pertineat, abbreviationem Breviarii Romani pro sacerdotibus saecularibus (v. g. matutinum in omnis gradus festis ad tres psalmos atque tres lectiones, non aliter quam infra Octavam Paschae) pro tractatione conciliari sincere commendo.

Cum omni qua par est reverentia, permaneo

Addictissimus in Domino
✠ DAVID F. CUNNINGHAM
Episcopus tit. Lampsacenus
Auxiliaris Syracusensis

138

EXC.MI P. D. RICHARDI H. ACKERMAN
Episcopi tit. Larensis, Auxiliaris S. Didaci

Die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratissima communicatio tua de Concilio Oecumenico a Sua Sanctitate Papa nostro Ioanne XXIII convocato, prodita est mihi die decimo augusti. Indulgens Eminentiae tuae precibus, submitto — humiliter reverenterque — monita sequentia:

Sunt in quibusdam dioecesibus Statuum Foederatorum Americae complures acatholici quorum multi nomina dederunt uni alterive fere innumerabilium sectarum omnis generis.

Multi horum acatholicorum cum pervenerint ad aetatem iudicii firmi incipiunt cognoscere tenuitatem doctrinarum denominationum suarum.

Inquisitio eorum tempore opportuno ad sacerdotem Catholicum eos adducit. Eheu! saepius dimittendi sunt propter matrimonium initum aetate immatura quod divortium aliudque etiam matrimonium secuta sunt.

Tanti acatholici Americani matrimonium ineunt prope ab initio aetatis cum interea intellexerunt parvum de vera natura matrimonii obligationibusque eius mutuis. Putant et acceptant divortium et onanismum (contraceptionem) tamquam res ordinarias et legitimas. Nihil in circumstantiis et aut disciplina eorum aliquid mali in his tractationibus indicant. Haec quoque sunt matrimonia quae male finiunt. Dimidium pactionum nuptialium quae fiunt in Statu Californiae in divortium finiunt et numerus est aeque horrendus in aliis patriae regionibus.

Quando, in provectiori iam aetate, tales acatholici quaerunt aditum in veram Ecclesiam, non possunt recipi quia legislatio quae nunc viget praesumit favetque validitatem matrimonii primi.

Suggero mutationem in legibus matrimonialibus Ecclesiae eo consilio ut matrimonia acatholicorum — sub quibusdam circumstantiis conditionibusque — invalide considerari possint.

Intelligo quempiam fortasse dicturum esse talem mutationem offensioni futuram esse clericis acatholicis sed sunt tantae animae quae arcendae sunt a vera Ecclesia Dei propter errorem iuvenilem pro quo tantillam responsibilitatem habent.

Clerici Protestantes Americae Septemtrionalis habent in numero multos egregios et honestos. Hi autem valde vincuntur a circulatoribus omnium descriptionum. Isti etiam vestitum ecclesiasticum Catholici sacerdotis iam simulant. Induunt collare clericale (Romanum) vestitumque nigrum et titulum « Patris » flagitant. Episcopi eorum vestiunt cum annulo, cruce pectorali et catena, se ornant « pontificalibus » etiamque « purpureo romano ».

Omne hoc efficit magnam perturbationem inter laicos, et multi eorum qui in Fide non bene eruditi sunt, decipiuntur et ab Ecclesia abducuntur.

Submitto vestem sacerdotalem mutandam esse (aliquid addendum sumendumve) ut verus sacerdos facile cognoscatur. Alteratio haec talis esse debet ut fratres separati eam non possint imitari sine professione iuris verae Ecclesiae e. g. gerere parvum et conspicuum signum clavium papalium.

Temporibus recentibus, honores Vaticani dispensati sunt animo ingenuo et nimis liberali mente. Specto praecipue ad privilegium Praelaturae Domesticae. Hic honor saepe datur viris minus dignis et persaepe tam parva cum causa ut potius ludibrio sit Christifidelibus quam reverentiae. Sancta Sedis dedecoratur et familia papalis ignominia afficitur. Itaque conferre hoc similiaque beneficia saepe plus mali quam boni efficit.

Suggero rationem dandi has favores determinandam esse. Reserventur viris probatissimis et honestissimis, et aut officio potiusquam viro.

Episcopis Auxiliaribus, cum nominentur, assignentur certa munera intra Dioecesim et talia munera indicata sint in Bulla electionis. Hoc prohiberet eos parvo honore afficere et negligere, ad scandalum et clericorum et laicorum.

Denique, velim addere observationes duas quae data sunt mihi a sacerdote fervido et theologo egregio. Eas praebeo ut mihi proferuntur:

« Redigite numeros lectionum in Divino Officio ex novem ad tres. Create circulum trium quattuorve annorum Epistolis et Evangeliis dominicis ita ut Christifideles possint audire plus fortium salubriumque locorum ex Sacra Scriptura.

Condite formulam certam ad curandos sacerdotes veteres. Infelix formula quae nunc viget pios sensus in animis fidelium non excitat atque multos pueros ad operam sacerdotio dandam deterret ».

Maxima cum reverentia et in animo observantiae fraternalis, crede mihi, Eminentissime Domine, in unione et precis et sacrificii,

Tibi plurimam salutem impertio,

✠ Richardus H. Ackerman
Episcopus tit. Larensis
Auxiliaris S. Didaci

139

Exc.mi P. D. ALEXANDRI ZALESKI

Episcopi tit. Lyrbitani, Auxiliaris Detroitensis

Die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Votis Eminentissimi Praesidis Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico annuens, sequentes quaestiones, quae, iudicio meo, utiliter in Concilio tractari possunt humiliter propono.

1. In pluribus regionibus uti e. g. in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis frequenter oriuntur disputationes, immo etiam dissidia, inter Protestantes et Catholicos de relatione inter Statum et Ecclesiam. Catholicis frequenter voluntas imputatur iura civilia reprimendi eorum, qui bona fide doctrinam hereticam profitentur, si forte catholici ad potestatem in statu democratico perveniant. Quaeritur declaratio de modo procedendi virorum Catholicorum, qui potestatem civilem exercent, in defendenda libertate conscientiae, quae generatim constitutionibus democraticis tuetur.

2. Consideratis conditionibus nostrorum temporum de modo bellum gerendi, quaeritur num practice possibile sit causam iustificantem invenire urbes inimicorum pyrobolis atomicis (vulgo atomic and hydrogen bombs) verberandi.

3. Ad mentem habens pessimos effectus divortii, quod in pluribus regionibus lege civili facile conceditur, arbitratur valde utile futurum esse aliquas regulas statui, iuxta quas Ordinarius subditis suis recursum ad magistratum civilem permittere possit.

Sacram purpuram deosculans, summa qua par est reverentia me profiteor humillimum servum.

✠ Alexander Zaleski
Episcopus tit. Lyrbitanus, Auxiliaris Detroitensis

140

Exc.mi P. D. IOSEPHI RANCANS

Episcopi tit. Marcopolitani, Auxiliaris Administratoris Ap. Rigensis

Grand Rapids (Michigan), die 17 augusti A. D. 1959

Eminentissime Princeps,

Ad litteras Eminentiae Vestrae de die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-2211, in causa Concilii Oecumenici breviter suggerere audeo, quae sequuntur:

1. De viis et methodis reunionis Ecclesiae Orientalis cum Sede S. Petri Romae, et aliorum dissidentium.

2. De magis praecisis lineis et limitibus Actionis Catholicae et participationis laicorum in fidei propagatione et Actione Sociali.

3. De Scholis Catholicis, de educatione cleri et laicorum et de scientiis imbuendis: ut habeatur prae oculis scientia linguae Latinae ad unitatem Ecclesiae firmandam etiam in cultu Liturgico (sine admixtione linguarum vernacularum quoad Sacrificium S. Missae).

4. Errores moderni materialismi et exsistentialismi definiendi et condemnandi.

5. In cura pastorali emigrantium (exulum) Ordinarii locorum specialem curam habeant in parochiis sic dictis nationalibus erigendis atque sustentandis: Ne, accelerata tendentia denationalisationis, Ecclesia detrimentum patiatur fidelium emigrantium (una lingua in parochiis mixtae nationalitatis — solummodo Anglicae — etiam pro nescientibus eam et inexpertis).

Haec argumenta considero uti valde necessaria et includenda in materiis tractandis proximi Concilii Oecumenici.

Sacram purpuram Eminentiae Vestrae deosculans

Servus humillimus in Christo permaneo

✠ Iosephus Rancans
Episcopus tit. Marcopolitanus
Auxiliaris Rigensis

141

EXC.MI P. D. AUGUSTINI DANGLMAYR

Episcopi tit. Olbiensis, Auxiliaris Dallasensis-Arcis Vorthensis

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Magno cum gaudio et pari cum gratitudine accepi litteras ab Eminentia Vestra ad me die 18 iunii 1959 missas.

Honori mihi duco Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico haec desiderata proponere:

1) ut Ordinariis loci maior potestas in disponendis causis matrimonialibus concedatur;

2) ut inter impedimenta in Can. 1990 recensita etiam impedimentum aetatis includatur;

3) ut amplior usus linguae vernaculae in functionibus liturgicis permittatur;

4) ut clericis saecularibus Officium Divinum extra chorum recitantibus uti sive lingua latina sive lingua vernacula licentia detur;

5) ut matutinum Officii Divini diebus festivis sollemnibus, quando sacerdotes multum in ecclesia laborare debent et solent, uno tantum nocturno constet;

6) ut lectiones II nocturni abbrevientur et omnia, quae a veritate historica discrepant, et quae nationalismum exaggeratum fovere videntur, ex eis expungantur;

7) ut fideles uxorati, qui sunt satis idonei ad sacerdotes in cura animarum gerenda iuvandos, Diaconi ordinari possint, et ab obligatione Officii Divini recitandi sint exempti.

Deosculans purpuram, Eminentiae Vestrae

addictissimus

✠ AUGUSTINUS DANGLMAYR
Episcopus tit. Olbiensis
Auxiliaris Dallasensis-Arcis Dorthensis

142

EXC.MI P. D. IOSEPHI C. McCORMICK

Episcopi tit. Ruspensis, Auxiliaris Philadelphiensis

Die 22 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris mihi missis die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-2307) a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, cui praeest Eminentia Vestra Reverendissima, respondeo nihil hoc tempore mihi occurrere suggerendum circa argumenta quae in futuro Concilio tractari possunt.

Iam cum Eminentissimo Ordinario Philadelphiensi, cuius Auxiliaris sum, collaboravi in variis rebus proponendis.[1]

Omni qua par est reverentia, me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
add.mum in Domino

✠ IOSEPH C. McCORMICK
Episcopus tit. Ruspensis
Auxiliaris Philadelphiensis

143

EXC.MI P. D. ROBERTI E. TRACY

Episcopi tit. Sergentzensis, Auxiliaris Lafayettensis

Die 9 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Hisce litteris gratias ago Eminentiae Vestrae Reverendissimae pro venusta Littera nobis die 18 mensis iunii 1959, missa, in qua opiniones, sententias, consilia et vota pro Concilio Oecumenico, requirebantur.

Responsio urgebatur « quam primum, sed, si fieri potest, non ultra diem primam septembris currentis anni ».

Cum consecrationem Episcopalem recenter recepissem, et cum in pa-

[1] Cf. pp. 403-407.

roecia, oppido Abbeville, ubi ministerium sacrum exerceo, novissimis mensibus tantum residentiam sumpsissem, inhabilis fui ad litterae Vestrae, statuto tempore, responsionem mittendam.

Omnibus bene perpensis, etiam cum conscius sim imperitiae meae in ministerio Episcopali, quod tam recenter recepi, opportunitati praesentandi opiniones et consilia mea abrenuntio, et votum meum addo consiliis et commendationibus iam ab Excellentissimo Domino Mauritio Schexnayder, Ordinario Lafayettensis, allatis.[1]

Tandem omni qua par est reverentia, Eminentiae Vestrae Rev.mae devotissimum in Christo Domino me profiteor.

✠ ROBERTUS E. TRACY
Episcopus tit. Sergentzensis
Auxiliaris Lafayettensis

144

EXC.MI P. D. LUDOVICI A. CAILLOUET
Episcopi tit. Seteensis, Auxiliaris Novae Aureliae

Die 4 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Summa cum obedientia respondens litteris magni ponderis mihi missis die 18 iunii 1959 a Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, cui Eminentia Vestra praeest, audeo sequentia consilia proponere circa materias quae dignae videntur consideratione praefatae Commissionis:

De Doctrina Catholica

1. Ut per definitionem Pontificiam tribuantur Beatae Mariae Virgini tituli Co-Redemptricis generis humani, et omnium gratiarum Mediatricis. Sacra enim Scriptura et Traditio videntur amplissima testimonia continere de his praerogativis Dei Genitricis.

2. Ut magis clarificetur modus evolutionis doctrinae Christianae per Traditionem viventem, divino afflante Spiritu, Qui in Ecclesia inhabitat. Sic refutari posset accusatio a quibusdam facta qui ad Ecclesiam non pertinent, et qui aiunt Ecclesiam transgressam esse limites Traditionis oralis primitivae ab Apostolis datae.

3. Ut iterum enuncietur doctrina Ecclesiae de essentiali dignitate personae humanae, atque de iuribus inde fluentibus sine respectu gene-

---
[1] Cf. pp. 356-358.

ris vel conditionis socialis. Talis declaratio reprobaret iniquitatem *segregationis legalis hominum* in diversis suis formis, prouti observatur in variis regionibus mundi. Auxilium potens praeberet dicta declaratio iis omnibus, inclusis Sanctae Ecclesiae Episcopis, qui sollerter atque fortiter conantur evertere divisiones ab hominibus iniuste statutas. Spem magnam praeberet omnibus qui talibus iniustitiis specie legis quibus utuntur multi, inter quos — proh dolor! — etiam Catholici, qui acerrime pro viribus contendunt ut dictae iniustitiae conserventur, quique aliquando non erubescunt Ecclesiam eiusque Episcopos obiurgare propter dicta et facta quibus segregationem reprehendunt.

De Disciplina

1. Ut instituatur tirocinium pro sacerdotibus dioecesanis, secundum normas iam traditas pro sacerdotibus religiosis, sed facta licentia de ministerio sacerdotali exercendo in paroeciis iuxta regulas accurate definiendas.

2. Ut Seminariorum magistri sedulissima cura invigilent ut alumni, praesertim ii qui ad sacerdotium adspirant post completa studia superiora, quin operam navaverint in ediscenda Lingua Latina, probe atque diligenter se dedicent studio istius linguae Ecclesiae propriae.

3. Ut praedicatio Verbi Dei strictius praecipiatur in omnibus Missis diebus Dominicis et festis de praecepto. Evidenter enim desideratur talis praedicatio in multis locis et regionibus.

4. Ut parochi et vicarii cooperatores singulis saltem trienniis personaliter invisant singulos paroecianos.

5. Ut generaliter iure communi concedatur omnibus sacerdotibus curam animarum gerentibus facultas benedicendi solo signo Crucis omnia obiecta pietatis, eis imponentes omnes indulgentias ab Ecclesia concessas.

De Sacra Liturgia

1. Ut benigne concedatur usus linguae vernaculae in Missa Catechumenorum iuxta normas accurate definitas et applicationem habentes in omnibus regionibus.

2. Item, ut approbetur usus linguae vernaculae in processionibus liturgicis, v.g., in diebus Rogationum, in Purificatione B. M. V., Dominica Palmarum etc. Generatim in talibus occasionibus praesertim desideratur participatio fidelium, quae facilius obtineretur dato usu linguae vernaculae.

3. Postquam completae fuerint omnes emendationes et restaurationes Sacrae Liturgiae, valde optandum ut codificatio quaedam et unifi-

catio omnium rubricarum pro celebratione Augustissimi Sacrificii et omnium rubricarum pro celebratione Augustissimi Sacrificii et administratione Sacramentorum et sacramentalium, necnon pro recitatione Divini Officii, de mandato Summi Pontificis publicetur. Discordantia sententiarum quae apud multos auctores invenitur sic resolvi posset, in adiutorium eorum qui rubricas fideliter sequi student, et non raro difficulter iudicium certum efformare possunt.

4. Concessio generalis formulae brevioris pro consecratione ecclesiarum et altarium valde utilis esset clero et populo. Talis concessio indirecte foveret maiorem devotionem ex parte populi, in quantum magis attente possent assistere functioni breviori. Quando accidit ut unicus Episcopus plura altaria simul consecret, ut non raro evenit, magis atque magis liquet convenientia huius formulae brevioris.

5. Ut fidelibus detur occasio audiendi in Missis Dominicalibus maiorem numerum lectionum ex Epistolis et Evangeliis, ita ut magis cognoscant et aestiment abundantiam locorum qui nunc omittuntur inter dies Dominicas per annum, summa cum reverentia proponitur ut augeatur numerus Epistolarum et Evangeliorum post Epiphaniam et Pentecosten, ita ut infra biennium compleatur lectio omnium locorum. Sic saltem duplicaretur numerus lectionum nunc vigens.

De Matrimonio

1. Maximo cum obsequio proponitur ut causae matrimoniales circa defectum aetatis canonicae, quae facile ex documentis publicis et authenticis verificari possunt, instrui et adiudicari possint iuxta processum simplicem in Canonibus 1990 et sq. relatum.

2. Oppositio ex parte societatis hodiernae saecularisticae contra sanctitatem matrimonii et vitae familialis videtur postulare ut iterum sollemniter enuncietur doctrina Ecclesiae circa haec instituta divinitus fundata. Salutariter includi possent normae respicientes frequentiam inter iuvenes diversi sexus in ordine ad matrimonium, nempe ne nimis, id est, ultra unum circiter annum, protrahatur. Reprobari posset consuetudo quae multis in regionibus invaluit, praesertim inter iuniores, qua per plures annos solus cum sola inveniuntur, sine certa spe matrimonium contrahendi nisi post notabile tempus.

De aliis negotiis

1. Ad praecavendas magnas difficultates quas experiuntur ministri acatholici ad Ecclesiam conversi qui in animo habent ad sacerdotium promoveri, petitur ut iisdem Ecclesia benigne concedat ut vitam com-

munem ducant cum uxoribus etiam post sacram ordinationem. Dato quod hoc fieret tantum per modum specialis dispensationis, et non tam frequenter fieret in singulis locis, haud oriri posset admiratio populi vel quaestio circa reverentiam debitam sacri coelibatus legi.

2. Quum nostris diebus multiplicentur conventus et aliae adunationes, quibus multi sacerdotes conveniunt, celebratio magni numeri Missarum in aulis etiam diversosiorum videtur minus decere dignitatem Sacratissimi Sacrificii Missae. Forsan considerari posset possibilitas concelebrationis in talibus adiunctis.

Sperans fore ut quae praesentare praesumpsi Pontificae Commissioni Antepraeparatoriae non appareant nimis temeraria vel protracta, gratis ago Summo Pontifici atque Eminentiae Vestrae pro insigni favore quo dignatus es meam sententiam expetere, atque permaneo, summo cum obsequio erga Sanctam Sedem et Eminentiam Vestram,

addictissimus et devotissimus in Domino
✠ LUDOVICUS A. CAILLOUET
Episcopus tit. Seteensis
Auxiliaris Novae Aureliae

145

EXC.MI P. D. IOANNIS B. GRELLINGER
Episcopi tit. Syenitani, Auxiliaris Sinus Viridis

Die 13 augusti 1959

Excellentissime Domine,

Humiliter propono:

1. Ut valor veritatis asseratur contra Relativistas.

2. Ut conceptus legis naturalis vindicetur contra Positivistas hodiernos.

3. Ut notio laboris servilis magis nostris temporibus adaptetur.

4. Ut Breviarium Romanum magis vitae religiosae cleri saecularis accommodetur.

5. Ut status episcopi auxiliaris magis determinetur spectato augmentato numero eorum qui ita designentur et munere parochi quo habitualiter in nonnullis adiunctis funguntur.

Obsequentissimus in Domino
✠ IOANNES B. GRELLINGER
Episcopus tit. Syenitanus
Auxiliaris Sinus Viridis

146

EXC.MI P. D. EDUARDI G. HETTINGER

Episcopi tit. Teiensis, Auxiliaris Columbensis

Die 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ex corde grato litteras Reverendissimae Tuae Eminentiae de Concilio generali mox eventuro acceptas fateor. Mihi praesertim est gratulationi quod Summus Pontifex me rogavit ut de hac re rescribam.

Circa ea quae agenda sunt, nullas animadversiones habeo. Credo, tamen, opportunissimam esse huius Concilii renunciationem. Mihi enim videtur quod per hoc Concilium poterit Ecclesia monstrare — et hoc quidem modo omnino conspicuo — mundo — quo audiat et aspiciat — veram religionis Iesu Christi notionem; quod insuper multa praeconcepta et praeiudicia dispellat, quae nunc imaginem Ecclesiae Catholicae in mentibus innumerabilium hominum depravant.

Addictissimus Reverendissimae Tuae Eminentiae sacram purpuram deosculor.

✠ EDUARDUS G. HETTINGER
Episcopus tit. Teiensis
Auxiliaris Columbensis

147

EXC.MI P. D. LEONIS F. DWORSCHAK

Episcopi tit. Tiani, Auxiliaris Fargensis

Die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Rescribens litteris Eminentiae Vestrae a die duodevigesima iunii 1959, Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico haec humillime subicere placet.

I. Licentia temporum vitiaque saeculi fideles Catholicos multos affecerunt eorumque vitae damnum attulerunt, ideoque eorum intelligentia naturae hominum spiritualis eorumque finis supernaturalis hebetata est, eorumque fides debilitata, oboedientia eorum erga magisterium Ecclesiae infirma evasit.

Nonne usui erit, principia doctrinae Christianae ad linguam huius

aetatis adaptare ita vero ut veritas Christiana integra servetur, quae principia hic notantur:

a) De Deo creatore;

b) de origine mundi et de peccato Adami;

c) de Redemptione;

d) de Ecclesia et de Corpore Christi Mystico;

e) de magisterio infallibili Ecclesiae;

f) de vera libertate secundum naturam humanam et legem moralem.

Concilium Oecumenicum ambitum veritatum harum per singula intueri et perscribere non poterit, si vero demonstraretur libertatem veram existere non posse nisi lege divina fundatam, nec lumen, quod mentes vere illuminet, existere nisi magisterium divinum Ecclesiae Dei, fides et religio redintegrarentur.

II. Partes plures Codicis Iuris Canonici rescribere oportebit, ut constitutionibus Apostolicis et rescriptis Sanctae Sedis novissimis accomodentur. Ieiunium et abstinentia, ut temporibus mutatis melius conformentur, suademus, sicut de ieiunio Eucharistico horisque Missae celebrandae et sacrae communionis recipiendae iam factum est.

Decreta S. Congregationis Concilii a die vigesima decembris 1941 et a die ianuarii vigesima octava 1949 Ordinariis facultates concedunt legis generalis relaxandae. Quae remissio legis ieiunii et abstinentiae universalis sit, ut lex eadem in tota Ecclesia valeat vel saltem iis in regionibus, ubi adiuncta eadem existunt, nec arbitrio Ordinariorum committatur legis observantia. Ubi enim hae leges in dioecesibus contiguis differunt, confusio et perturbatio magna sequuntur. Cum lex de una eademque abstinentiae et ieiunii norma regulaque constituetur, ab hac lege raro tantum et urgente solum causa dispensetur. Auctoritas legum graviter minuitur, si fideles saepe ab his dispensantur, vel si parochus Dominica abstinentiae diem vel ieiunii annuntiat fidelesque uno vel altero die post in actibus diurnis de dispensatione concessa legunt.

Animo obsequente et paratissimo haec Sanctae Sedi suademus, obsecramusque ut Spiritus Sanctus omnes dirigat, qui ut Concilium Oecumenicum bene feliciterque procedat, operam dant.

Tuae Eminentiae Reverendissimae
humillimus ac dev.mus servus in Christo

✠ LEO F. DWORSCHAK
Episcopus tit. Tianus
Auxiilaris Fargensis

148

Exc.mi P. D. PAULI LEIBOLD

Episcopi tit. Trebennatensis, Auxiliaris Cincinnatensis

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Res et argumenta quae sequuntur mihi, omni cum libertate et sinceritate, videntur in futuro Concilio Oecumenico utiliter tractari posse.

1. Ut Ordinarii Loci praecise cognoscere possint quibus in rebus religiosi a sua iurisdictione exempti sint et in quibus sub ea subiecti, omnes exemptiones quibus singuli ordines congregationesque in posterum gaudebunt in huius concilii decretis perscribantur, abrogata caeteris non ita perscriptis; et clarificentur praescripta can. 613, § 1, quantum ad privilegia ante codicem adepta ratione « communicationis ».

2. Ut ad uniformitatem in ieiunii et abstinentiae legum observantia pervenire possimus, clarior verborum « ieiunii et abstinentiae » definitio dari debet.

3. Hodierno die sensus dictorum « operis servilis » necnon « observantiae dominicalis » clarius definiatur.

4. Ut societati civili modernae eiusque dectrinae saeculari « totalis separationis Ecclesiae a Statu » respondeamus, clariore definitione ipsius relationis quae vere viget inter Ecclesiam Statumque Civilem indigemus.

5. Dictum « communicatio in divinis » clarificetur atque normae secundum quas catholici regendi sunt quando cum acatholicis in variis negotiis publicis participant accuratius delineentur.

6. Ut agenda tribunalium ecclesiasticorum in casibus matrimonialibus expeditiora reddantur, urgentur ut:

a) Minus formalis sit testium interrogatio (etenim multi testes acatholici hanc formalitatem vix intelligunt);

b) solutio matrimonii « in favorem fidei » a Delegato Apostolico concedatur, testibus non formaliter interrogatis;

c) tribunal tertiae instantiae singulis civitatibus constituatur et eandem quae Sacrae Romanae Rotae competit iurisdictionem exerceat.

7. Divinum officium lingua vulgari privatim recitari liceat, horis canonicis, praesertim matutinis, in formam breviorem ac simpliciorem reductis.

8. Omnes partes Missae Catechumenorum, quae « instructivae » nuncupantur, in vernaculo recitari liceat.

9. Ut ipsa Sacra Communio facilius intra Missam distribuatur,

a) cantetur « Credo » et forsan « Gloria » eo tempore quo Communio distribuitur;

b) peragatur ipsa Missa usque ad ultimam benedictionem dum Communio distribuitur;

c) distribuatur Communio ab aliis quam sacerdotibus, e. g. ab acolythis caelibus qui aetatem decimam septimam attigerunt quique integrum annum Sancto Patrono (eg. Pancratio, Tarticio) dedicantur, et quidem aliis locis praeter locum consuetum quo a fidelibus ad cancellos recipitur.

10. Quantum ad leges ieiunii Eucharistici, sacerdotes qui trinam Missam celebrant necnon omnes aegrotantes benignus ducantur; his enim cibos solidos sumere liceat modo quo olim ii qui per integrum mensem aegrotabant licebat.

11. Ipsum ius facultatis tradendae quae tres Missas diebus praecepti ac ferialibus diebus Missas duas celebrare liceat, ipsi Loci Ordinario concedatur.

✠ PAULUS LEIBOLD
Episcopus tit. Trebennatensis
Auxiliaris Cincinnatensis

149

EXC.MI P. D. IOSEPHI SCHMONDIUK

Episcopi tit. Zeugmatensis in Syria,
Auxiliaris Philadelphiensis Ruthenorum

Die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Respondendo litteris Eminentiae Vestrae, sub Prot. N. 1 C/59-2505, a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico missis, has animadversiones et vota humillime propono:

1. Cum hodiernis temporibus Materialismus et Saecularismus maxime grassentur, Cultum Divinum totum magnopere extollere atque prae oculis omnium tam fidelium quam infidelium tenere mihi necesse visum est. Omnes fideles ad participationem liturgicam activam inducere oportet, et quidem non solum in offerendo Sacrosancto Missae — Divinae Liturgiae — Sacrificio, sed etiam in omnibus aliis divinis officiis, seu in toto opere liturgico.

Linguae liturgicae in Ecclesia tam Orientali quam in Occidentali vigentes maneant sicuti erant hucusque. Fideles tamen assidue et constan-

ter instruantur, ut lingua vulgari divina officia intelligant eaque tamen in lingua liturgica sequantur.

Liceat fidelibus lingua vulgari uti in illis solum partibus administrationis sacramentorum, in quibus ipsi personales responsiones, praeter Liturgiae Sacrificium, dare ordinantur, v. g. in responsionibus baptismalibus et matrimonialibus.

Ad materialismum et saecularismum aptius oppugnandum sacerdotes penitus instruantur. Maxima cum cura praeparatio levitarum in seminariis fiat, ut apostolatum in modernis temporibus fructuose exercere possint. Vigilent Excellentissimi Episcopi, ut ordinandos bene cognoscant eosque sufficienti doctrina, aequa prudentia, pura intentione et zelo divino praeditos esse, ne spiritus huius saeculi, materialismo infecti, eos inquinet.

2. Quoad vitam Christifidelium, qui omnes sal terrae esse debent: Ne se immisceant, sine valida necessitate, infidelibus et haereticis; studeant moribus Christifidelium primorum Christianismi saeculorum, ut simplicitatem evangelicam salvare queant, etiamsi debeant vivere in societate achristiana et in temporibus maximi progressus technologici.

Omnes plene instruantur in doctrina christiana, iuvenes et adulti, continue secundum aetatis et temporis necessitudines, ut tota Ecclesia Dei Gloriam Creatori et Domino universi offerat. Sciat populus christianus quod est « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annunciet Christi, qui de tenebris eum vocavit in admirabile lumen suum » (*I Petri* 2, 9).

Evitent Christifideles imitari infideles. Lecturae omne genus; spectacula theatrica, cinematographica et televisifica, cum valde afficiant mores et opiniones, omnino evitanda sunt, si non a viris vere catholicis producta sint, et ad fines Ecclesiae directa. Si quicumque liber, quaecumque ephemeris, quodcumque verbum typis impressum (la stampa), quodcumque spectaculum publicum non ad fines Ecclesiae directe vel saltem indirecte, promovendos producta sint, diabolico veneno sapiunt et scandalum genti sanctae proferunt.

3. Plebs christiana caritate Christi omnes prosequatur; speciali autem caritate Christifideles inter se innotescant; agnoscant varios populos terrae illorumque iura; revereantur differentes nationes, eorum consuetudines, linguae et ritus liturgici. Ne unus populus in alium suas consuetudines imponat nisi agatur de consuetudinibus malis, quae prudenter lumine veritatis extirpandae sunt.

4. Ritus in Ecclesia vigentes sancte retineantur; immo, novi ritus pro novis gentibus convertendis ab Ecclesia sola introducendi sunt. Nec ulli transire in alterum ritum liceat sine gravi necessitate et hoc fiat

iudicio Episcoporum Ordinariorum ita ut Episcopus ritus « a quo », decisionem ferat circa necessitatem transitionis in alterum ritum.

5. Liberi sequantur ritum patris, uti lex viget, parochis tamen liceat permissionem dare sacerdoti cuiuscumque ritus catholici in hoc ritu baptizare iuxta data causa subditum suae paroeciae.

6. Relate ad matrimonia mixti ritus valde optandum est, ut ipsi Excellentissimi Episcopi Ordinarii dispensare possint iusta de causa a can. 88, 3, ut matrimonia contrahi possint in ritu sponsae.

Servus in Domino

✠ IOSEPH SCHMONDIUK

Episcopus tit. Zeugmatensis in Syria
Auxiliaris Philadelphiensis Ruthenorum

AMERICA CENTRALIS

CONVENTUS EPISCOPALIS AMERICAE CENTRALIS ET PANAMAE (CEDAC)

CONVENTUS EPISCOPALIS AMERICAE CENTRALIS ET PANAMAE (CEDAC)

Cui interfuerunt:

EX COSTARICA

Exc.mus P. D. Ioannes V. Solis Fernández, *Episcopus Alaiuelensis* (Alajuela)

Exc.mus P. D. Delphinus Quezada Castro, *Episcopus Sancti Isidori* (San Isidro de El General)

Exc.mus P. D. Alfonsus Höfer, H. C. *Episcopus tit. Thebanus in Phtiotide, Vicarius Ap. Limonensis* (Limón)

EX GUATIMALA

Exc.mus P. D. Ludovicus Manresa Formosa, *Episcopus Altensis* (Quezaltenango).

Exc.mus P. D. Marianus Rossell y Arellano, *Archiepiscopus Guatimalensis* (Guatemala)

Exc.mus P. D. Michaël A. Garcia Aráuz, *Episcopus Jalapensis in Guatimala* (Jalapa)

Exc.mus P. D. Caelestinus M. Fernández Pérez, O. F. M., *Episcopus Sancti Marci in Guatimala* (San Marco)

Exc.mus P. D. Raimundus M. Martin, O. P., *Episcopus Verae Pacis* (Vera Paz)

Exc.mus P. D. Marius Casariego, *Episcopus tit. Pudentianae, Auxiliaris Guatimalensis*

Exc.mus P. D. Humbertus Lara Mejia, *Episcopus tit. Trajanopolitanus in Phrygia, Auxiliaris Verae Pacis*

EX HONDURAS

Exc.mus P. D. Hector H. Santos, *Episcopus Sanctae Rosae de Copán* (Santa Rosa de Copán)

Exc.mus P. D. Evelius Domínguez Recinos, *Episcopus tit. Achollitanus, Auxiliari Tegucigalpensis*

EX NICARAGUA

Exc.mus P. D. Marcus A. García y Suárez, *Episcopus Granadensis* (Granada)

EX S. SALVATORE

EXC.MUS P. D. MICHAËL A. MACHADO Y ESCOBAR, *Episcopus Sancti Michaëlis* (San Miguel)

EXC.MUS P. D. ALOYSIUS CHÁVEZ GONZÁLEZ, *Archiepiscopus Sancti Salvatoris in America* (San Salvador)

EXC.MUS P. D. BENIAMINUS BARRERA Y REYES, *Episcopus Sanctae Annae* (Santa Ana)

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS I. CASTRO RAMIREZ, *Episcopus S. Iacobi de Maria* (Santiago de Maria)

EXC.MUS P. D. PETRUS A. APARICIO Y QUINTANILLA, *Episcopus S. Vincentii* (San Vicente)

EXC.MUS P. D. RAPHAËL VALLADARES Y ARGUMEDO, *Episcopus tit. Curubitanus, Auxiliaris Sancti Salvatoris in America*

Sancto Salvatore, die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Cum receperim litteram tuam maximi momenti, N. 1 C/59-1201, per quam significas mihi, Summum Pontificem Ioannem XXIII, fel. reg., die 17 maii, in festo Pentecostes, instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, cui magna sollertia praees, placet mihi ex toto corde gratulari tibi, Eminentia Rev.ma, felice successu, et simul communicare, in X Conventu Consilii Episcopalis Americae Centralis et Panamae (CEDAC) in ac Civitate metropolitana nuper habito, me praeside, placuisse Excellentissimis Episcopis, una simul et coniunctim, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, aliquas propositiones seu sententias mittere, quas consentaneas esse putaverunt.

Hic invenies, Eminentissime Domine, sic dictas propositiones, Excellentissimorum Praelatorum.

Cum deprecor Spiritum Sanctum pro exitu felici futuri Concilii Oecumenici et pro optimo labore Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae ipsius, me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum in Domino

✠ ALOYSIUS CHÁVEZ GONZÁLEZ
Archiepiscopus Sancti Salvatoris in America
Praeses « CEDAC »

C.E.D.A.C. id est, Conferentia Episcopalis Americae Centralis ac Panamae, in urbe Sancti Salvatoris (Rep. El Salvador), diebus 18-21 augusti, conveniens, opportunum iudicat haec quae sequuntur isti Pontificiae Commissioni proponere ad Concilium Oecumenicum:

1. Positis et Sacerdotum penuria apud gentes nostras et maximo laboris pondere pastoralis ab ipsis ferendo, proponitur institutio « diaconorum quoad attributiones » ex viris religiosis ac laicis selectis.

Qui diaconi, sint insigniti:

a) matura aetate;

b) perspicuo animo christiano;

c) sufficienti scientia et dogmatica et morali scripturistica ac liturgica.

Eorumque officia sint:

a) cathechesi incumbere;

b) parocho in servanda Eucharistia ac in eius ornatu iuvamen afferre;

c) fidelibus Sacram Communionem prudenti parochi iudicio, distribuere;

d) christifidelibus in extremo vitae agone iuvamen ac solatium afferre.

2. Integerrime disciplina ecclesiastici celibatus teneatur.

Attamen ut lues scandali minuatur et ut in singulis casibus ab Ordinariis propositis celerius procedatur, Sacra Romana Dicasteria expeditius processus persolvant.

3. Annuae confessionis ac communionis praeceptum ad totum anni curriculum protrahatur.

4. Ceremoniae breviores reddantur in Baptismi administratione (v. g. orationes pluraliter dicantur, inhalatio as salivae impositio omittantur, etc.) et in Extremae Unctionis administratione, ex rationabili causa, unica detur unctio in fronte.

Idem desideratur quoad ecclesiarum ac altarium consecrationem.

5. Sollemnis desideratur a tanto Patrum Conventu damnatio communismi doctrinae, sectae massonicae, laicismi ac liberalismi.

6. Episcopi (ordinarii) auctoritas in rebus quae ad curam animarum spectant religiosis commissam, maior desideratur.

7. Tandem in toto Concilii labore illis utantur mediis quae in maximis hodiernis conventionibus adhibentur ut v. g. unusquisque in sua propria lingua disserentes audiat. Attamen decreta necnon omnes resolutiones ac ipsius Concilii acta latine exarentur.

OMNES SEQUUNTUR SUBSIGNATIONES

COSTARICA

1

EXC.MI P. D. IOANNIS V. SOLIS FERNÁNDEZ

Episcopi Alaiuelensis (Alajuela)

Qui responsum dedit una cum Conventu Episcopali Americae Centralis et Panamae (CEDAC).[1]

2

EXC.MI P. D. DELPHINI QUESADA CASTRO

Episcopi Sancti Isidori (San Isidro de El General)

Qui responsum dedit una cum Conventu Episcopali Americae Centralis et Panamae (CEDAC).[2]

3

EXC.MI P. D. IANUARII VEROLINO

Archiepiscopi tit. Corinthiensis, Nuntii Ap. in Costarica

San José, 18 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

In riscontro al venerato foglio n. 1 C/59-1659 del 10 luglio p. p., col quale Vostra Eminenza Rev.ma si compiaceva chiedermi suggerimenti per il futuro Concilio, mi permetto di segnalare sommessamente i seguenti punti:

I. *Situazione della Chiesa nell'America Latina*

Le deficienze del cattolicismo in questi paesi sono enormi, e gravissimo è il pericolo a cui è esposta la Chiesa per l'intenso attacco comunista e soprattutto protestante.

Quando si considerano le statistiche si resta spaventati. Secondo

---

[1] Cf. pp. 521-523.
[2] Cf. l. c.

dati molto attendibili, appena il 6% degli uomini e il 12% delle donne compie il precetto domenicale e pasquale; e più della metà della popolazione muore senza ricevere gli ultimi Sacramenti! Il 70% manca di una formazione religiosa fondamentale. Dei 20 milioni e mezzo di ragazzi e giovanetti che vanno a scuola, solo 2 milioni e mezzo ricevono regolarmente istruzione religiosa; mentre altri 4 o 5 milioni la ricevono occasionalmente. Ed i rimanenti 13 milioni?

a) *Cause e rimedi*:

Le cause di questa disastrosa situazione sono molteplici. Secondo me la più importante è la grandissima scarsezza del clero: 35.000 sacerdoti per 170 milioni di fedeli! Una media quindi di un sacerdote per 5.000 anime, media che si eleva di molto se si detraggono i sacerdoti occupati nell'insegnamento, nelle Curie, Seminari, ecc. Se poi si considera che la maggior parte del clero vive riunito nei principali centri urbani, è facile immaginare lo stato di abbandono in cui si trovano le campagne, dove ci sono spesso dei sacerdoti incaricati della cura di 30, 40, 50 mila anime sparse su territori vastissimi e difficilmente accessibili; e dove si trovano delle popolazioni che vedono il sacerdote appena una volta all'anno.

Senza dubbio il CELAM sta facendo degli sforzi per migliorare la situazione. È lodevole l'aiuto che han cominciato a dare diverse istituzioni, quali la « Obra de Cooperación Sacerdotal Hispano-americana » e il Seminario di Lovanio. Magnifica l'idea dell'adozione di diocesi latinoamericane da parte di diocesi nordamericane con l'invio di sacerdoti e mezzi. Ma sono appena delle goccie d'acqua nell'oceano...

Io credo che bisognerebbe fare uno sforzo veramente straordinario in favore dell'America Latina ed inviarle urgentemente un massiccio aiuto, se non vogliamo assistere alla perdita del Continente, perchè i protestanti hanno sferrato un fortissimo attacco e lo alimentano con sempre nuove forze.

Mentre venti anni fa avevano in questi paesi appena 3.000 templi e cappelle, ora ne hanno 26.000. I pastori son passati da 1.800 a 6.400, e questo senza contare i 14.000 propagandisti indigeni, che ogni giorno più numerosi vengono fuori dai molteplici seminari e centri di preparazione esistenti nel Messico, Brasile, Argentina, Porto Rico, Colombia, Chile, Costa Rica, ecc. Il numero degli adepti è oggi di oltre 5 milioni.

Pensando a questo gravissimo problema e all'urgenza di correre ai ripari, mi è venuta la seguente idea:

Non si potrebbe riversare su l'America Latina tutto il personale

missionario destinato ordinariamente ai territori di Propaganda? Non dico che si debba abbandonare il mondo pagano; davanti al gravissimo pericolo che corre la Chiesa nell'America Latina, credo conveniente, per un certo numero di anni, mantenersi su la difensiva in quel settore (eccetto naturalmente i luoghi dove la messe è particolarmente abbondante come nell'Uganda e paesi vicini, nel Giappone, ecc.) e far convergere tutte le forze che risultassero disponibili su l'America Latina.

Non si vuole con questo disconoscere o sottovalutare il dovere che ha la Chiesa di evangelizzare i pagani; ma stante una maggiore e più urgente necessità altrove, è naturale che le si dia la preferenza. Anche perchè certi paesi han fatto così poco profitto della predicazione del Vangelo!

A volte mi vien fatto di pensare: un missionario va nell'India, nella Malesia o in certe regioni dell'Africa, lavora un anno intero e con molti sforzi e sacrifici riesce alla fine a battezzare una mezza dozzina di pagani. Lo stesso missionario, con uguale e forse anche minore sforzo, potrebbe mantenere la fede in altrettante migliaia di cattolici latino-americani che, se non ricevono urgentemente assistenza, andranno perduti.

Certamente è ottima l'idea di moltiplicare e dare incremento ai Seminari, ma fintantochè le parrocchie saranno sprovviste di sacerdoti, sarà sempre scarso il reclutamento delle vocazioni. L'aumento che in tali condizioni si otterrà, non sarà nemmeno sufficiente per tener dietro al naturale aumento della popolazione, ed il problema resterà sempre insoluto, anzi si andrà maggiormente aggravando.[1] Se invece si riuscisse, con un grande sforzo, a porre un sacerdote in ogni villaggio, avremmo presto molte vocazioni e si potrebbe risolvere una volta per sempre l'angoscioso problema; e chissà che non potessimo sperare di trarne anche dei missionari e riprendere con maggiori forze l'offensiva nel mondo pagano.

b) *Organizzazione*:

Mantenendo sempre l'organizzazione diocesana, si potrebbe — d'intesa con i Vescovi — dividere il territorio in diverse zone. Le più vicine alla sede episcopale resterebbero in mano dei sacerdoti diocesani, mentre le altre sarebbero affidate per un certo numero di anni (fin che la diocesi non avrà clero proprio sufficiente) agli Istituti Missionari, che ne assumerebbero la cura alle dipendenze del Vescovo, con

[1] Nel 1950 con 132 milioni di cattolici si ordinarono nei diversi Seminari dell'America Latina 620 sacerdoti. Oggi, con 170 milioni, vale a dire con un aumento del 30%, si ordinano 690 sacerdoti, vale a dire un aumento del 10%.

determinate facoltà (p. e. il Superiore potrebbe essere Vicario Foraneo), e magari anche con una certa libertà d'azione.

Dall'afflusso di missionari stranieri in America Latina ne verrebbero anche altri vantaggi, e cioè che il clero locale, vedendo l'esempio di sacerdoti più zelanti ed attivi, sarebbe naturalmente stimolato a seguirne l'esempio, ed apprenderebbe certe forme e metodi di apostolato che in molti di questi paesi sono ancora sconosciuti, ecc.

c) *Mezzi*:

Senza dubbio la realizzazione di un tale progetto richiederebbe molto danaro. Ma penso che la questione si potrebbe facilmente risolvere istituendo un'annua colletta mondiale per la preservazione della fede, allo stesso modo come si fa oggi una colletta mondiale per la propagazione della fede.

Si avrebbero così i mezzi:

1) per sostenere i missionari da mandare in luoghi finora completamente abbandonati e dove non troverebbero — almeno per un certo tempo — possibilità di sostentamento;

2) per costruire, dove mancano, chiese, canoniche, sale di catechismo, ecc.;

3) per erigere e sostenere delle scuole gratuite (o quasi) per i poveri. Nell'America Latina esistono, grazie a Dio, parecchie scuole cattoliche; ma sono generalmente delle scuole medie, e solo le classi ricche o agiate se ne avvantaggiano. Non potendo essere gratuite, la grande massa del popolo ci sfugge. Mancano soprattutto delle scuole elementari e delle scuole di arti e mestieri per i figli del popolo;

4) per sostenere dei gruppi di pionieri (scelti tra i missionari più attivi e zelanti) che si mettono a disposizione dei Vescovi per l'arduo lavoro di organizzare le nuove parrocchie nei territori che rimarranno affidati al clero diocesano. Essendo ivi assai scarsa la vita spirituale, e quindi scarse le entrate, e non essendovi spesso nemmeno la chiesa o la casa, sarà difficile trovare tra i sacerdoti locali chi voglia assumerne la cura. Se però un paio di missionari, pieni di zelo e sostenuti economicamente, si offrissero per fare il lavoro di dissodamento, costruire casa e chiesa, organizzare la vita spirituale, dar vita alle associazioni cattoliche, ecc. più facilmente si troverebbero dei sacerdoti diocesani disposti ad andarci. I pionieri allora passerebbero altrove per ricominciare il medesimo lavoro;

5) per dare dei sussidi ai sacerdoti diocesani che con eventuali smembramenti della loro parrocchia, non riuscissero a mettere insieme la « honesta substentatio ». Questo naturalmente per un certo

tempo: fintantochè, con l'aumento della vita spirituale nella parte rimanente, non potranno ritrarne il congruo sostentamento.

d) *Difficoltà e rimedi*:

L'attuazione di questo piano susciterebbe delle difficoltà, specialmente da parte dei sacerdoti locali, che vedrebbero diminuite le loro entrate, e forse anche da parte di alcuni Vescovi desiderosi di compiacere i loro preti, oppure che, abituati a vivere sempre in un ambiente di estrema miseria spirituale, non sanno nemmeno concepire che si possa stare meglio, o non ne sentono la necessità. In tali casi bisognerebbe non solo raccomandare, ma *comandare*. « A mali estremi estremi rimedi »!

Io sono convinto che con uno sforzo di questo genere in un paio di decenni si potrebbe facilmente raddoppiare il numero dei sacerdoti nell'America Latina, anzi triplicarlo col sostanziale aumento di vocazioni che ne verrebbe come naturale conseguenza dell'accresciuta assistenza spirituale ai fedeli. E forse non sarebbe lontano il giorno in cui l'America Latina potrebbe raggiungere l'autosufficienza, e magari aiutare l'Europa e l'America del Nord nel nobilissimo lavoro di evangelizzare il mondo pagano.

II. *Ritorno della « Chiesa Ortodossa » all'unità*

Quanto al ritorno degli « Ortodossi » alla Chiesa Cattolica, che sembra costituire uno dei principalissimi obiettivi del prossimo Concilio Ecumenico, mi permetto di fare solo un suggerimento pratico: erigere in Roma un Seminario per i giovani « Ortodossi » aspiranti al sacerdozio, perchè possano studiare nelle nostre Università.

Molti vantaggi, io credo, ne deriverebbero. Essendo, come si sa, assai scarsa la cultura degli « Ortodossi » e mancando di buone università teologiche proprie, i seminaristi più intelligenti, che saranno i Vescovi o dirigenti di domani, vanno spesso a studiare presso le Università protestanti e finiscono per perdere completamente la fede. Nelle nostre Università al contrario potrebbero formarsi una solida cultura teologica, convincersi della mancanza di fondamento del loro errore, liberarsi da tanti pregiudizi, vedere lo splendore della Chiesa Romana, familiarizzarsi con i nostri libri, di cui si servirebbero poi nella loro predicazione, stringere delle buone amicizie, e farsi i fautori di un sincero reale avvicinamento.

Si dovrebbe all'uopo costituire una specie di convitto, sotto la direzione di qualche Prelato romano, paterno e comprensivo, e la-

sciando loro la necessaria libertà per l'esercizio del loro culto, ammetterli ai nostri Istituti Superiori di Cultura. Bisognerebbe, naturalmente, dispensare dal can. 1406 § 1 n. 8, che prescrive la professione di fede cattolica per il conseguimento dei gradi accademici, perchè è chiaro che se i detti giovani studiano presso una Università, desiderano conseguire un titolo.

Di questo problema mi interessai durante il soggiorno che feci a Costantinopoli nel mio viaggio di ritorno da Budapest alla fine della guerra. Insieme con S. E. R. Mons. Pappalardo, che reggeva allora la Delegazione Apostolica in qualità di Incaricato di Affari, discutemmo a lungo il problema, ed il risultato del nostro studio fu un Rapporto, che redigemmo insieme, e che il detto prelato mandò alla S. C. per la Chiesa Orientale nel mese di maggio o giugno del 1945. Forse converebbe rileggerlo.

III. *Diversi punti di Dottrina*

Quanto alla dottrina, forse converrebbe nel futuro Concilio dire qualche cosa sul falso ed esagerato *concetto di libertà* oggi in voga nel mondo e che in certe parti (come p. e. in questi paesi) va suscitando una vera frenesia rivoluzionaria; sull'*indifferentismo* in materia religiosa, per cui si va diffondendo ogni giorno più l'idea che una religione vale l'altra; sullo *spiritismo,* che in certi paesi dell'America Latina fa strage, ecc.

Non so se gli argomenti su esposti possano essere materia del prossimo Concilio; ma mi son permesso di segnalarli, stante l'ampiezza della richiesta. Comunque vorrei pregare Vostra Eminenza di volerli prendere in considerazione, anche fuori del quadro del Concilio, soprattutto il primo argomento: situazione della Chiesa nell'America Latina. Credo anzi che questo argomento converrebbe trattarlo senza perdita di tempo, in vista dell'urgenza di correre ai ripari di fronte a un pericolo quanto mai minaccioso.

Chinato al bacio della Sacra Porpora mi confermo con sensi di profondissimo ossequio

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo e obbl.mo

✠ GENNARO VEROLINO
Arcivescovo tit. di Corinto
Nunzio Ap. in Costarica

4

Exc.mi P. D. ALFONSI HÖFER

Episcopi tit. Thebani in Phtiotide, Vicarii Ap. Limonensis (Limón)

Eminentissime Princeps,

Per Secretarium Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico recepi litteras Eminentiae Tuae, quibus rogatus, ut observationes et vota proponam, quae inservire possint ad praeparandum Concilium. En quaedam, quae utilia mihi videntur ad consequendum finem pro Concilio celebrando statutum. Propter brevitatem temporis haec tantum scripsi et compendiose, quae quidem largiore deliberatione et ampliore et minutiore singularum rerum exaratione indigent. Sed cum omni humilitate et sinceritate ea composui, quae propono prudentiae et iudicio Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae.

Deus benigne illuminet et adiuvet Eminentiam Tuam omnesque, qui studium et operam navant Concilio praeparando, quibus oratione et sacrificiis adesse promittit.

Eminentiae Tuae
humillimus et oboedientissimus

✠ Alfonsus Höfer, C. M.
Episcopus tit. Thebanus in Phtiotide
Vicarius Apostolicus Limonensis

Cum Concilii convocandi finis sit unio illa inter omnes baptizatos a Domino Nostro tantopere desiderata, omnia quae hic proponuntur, hunc respiciunt finem.

Catholicitas Ecclesiae Christi in omnibus magis eluceat.

Detur singulis populis maior libertas, ut suo modo Deum glorificent, servata unitate in necessariis et libertate in propriis.

Ne declaretur quidquam in Concilio aut dogmatizetur, quod Orientales aut Protestantes offendere vel irritare possit et ita novum unitatis esse obstaculum.

Commissiones instituantur ad praeparanda singula unionis momenta. Imprimis dentur directivae ad renovationem liturgicam continuandam et ad terminum optatum perducendam, ut et Orientales et Protestantes facilius iter, quod ad unitatem ducat, ingredi possint. Inter cetera multa memorare liceat haec:

— reformatio Breviarii, praesertim secundi Nocturni, necnon simplificatio Anni Liturgici pressius fiat;

— ad altaria et ecclesias consecrandas edatur formularium brevius;
— numerus benedictionum et consecrationum reservatarum restringatur;
— in ritu qui in sepeliendis christifidelibus adhibetur, et in Missa de Requie plus resurrectionis et glorificationis mentio fiat.

Polemicae quaedam definitiones, quas dedit Concilium Tridentinum contra Protestantes, ut fidei et Ecclesiae, acclarentur et maiore comprehensione formulentur.

Sacerdotium universale fidelium, quod Baptismate et Confirmatione constituitur, clarius relevetur ad consequentias eruendas de obligatione ad Actionem Catholicam necnon de iuribus et officiis laicorum in genere.

Contra Communismum debet defendi et respectari valor et libertas personae humanae; ex communistarum methodo discatur, quae christianis illisque sint propria, ut ipse spiritus communismi vinci possit.

Diaconatus ut status sui iuris, sine obligatione coelibatus neque ut gradus solum ad sacerdotium suscipiendum, renovetur.

In legislatione Codicis Iuris Canonici appareat plus revelatio divina quam leges positivae et humanae. Redoleat etiam in forma externa magis caritas materna Ecclesiae quam lex, praesertim in iure poenali.

Numerus censurarum restringatur, praesertim censurarum latae sententiae, eo fine, ut personalis Episcoporum interventio possit lenire processum et poenam.

Ne conserventur antiqua, sed cessante fine et vita, derogentur. Restringatur centralisatio et restituatur pristina Episcoporum auctoritas et potestas; minuatur numerus decretorum, quae potius adhortationes sint quam praescripta.

Vestimenta Praelatorum simplificentur:
— nec dentur tituli sine officio correspondente;
— nuntiorum residentiae simplicitate magis emineant quam amplitudine et repraesentationis specie;
— bona Ecclesiae ubique terrarum ne sint bona manus mortuae; certe ne negligantur, sed serviant ad glorificandum Deum et sublevandos pauperes.

Indulgentiae ad formam simpliciorem redigantur:
— et reliquiae accuratius examinentur et, quae scandalum excitare possint, retrahantur.

✠ ALFONSUS HÖFER, C. M.
Episcopus tit. Thebanus in Phtiotide
Vicarius Apostolicus Limonensis

CUBA

1

Exc.mi P. D. CAROLI RIU ANGLÉS
Episcopi Camagueyensis (Camagüey)

Camagüey, 25 abril 1960

Eminencia Reverendísima,

Tengo el honor de cumplimentar la reiterada invitación de V. Eminencia Reverendísima a presentar sugerencias, indicaciones etc. con destino al futuro Concilio Ecuménico, de conformidad con los deseos de Nuestro Santísimo Padre el Papa Juan XXIII.

Anexo a la presente acompaño un ejemplar de las cuatro sugerencias o puntos que humildemente someto al más ilustrado criterio de esa Venerable Comisión Antepreparatoria. Van redactadas en lengua latina, de acuerdo con las indicaciones recibidas.

Ruego a Vuestra Eminencia Reverendísima disculpe la demora en respuesta, pués, al principio, consideré que la encomienda correspondía a Prelados de más experiencia que el que suscribe.

Con mis mejores deseos y votos por su felicidad temporal y eterna, me suscribo

de V. Eminencia Rev.ma
ad.mo servidor en Cristo

✠ Carlos Riu Anglés
Obispo de Camagüey

1. Ordinum Religiosorum exemptionem quodammodo restringere, auctoritatem Episcopi in sua Dioecesi plusculum firmando.

2. Iuxta typicam Ritualis Romani editionem « sumptibus et typis Friderici Pustet, Anno Domini MCMXIII » apparet titulus « Benedictiones propriae nonnullorum Ordinum Regularium ». Desiderandum esset omnes sacerdotes gaudere eiisdem privilegiis.

3. Desiderandum foret ut iustis de causis, exempli gratia, ad munera apostolica melius obeunda, totius anni diebus recitari liceat Divinum Officium « de feria currenti », quemadmodum fieri solet tempore Quadragesimali, exceptis semper festis duplicibus primae classis.

4. Ut quilibet sacerdos dioecesanus, etsi obiter, de mandato Episcopi missionibus aeque ac Exercitiis Spiritualibus ad mentem S.ti Ignatii vel aliorum vitae spiritualis magistrorum dicatus, iisdem privilegiis fruatur, quibus missionarii religiosi uti consueverunt, commutandi nempe Divini Officii recitationem cum Deiparae Virginis Mariali Rosario aut qualibet alia praxi prescripta; necnon ipsis concedantur privilegia de altari portatili, votis privatis et occultis irregularitatibus solvendis, impedimentis matrimonialibus in foro sacramentali cognitis in quibus Ecclesia dispensare valet dispensandis, facultate etiam impertiendi benedictionem Papalem in fine contionum aut Exercitiorum, utique ac caeterae indulgentiae quae ab ipsis missionariis concedi solent.

✠ CAROLUS RIU ANGLÉS
Episcopus Camagueyensis

2

EXC.MI P. D. HENRICI PÉREZ SERANTES
Archiepiscopi S. Iacobi in Cuba (Santiago de Cuba)

Eminentia Reverendissima,

Uti signun obedientiae, potius quam capacitatis, quae sequuntur liceat mihi suggerere Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico.

I. Cooperatione apostolatus laicalis revera indigemus, praecipue in his regionibus Americae Latinae. Hic autem apostolatus, inter nos saltem caret debito robore et necessaria amplitudine, inter alias rationes quia deest unitas directionis et actionis. Ut haec tamen desiderata unitas actionis habeatur, necessarium duco ut sacerdotes utriusque cleri totis viribus huic labori impendant, ita ut quattuor brachia Actionis Catholicae in omnibus ecclesiis, etiam Religiosorum, existant, aut quam primum instituantur. Reliquae Associationes, etiam Congregationes Marianae laudabiliter, ne dicam necessario, adhaerere debent Actioni Catholicae. Necessarium denique est ut omnes scholae catholicae sint etiam scholae formationis futurorum membrorum ipsius Actionis Catholicae. Coeterum, nullibi postea poterunt edoceri pueri et puellae ut ardentes et capaces apostoli deveniant.

II. Intimior comprehensio inter sacerdotes utriusque cleri utilissima esset, praesertim si Religiosi, uti saepe accidit, etiam paroecias in Dioecesi regant. Immo censeo quod melius esset si Religiosi ecclesias non ha-

berent nisi paroeciales. Demum administratio in re oeconomica, sub directione Curiae Episcopalis, videtur esse maxime conveniens.

III. Quantum fieri possit, curari debet ut Seminaristarum formatio totalis, in omnibus nempe, non sit inferior formationi alumnorum religiosorum. Optandum enim est ut nemo possit unquam ne suspicare quidem sacerdotes dioecesanos, praecipue parochos inferioris gradus esse in comparatione cum Religiosis.

Feriae aestivae, seu maiores, ad minimum reduci deberent, et maximam partem temporis in communi ducere.

In Seminariis, quae a sacerdotibus saecularibus regantur, oportet ut magister spiritualis eiusdem cleri sit, et si neque in Dioecesi neque in regione inveniatur sacerdos ad tantum munus idoneum, requiratur ubicumque inveniatur.

Superiores omnes in Seminario degant, et tales vita et moribus sint, ut alunnos omnes ad pietatem trahant, exemplo suarum virtutum sacerdotalium; idem dicendum de professoribus.

IV. Data maxima penuria sacerdotum, quam patimur, nos episcopi Americae Latinae habere deberemus maiorem facilitatem arcendi sacerdotes ex Hispania aut aliunde. Uti exemplum penuriae sufficiat scire hanc Archidioecesim, in qua 2.000.000 circiter fidelium numerantur, non habere nisi 83 sacerdotes ministerio paroeciali dicatos; et non raro ex Opera Cooperationis Sacerdotalis, ne unum quidem posse recipere per annos ex Hispania.

Haec, quae mihi erant dicenda; quaestiones maioris momenti aliis.

Hanc nactus occasionem, omni quo par est obsequio, S. Purpuram deosculans, me profiteor

Eminentiae Vestrae
addictissimum

✠ HENRICUS PÉREZ SERANTES
Archiepiscopus S. Iacobi in Cuba

3

Exc.mi P. D. ALOYSII CENTOZ

Archiepiscopi tit. Edesseni in Osrhoëne, Nuntii Ap. in Cuba

La Habana, 10 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Ho avuto l'onore di ricevere l'ossequiato Dispaccio n. 1 C/59-1660, in data 10 luglio u. s., col quale Vostra Eminenza Reverendissima si compiaceva di rimettermi il testo della ven. Lettera Circolare che la stessa Eminenza Vostra ha poc'anzi inviato agli Ecc.mi Vescovi ed ai Prelati, che saranno i Padri del futuro Concilio Ecumenico.

Nel ringraziare vivamente Vostra Eminenza per il cortese invio della sullodata Lettera Circolare, mi sia lecito di manifestarle devotamente, senza indugio, che mi unisco di gran cuore ai voti ardenti ed alle fervide preghiere di tutta la Chiesa per il felice, e pieno successo dello storico avvenimento.

Per ciò che concerne il ven. ordine trasmessomi dalla benignità di Vostra Em.za che io esprima il mio umile pensiero o dia un suggerimento sugli argomenti indicati nella Circolare, stimo di non avere nulla (salvo forse che venga diminuita e ridotta l'*esenzione* di vari Ordini e Istituti religiosi nei riguardi degli Ecc.mi Vescovi, risultando in molti casi essere di detrimento più che di edificazione), che meriti di aggiungersi alle salutari proposte, ai sapienti, provvidi suggerimenti che verranno segnalati da dotti, santi Padri del Concilio.

Chino umilmente al bacio della Sacra Porpora, con sensi di profondissima venerazione, ho l'onore di confermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umil.mo dev.mo

✠ Luigi Centoz
Arcivescovo tit. di Edessa di Osroene
Nunzio Apostolico in Cuba

FOEDERATIO BRITANNICA CARAIBORUM

1

EXC.MI P. D. CAROLI A. H. J. GACHET

Episcopi Castriesensis (Castries)

20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratias ago quia ad me litteras misisti circa futurum Oecumenicum Concilium. Hanc responsionem tibi mitto cum omni reverentia ac submissione. Haec sunt desideria mea ac vota:

I. *Circa Missam*

a) Optabile esset ampliorem linguae vulgaris usum inducere in prima parte Missae (Missa Catechumenorum), praesertim in Collectis, Epistola et Evangelio.

b) In Missis cum cantu, liceat Celebranti ad sedilia permanere durante eadem prima parte Missae.

c) In iisdem Missis cum cantu, liceat fidelibus Hymnos populares in lingua vulgari cantare, post antiphonas ad Offertorium et ad Communionem.

II. *Circa Divinum Officium*

a) Optanda esset revisio Breviarii Romani, praesertim quoad lectiones ad Matutinum.

b) Liceat sacerdotibus in activo ministerio breviorem Officium recitare diebus Dominicis ac festivis de praecepto.

c) Optabile esset contractatum Breviarium in lingua vulgari inducere, ad usum fidelium, a Sancta Sede approbatum. Hoc modo, Horas Vespertinas et Completorium fideles utiliter recitare aut cantare possent diebus Dominicis ac festivis.

III. *Circa cantum gregorianum*

Simpliciores gregoriani moduli pro proprio de tempore et de sanctis desiderabiles essent ad usum Ecclesiarum parvarum.

IV. *Circa vestem clericalem*

Liceat sacerdotibus vestes laicales induere, si aliter vel transire ad loca suae curae commissa vel ibidem commode permanere seu ministerium perficere nequeant; attamen distinctio aliqua (e. g. « Roman Collar ») servetur.

V. *Circa Episcoporum vestes sacras et alia*

a) In regionibus torridis, liceat Episcopis vestire, in Missis ac Caeremoniis Pontificalibus, sicut simplices sacerdotes.

b) Optabile esset obligationem genuflectendi coram Episcopo in sua Dioecesi ultra non valere nisi in Liturgicis functionibus.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae cui fausta quaeque a Domino adprecor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Add.mus

✠ CAROLUS A. H. J. GACHET, F. M. I.
Episcopus Castriesensis

2

EXC.MI P. D. IOANNIS McELENEY
Episcopi Kingstonensis (Kingston)

Eminentissime Domine,

Certiorem reddere Eminentiam contendo de acceptis litteris Tuis circa Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico.

Concilio habito consultorum dioecesanorum sequentes quaestiones mihi videtur utiliter tractari poterunt.

I. *Circa res liturgicas*

In ditionibus nostris utiliter videretur ad pietatem fovendam et maiorem intelligentiam liturgiae si amplior usus linguae vernaculae a fidelibus permitti potest quoties ipsi in Missae celebratione participant. Mens nostra est quod, praeter Canonem Missae, ad prudentiam Ordinarii relinquantur iudicandi aliaque partes circa lingua vernacula recitari possunt. Quod ad hoc votum spectat includere velim recitationem Pater Noster.

Similiter in administratione aliorum Sacramentorum, ex. gr. Benedictio Nuptialis intra Missam, Improperia et similes petitiones in caeremoniis hebdomadae sacrae.

II. *De Clericis*

Ulterior simplificatio Breviarii Romani praesertim quod Matutinum spectat.

III. *De Processibus*

Processus iudicialis praesertim in casibus matrimonialibus frequenter in Missionibus magnis difficultatibus laborat. Videtur quod locum dat simplificationi in certis casibus, ita ut processus summarius adhiberi possit. Notare licet quod in Sinis per indultum permittitur ut tribunal trium iudicum considerare possit certos casus matrimoniales cum appellatione ad aliam dioecesim. Deinde ad Sanctam Sedem decisio transmittitur.

Vota haec humiliter afferens omni qua est reverentia me profiteor

tuum in Christo
✠ IOANNES McELENEY, S. I.
Episcopus Kingstonensis

3

EXC.MI P. D. PATRICII F. RYAN
Archiepiscopi Portus Hispaniae (Port of Spain)

Portu Hispaniae, die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Decisio Ss.mi Domini Ioannis XXIII ut Concilium Oecumenicum utiliter convocari possit correspondet periculo schismatum proveniente e spiritu nationalismi effrenati in toto mundo.

Unum argumentum mihi occurrit proponendum: scilicet necessitas stabiliendi contra-spiritum oecumenicum intra Ecclesiam ipsam.

Funesta tendentia enim enervandi nexum Sanctam Sedem inter ac Episcopos fovetur maxime a Principibus Novarum Nationum, ita ut radicatur in eorum mentibus desiderium trahendi Ecclesiam et Clerum intra ambitum stricte nationale ac ratiale. Clerus facile inficitur hoc spiritu nationalistico.

Magis intime intra Ecclesiam viget et crescit spiritus divisionis, ne

dicam antagonismi, clerum saecularem inter ac religiosum; inter diversos Ordines et Congregationes: ita ut enervetur luctatio Ecclesiae contra sectas Christianas et sub-Christianas.

Ordines et Congregationes Religiosae vivunt pro domo sua ita ut res suas rei transcendentali Ecclesiae praeponant, et Ordinarii difficultates experiuntur circa continuitatem servitii pastoralis.

Sine interna cohaesione et externa uniformitate — saltem in qualibet Natione seu Regione — rationis agendi, stabilitas Ecclesiae erit semper in periculo et vis Eius apostolatus attenuabitur.

Quae, omni quo par est obsequio, proponit Eminentiae Vestrae Reverendissimae,

Observantissimus in Domino

✠ PATRICIUS F. RYAN
Archiepiscopus Portus Hispaniae

4

EXC.MI P. D. ARNOLDI BOGHAERT
Episcopi Rosensis (Roseau)

14 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Prot. N. 1 C/59-1127 gratissime acceptis, humiliter vota quaedam communicare volumus, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent:

1. Doctrina: ut B. V. Mariam esse mediatricem omnium gratiarum dogmatice definiatur.

2. Liturgia: ut usus linguae vernaculae permittatur in partibus proprii et ordinarii Missae, necnon et in administratione Sacramentorum.

3. Disciplina cleri et populi christiani: ut in Codice Iuris Canonici leges incorporentur de institutionibus saecularibus et de Actione Catholica. Ut legislatio de habitu cleri, religiosorum et religiosarum simplificetur et praesenti tempori adaptetur.

Eminentiam Tuam Reverendissimam rogo ut meas devotionis ac reverentiae sensus accipias, dum maneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus in Domino

✠ ARNOLDUS BOGHAERT
Episcopus Rosensis

5

EXC.MI P. D. IUSTINI J. FIELD

Episcopi S. Georgii in Insula Grenada (Saint George's-Grenada)

April 11th., 1960

Your Eminence,

I regret very considerably that it should have been necessary to have asked me twice to send my suggestions for matters to be bealt with at the coming Oecumenical Council. I humbly crave Your Eminence's forgiveness.

It seemed to me however that I had little or nothing worth while to send as Your Eminence will clearly see by the enclosed document.

Indeed, I consider that wiser and more erudite Bishops are far better fitted for this delicate task than a poor simple Missionary Bishop such as I am. I feel sure that Your Eminence will fully understand and appreciate my hesitancy in sending anything when first asked to do so.

Asking your Blessing and prayers, I remain, Your Eminence,

Devotedly and respectfully yours in Our Lord

✠ IUSTIN J. FIELD, O. P.
Bishop of St. Georges in Grenada

* * *

Beatissime Pater,

Ad Pedes Vestros provolutus et cum omni humilitate peto ut in futuro Concilio Oecumenico possent tractari sequentia:

Doctrina:

1. *a*) de *natura et actione Hierarchiae in Ecclesia;*
   b) de *natura et actione laicorum in Ecclesia.*
2. De *Revisione Catechismi « Concilii Tridentini »*.

Disciplina:

1. De *habitu clericorum*: clerici habitu talari aut habitu « clergymans's suit » tegantur sed *numquam* habitu totaliter *civili etiam in tempore « vacationis »*.

2. Adhibeatur *Summa Theologica Sancti Thomae Aquinatis in Seminariis loco* librum qui vulgo vocantur *Manualia* in cursu Theologico.

Pedem Sanctitatis Vestrae deosculans,

devotissimus

✠ IUSTINUS J. FIELD, O. P.
Episcopus S. Georgii in Grenada

6

EXC.MI P. D. GULIELMI M. FITZGARALD
Episcopi tit. Zarnensis, Auxiliaris Portus Hispaniae

Die 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Quod attinet ad Prot. N. 1 C/59-2502 sequentia capita mihi videntur extare utilitatis pro Concilii Oecumenici argumentis apparandis:

1. Omnium Christianorum reunio sub auctoritate Romani Pontificis, et maxime eorum qui nobiscum participes sunt veri Missae Sacrificii necnon validitatis Sacramentorum, quamvis a nobis sint per schisma separati.

2. Concedere iis qui ad Divinum Officium obligantur facultatem illud recitandi lingua vulgari.

3. Crescentem discordiam cleros regulares inter et saeculares pro viribus cohibere, et inter eos vinculum sodalitatis fraternae conferruminare.

4. Definire vel ad minus deliquare munus et responsabilitatem cleri regularis quoad apostolatum.

5. Ad formam magis magisque simplicem redigere legislationem canonicam de re poenali — praesertim de censuris — et de impedimentis matrimonialibus.

Summae Venerationis sensus professus, subscribor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
Servus humillimus

✠ GULIELMUS M. FITZGERALD
Episcopus tit. Zarnensis
Auxiliaris Portus Hispaniae

GUATIMALA

1

Exc.mi P. D. MARIANI ROSSEL Y ARELLANO

Archiepiscopus Guatimalensis (Guatemala)

Qui responsum dedit una cum Conventu Episcopali Americae Centralis et Panamae (CEDAC).[1]

2

Exc.mi P. D. MICHAËLIS A. GARCIA Y ARÁUZ

Episcopi Ialapensis in Guatimala (Ialapa)

Ialapae, 25 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Missa iam responsione coniuncta ex parte Episcopatus Americae Centralis Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, mihi videbatur responsum particulare non esse necessarium.[2]

Attamen proponere etiam visum est mihi ut — tamquam quid practicum et aliquomodo necessarium — in futuro Concilio Oecumenico agatur de sacerdotibus qui a sua sancta vocatione sacerdotali, diversis rationibus, deficiunt ita ut pro eis solutiones decernantur.

Pergratum est mihi Vestrae Eminentiae gratias exhibere pro Vestra benevolentia et ex parte huius Dioecesis adhaesionem plenam pro omnibus quae Sancta Sedis de ipso Concilio Oecumenico disponat, ex quo Concilio tum regulae tum decreta, optima et efficientia in Sanctae Ecclesiae missione omnes speramus.

Ad multos annos Vestram Eminentiam Deus servet.

Vestrae Eminentiae addictissimus

✠ Michaël A. Garcia y Aráuz

Episcopus Ialapensis in Guatimala

---

[1] Cf. pp. 521-523.

[2] Cf. l. c.

3

Exc.mi P. D. LUDOVICI MANRESA FORMOSA
Episcopus Altensis (Quezaltenango)

Qui responsum dedit una cum Conventu Episcopali Americae Centralis et Panamae (CEDAC).[1]

4

Exc.mi P. D. CAELESTINI M. FERNÁNDEZ PÉREZ
Episcopi Sancti Marci in Guatimala (San Marcos)

Die 14 augusti 1959

Eminentissime Domine,

In responsione ad Tuum desiderium circa opinionem meam relate ad quaestiones varias in futuro Concilio Oecumenico tractandas, ita me habes:

1. Sacerdotes saeculares in genere, debent in communitate vivere, et hoc stricto, vel lato modo accepto.

2. In unaquaque dioecesi habeatur « Seminarium Minoritarum », ubi seminaristae post triennium theologicum, seu praeparationis doctrinalis, et sine vocatione ad sacerdotium, possint ad saeculum redire, et, vivendo in matrimonio, habeant facultatem docendi et praedicandi in determinato loco, pago aut municipio cum licentia expressa Episcopi, et cum facultate recipiendi elemosinas fidelium pro suo labore.

3. Celebratio Missae servetur sicuti stat cum obligatione recitandi per alium ministrum in diebus festis et quidem lingua vernacula, saltem omnia quae habentur ante offertorium.

4. In administratione Sacramentorum, semper conferantur in lingua vernacula Baptismus, Extrema Unctio et Matrimonium.

5. Officium Divinum pro clero abbrevietur ad modum paschale plus minusve.

6. Administratio Baptismi abbrevietur et formula « singulariter singulis » valeat tantum pro momento effusionis aquae.[2]

Addictissimus in Domino
✠ Caelestinus M. Fernández Pérez, O. F. M.
Episcopus Sancti Marci in Guatimala

---

[1] Cf. pp. 521-523.
[2] Cf. l. c.

5

EXC.MI P. D. ANGELICI MELOTTO
Episcopi Sololensis (Sololà)

Die 4 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Litterae Em.mi Card. Dominici Tardini anni elapsi nobis missae huc non pervenerunt. In responsione ad Litteras Exc. Vestrae, diei 21 martii huius anni, hae sunt animadversiones quae in Domino audemus manifestare tanquam vota pro prossimo Concilio Oecumenico:

1. *Quoad Doctrinam*:

Proclamatio Dogmatis B. V. M. Corredemptricis Generis Humani.

2. *Quoad Clerum*:

a) Aequa distributio mediorum oeconomicorum ita ut non existant Paroeciae quae dicuntur divites et aliae quae dicuntur pauperes.

b) Breviarium non sit tantum librum orationis sed etiam fons instructionis et praedicationis ac proinde, quando private recitatur possit in lingua vernacula fieri ut uniformiter et facilius utantur textibus Sacrae Scripturae et Sanctorum Patruum.

c) Propter reverentiam Verbi Domini et considerationem audientium, in suis sermonibus sacerdotes omnes, post studiosam praeparationem, in dictione sermonis, habeant ante oculos textum saltem schematice praeparatum.

3. *Quoad populum christianum*:

a) Urgere collaborationem populi christiani Catholici, nova et apta legislatione, ad oeconomice sustentandam Ecclesiam.

b) Participatio activa fidelium ad liturgiam. Illa pars Missae quae dicitur Catechumenorum et administratio Sacramentorum sint in lingua vernacula.

Excellentiae Tuae Reverendissimae
add.mus in Domino

✠ ANGELICUS MELOTTO
Episcopus Sololensis

6

Exc.mi P. D. RAIMUNDI M. MARTÍN

Episcopi Verae Pacis (Vera Paz)

Coban, 8 septembris 1959

Eminentia Reverendissima,

Magnum gaudium nobis attulit nuntius de Concilio Oecumenico celebraturo, pro cuius felici, Sanctae Ecclesiae Catholicae, immo vero omnibus populis, exitu et fructibus spiritualibus, preces una cum dioecesanis nostris, indesinenter effundimus in Spiritum Sanctum, Spiritum unitatis et pacis.

In conventu Sancti Salvatoris nuper habito omnium Episcoporum Americae Centralis, inter alia, variae suggerentiae, singulis propria manu signatae, Vestrae Eminentiae missae fuerunt.[1] Quapropter excusatum habebis me, ut alias seorsum mittam.

Nostris denique precibus non desinemus a Deo Eminentiae tuae quam plurima munera implorare, atque Tibi gratos animi sensus ostendimus Sacram Purpuram devote deosculantes

Eminentiae Tuae Rev.mae
Addictissimus in Domino

✠ Raimundus M. Martín, O. P.
Episcopus Verae Pacis

7

Exc.mi P. D. CONSTANTINI C. LUNA

Episcopi Zacapensis (Zacapa)

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras (Prot. N. 1 C-59-1492) Eminentiae Vestrae Reverendissimae, accipiens, perlegi ac consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium utens, magna cum diligentia consideravi.

Cum mihi, Deo adiuvante, firma voluntas adsit Ecclesiae Pontificique semper serviendi pleno corde, ea dicam « omni cum libertate et sinceritate » quae ad maiorem Dei gloriam necnon salutem animarum utilia videntur.

---

[1] Cf. pp. 521-523.

Istis in rebus exponendis valde mihi adiuvat experientia vitae missionalis in Sinis ac vitae pastoralis in America Centrali (Diocesi de Zacapa).

Omni ergo humilitate ac reverentia imbutus de doctrina, disciplina et de negotiis aliis, tractare fas mihi erit.

Doctrina

1. Valde optatur definitio doctrinae de B. Maria Virgini ut « Omnium Gratiarum Mediatrici ».

2. Aliquid definiatur de « coelibatu ecclesiastico » ...ut quaedam traditio apostolica et de eius necessitate ad sacerdotium. Sic erit contra errores illorum qui aliquibus in locis etiam publice de hoc « imprudenter loquuntur ».

Disciplina

1. Optatur ut aspirantes ad sacerdotium tantum post aetatis annum trigesimum ordinentur. Ponantur per aliquot tempus in paroeciis ubi adiuvent in labore apostolico et sic melius cognoscatur eorum indoles et inclinatio... Ipsi postea maiori cum prudentia sacerdotum amplecti poterunt.

2. Necessitas urget ut in seminariis magis detur tempus divinis scripturis... Protestantes enim Sacris Scripturis utentes, errores perplurimos seminant.

3. Ita divinum officium brevius sit et lectiones sint praesertim de Novo Testamento, ita ut unius anni tempore totum Novum Testamentum perlegatur.

4. Optatur ut omnes sacerdotes curam animarum habentes vivant in domo circa ecclesiam et numquam in domo parentum.

5. Optatur uniformitas ornamentorum episcoporum sive sint religiosi an non ... Diversitas ornamentorum (v. g.: coloris) confusionem generat.

6. Optatur ut habitus congregationum religiosarum feminarum temporibus modernis adaptetur ... ne aliquid contra nos adversarii dicant.

7. Optatur ut religiosi omnes magis ac magis sint sub auctoritate Ordinariorum praesertim quoad necessitatem in cura animarum ...

8. Ad maiorem participationem populi in sacra liturgia apparet necessitas introducendi linguam vernaculam in aliquibus partibus Missae et Sacramentorum.

9. Clericis prohibeatur participatio in vita « politica ». Certe intelligitur participatio activa et directa.

10. Optatur ut paulatim quidam ritus minoris momenti aboleantur ... Praesertim ... ambrosianus ...

Alia negotia

1. Optatur clara condemmatio « supernationalismi » et definitio iustitiae socialis internationalis. Nationes obligationem habent bona temporalia dividendi et permittendi « emigrationem » de una ad aliam regionem ... praesertim si populus superabundat (superpopolazione).

2. Optatur clara condemnatio doctrinae communistarum ... ita ut fideles videant errores magna cum claritate.

Ea sunt quae, Eminentiae Vestrae desideriis annuens, manifestare volui.

Et Deus salutem det Eminentiae Vestrae ita ut fructum istius laboris videre possit et omnia sint ad maiorem Ecclesiae gloriam.

Omni igitur cum reverentia fausta a Domino adprecans me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
add.mum

✠ Costantinus C. Luna
Episcopus Zacapensis

8

Rev.mi P. D. GABRIELIS VIÑAMATA CASTELSANGUÉ
Administratoris Ap. de El Petén (El Petén)

Ciudad Flores-Peten, 6 octobris 1959

Eminentissime Pater,

Magna cum laetitia accepi litteras 18 iunii 1959. Humiliter rogo ex S. E. benevolam veniam ob involuntariam in respondendo moram.

Pastoralis sollicitudo zelusque animarum, circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possunt sequentia mihi suggerunt:

I. *Doctrinae capita*

a) Regale Sacerdotium christifidelium: Quo sensu sunt et dici possunt Sacerdotes? ...

b) Formulae sacramentariae in relatione cum formulis a schismaticis adhibitis eorumque valor pro praxi.

c) Essentia peccati originalis.

d) Recensio praecepti de Confessione et Communione Paschali.

e) Missalis et Breviarii Romani recensio maxime quoad partem historicam Lectionum in Nocturnis.

II. *Disciplina cleri*

a) Reductio ad laicalem statum, breviario et caelibatus lege dispensatis, pro Presbyteris mala exempla dantibus, v. g. publicis concubinariis etc ...

b) Iurisdictio matrimonialis plena sine restrictione pro quovis Sacerdote approbato intra suae Dioeceseos limites.

c) Utrum opportunum sit supprimere stipendia paroecialia, imponendo populo vel sustentandi suos Sacerdotes vel omnibus necessitatibus paroeciae occurrendi.

d) Supprimere Ordines sive Congregationes religiosas *exemptas* cuiusvis generis et sexus, Ordinariorum auctoritate aucta et consolidata.

III. *Sacra Liturgia*

a) Pars doctrinalis Sanctae Missae exarata lingua vernacula ... Pars sacrificalis in lingua latina.

b) Videtur opportunum et necessarium pro hodierna praxi pastorali administrare omnia Sacramenta linguis vernaculis.

c) Aliqua circa Actionem Catholicam fortasse in Codice Iuris Canonici includi possint.

Haec omnia enucleare diligenter et humiliter exponere mihi visum fuit.

Impensos animi sensus ex corde profiteor

Paternitati Tuae Eminentissimae
addictissimus

GABRIEL VIÑAMATA CASTELSANGUÉ
Administrator Apostolicus de El Petén

9

EXC.MI P. D. AMBROSII MARCHIONI

Nuntii Ap. in Guatimala et in S. Salvatore

Guatemala, 14 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Innanzi tutto vorrei pregarla di scusare il ritardo con cui rispondo al venerato foglio del 10 luglio 1959, N. 1 C/58-1661, con il quale l'Eminenza Vostra Reverendissima si degnò invitarmi a manifestare la mia umile opinione in vista dell'annunziato e provvidenziale Concilio Ecumenico.

Come l'Eminenza Vostra ben sa, giunsi qui nel settembre e questi primi mesi sono stati densissimi di lavoro nelle due Repubbliche a me confidate dalla bontà del Santo Padre.

Poichè la Circolare diceva che la risposta doveva essere inviata non oltre il 15 settembre (data in cui non ancora avevo assunto le mie funzioni), credetti che non mi fosse più lecito esprimere qualche mia modesta idea.

Lo faccio, dunque, ora, con il massimo rispetto, con profonda e filiale devozione alla Santa Sede e con umile franchezza.

È fuor di dubbio che l'età moderna (e quella che si sta preparando — con il rivolgimento ideologico, sociale, tecnico, militare in atto — per l'avvenire) pone alla Chiesa problemi nuovi che essa deve risolvere per cristianizzare o ricristianizzare tutta la società.

Inoltre, fermi restando — è superfluo dirlo — i fondamenti dottrinali, teologici, morali, ascetici della Chiesa, forse si dovrebbe pensare ad aggiornare non poche regole disciplinari che o sono cadute in disuso o non sono più praticamente efficaci.

Le nuove generazioni dei fedeli — ed anche e soprattutto — del clero sono infatti pervase di un senso di insofferenza ed indifferenza che, se non arginato a tempo, potrebbe condurre a qualcosa di molto grave, come esperienze recenti lo confermano.

Pertanto; Il Concilio Ecumenico dovrebbe studiare ed indicare:

1) quali siano i metodi più idonei — ed inerenti alla realtà — perchè la missione e l'influsso salvifico della Chiesa pervengano a tutti i ceti sociali;

2) quale sia il chiaro pensiero della Chiesa verso quelle scoperte scentifiche (le cui premesse si stanno ponendo ora e da cui non si sa quali e quante conseguenze scaturiranno) che potranno incidere sulla

tradizionale formulazione della Teologia e della Filosofia, con pericolo di sbandamenti intellettuali e di confusionismi nello stesso clero, zelante ma non preparato a questioni nuove e difficili;

3) quale sia la condotta (nell'ordine dei contatti intellettuali e pratici) da tenere verso i cristiani separati;

4) se debba ancora professarsi la stessa dottrina, avuta finora, dei rapporti tra Chiesa e Stato; o se tale dottrina debba essere modificata in parte;

5) Problema delle Vocazioni. La necessità dei sacerdoti si fa sempre più sentire, in quanto diminuiscono le vocazioni ed aumentano i posti di lavoro. Come, con quali mezzi si potrà far fronte a questa duplice realtà? La causa, pressochè unica del deficente sviluppo vocazionale, è il grande scoglio della castità che, in questi paesi, assume aspetti che rasentano l'impossibilità fisica.

Questa è la dolorosa realtà e verità, anche se si vuole occultare o sorvolare.

La risposta è data da coloro (una maggioranza) che pur ordinati sacerdoti secolari e con notevole spirito di fede, di apostolato, di zelo, non osservano il voto emesso. Di questi, una minima parte — e non sempre la peggiore — tenta un nuovo cammino; gli altri seguono la loro vita.

Più di un Vescovo e vari Religiosi esemplari mi hanno parlato cin accoramento di questo gravissimo problema e desidererebbero che per alcuni casi — dove nessuna legge umana, nessuna forza umana, nessuna pressione umana o spirituale protrebbe costringere i fuorviati a ritornare sul retto cammino — si potesse concedere la dispensa.

Se, in questi Paesi (ed altri che ho conosciuto), si volesse procedere ad apicem iuris e seguire l'esempio delle Diocesi Europee, i Vescovi, in poco tempo, sarebbero privati dell'opera di moltissimi sacerdoti. Ed il clero è scarsissimo.

Un altra dolorosa constatazione è la seguente: il popolo si meraviglia poco o niente se il tale o tal'altro sacerdote non è casto. Anche perchè crede impossibile la pratica della castità per tutti, sacerdoti compresi.

Il mio modestissimo parere è il seguente:

a) essere rigorosi nella formazione dei seminaristi e nel conferimento delle SS. Ordinazioni;

b) spostare il limite minimo della stessa Ordinazione a 28-30 anni;

c) dare anni di attesa, adibirli ad opere di apostolato che sarà un mezzo idoneo per mettere a prova la loro vocazione;

d) dare ai seminaristi una formazione più sostanziale e non insistere su aspetti che, presto o tardi, cadranno inesorabilmente. Cioè non dare a tutti gli aspetti formativi un valore uguale; ma distinguere le cose essenziali da quelle accidentali sebbene convenienti;

e) appena ordinati, non inviarli subito a reggere Parrocchie, ma seguire il loro primo libero contatto con il mondo esterno, sotto la guida e vigilanza del Vescovo.

Si dirà che ciò è impossibile, per la scarzezza del clero ecc. Ma allora si ricadrà in tutti i pericoli ed in tutti i lamentevoli inconvenienti sopraddetti.

6) Un autro problema riguardante il clero, e che il clero sente profondamente, è il dominio assoluto (e talvolta dispotico) dei Vescovi che si credono superiori ad ogni legge.

Il Sacerdote deve godere di una maggiore protezione giuridica ai fini di una migliore osservanza della disciplina ecclesiastica. Perchè, se egli si persuade di essere solamente oggetto dell'arbitrio del Vescovo, lo spirito della disciplina declinerà e sarà sostituito dall'ipocrisia (cosa abituale) che a poco a poco genera la ribellione, occulta od aperta.

Se l'obbedienza del sacerdote deve fondarsi su motivi soprannaturali, eguali motivi devono guidare il comando dei Superiori. Purtroppo, la natura umana è sempre presente ed operante sia nei Sacerdoti come nei Superiori, perciò anche questi ultimi hanno bisogno di un controllo e di un freno (e non solo morale).

Eguale problema — lo dico con il massimo rispetto — si pone per la Curia Romana a proposito di promozioni che spesso suscitano acerbissime e generali critiche per la diversità del criterio valutativo con cui vengono fatte e per la « acceptio personarum » da cui — si dice — siano ispirate.

Ciò incide — a torto od a ragione — sul sereno spirito ecclesiastico che si tramuta in banale affanno carrieristico.

7) Un'ultima considerazione mi viene dettata dall'esperienza.

È necessario escogitare un modo, una formula perchè i Vescovi siano *realmente* più soggetti ed obbedienti alla S. Sede; altrimenti tutto si ridurrà, come più o meno si riduce ora — almeno in alcune Nazioni — ad un semplice e vuoto rispetto verbale.

Chinato al bacio della Sacra Porpora con i sensi del priù profondo ossequio ho l'onore di confermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umil.mo, dev.mo ed obbl.mo servitore
Nunzio Apostolico nel Guatemala e in S. Salvador
AMBROGIO MARCHIONI

10

Exc.mi P. D. RAPHAËLIS GONZÁLEZ ESTRADA

Episcopi tit. Matregensis, Auxiliaris Guatimalensis

E Civitate Guatimalensi, 27 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi fuit accipere venerabilem invitationem Tuae Eminentiae, Prot. N. 1 C/59, ad opinionem meam mittendam de rebus quae tractandae sunt in proximo Concilio Oecumenico.

Praeter ea quae Episcopi Americae Centralis dicendi sunt, hanc rem maximi momenti, mea humillima opinione, propono:

Officium Divinum convenienter reducatur propter magnitudinem laboris apostolici, qui de die in diem augere valde videtur, ita multae animae sacerdotales pacem tranquillitatemque accipient.

Deprecor ut Deus Omnipotens concedat Sancto Concilio finalitates quae in mente sunt.

Interim remaneo Eminentiae Tuae add.mus in Christo

✠ Raphaël González Estrada
Episcopus tit. Matregensis
Auxiliaris Guatimalensis

11

Exc.mi P. D. MARII CASARIEGO

Episcopi tit. Pudentianensis, Auxiliaris Guatimalensis

Guatimalae, die 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est significare Eminentiae Tuae Rev.mae, litteras a Te datas (Prot. 1 C/59-2293) accepisse.

Toto corde et animo plaudo dispositionem a Ss.mo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. die 17 maii 1959, in festo Pentecostes, sancitam, nempe: Concilium Oecumenicum quam citius convocare « ad fidei catholicae incrementum, ad salutarem populi christiani morum renovationem, nec non ad disciplinam ecclesiasticam nostrorum temporum necessitatibus adaptandam » (Enc. *Ad Petri Cathedram*).

Desiderio Eminentiae Tuae Rev.mae satisfacere cupiens, audito antea consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium, Pontificiae istius Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico cui praees, sequentia vota examini submitto, prout pastoralis mea sollicitudo, in hoc Americae Centralis Isthmo, suggerit.[1]

1. *Valde Ecclesiae causae prodesset introductio in omnibus Seminariis cursus theologiae pastoralis post ordinationem sacerdotalem.*

Ad meliorem cleri tum saecularis cum regularis obtinendam, propono ut dispositio, iam in aliquibus Italiae dioecesibus invecta et a S. Congregatione de Religiosis in Statutis generalibus die 7 iulii 1956 sancita, qua « cursu theologico semel confecto, alumni exercendi sunt, saltem per integrum annum, speciali tirocinio, quo perdurante, sub peritorum magistrorum disciplina, dum intensius virtutibus sacerdotalibus necnon moderate apostolatui vacant, theologiae pastorali studio et praxi, incumbant » (art. 48, 1), ad universam Ecclesiam extendatur.

2. *Longe maior pars fidelium melius in spiritu attenderetur, si ecclesiae religiosorum, praecipue in civitatibus, in paroecias converterentur.*

Debetur serio cogitare de conversione omnium, vel saltem multarum ecclesiarum religiosorum in paroecias.

Nam ex regimine in nostris nationibus generatim imperante accidit ut magna pars fidelium plene derelicta in spiritu versetur, etiam in hora mortis, eo quod parochi incapaces sunt pro tanto labore eis concredito.

In civitatibus Americae centralis habentur in dies maiores manipuli religiosorum, qui certe bene se impendunt pro animabus in propriis ecclesiis, diversa ministeria laudabiliter exercendo, sed de cura animarum, saltem in aliquibus formis, et quidem necessariis non adeo solliciti sunt, eo quod iure non obligentur.

Ideo facile apparet meliorem omnino futuram sortem multorum fidelium si paroeciae, nimis nunc extensae, magis dividerentur, ita ut multi religiosi destinarentur curae animarum ex obligatione eis veniente e conditione paroeciae.

3. *De instituendo statu speciali laicorum pro maiori fidelium instructione et pro aliquibus caeremoniis et ritibus religiosis.*

Ex hodiernis contingentibus, tale est augmentum incolarum in nostris his nationibus, ut statim appareat progressum necessarium sacerdotum, numquam proportionem habiturum cum progressu incolarum. Quanta vero sit extrema necessitas nostrorum fidelium nemo est qui non videat.

Ut huic necessitati saltem ex parte occurramus, posset institui in Ecclesia status aliquis saecularium, cui etiam matrimonio iuncti pertinere

---

[1] Cf. pp. 521-523.

possent, qui, post debitam praeparationem, exercerent munera instructionis religiosae et aliquorum actuum cultus.

Secus in multis oppidis plurimi fideles invenirentur qui nonnisi in paucis occasionibus anni sacerdotem viderent.

Hi saeculares possent, in aliquibus occasionibus et circumstantiis, sacerdotis laborem supplere et fidelium religioni optimo subsidio esse. Deberent, ut patet, speciali Ecclesiae auctoritate induti apparere, quam temporaliter possiderent, dum eorum vita vere exemplaris constaret.

4. *Reprobanda videtur methodus ab aliquibus Ordinariis adhibita cum illis qui vitam religiosam relinquunt.*

Non agitur de incardinandis illis religiosis sed de officiis quae illis committi possunt. Videtur enim dedecere ut munera eis dentur, etiam paroecialia iuxta domum religiosam quam reliquerunt, immo eis dando eandem paroeciam quam religiosi relinquere debuerunt.

5. *Sacrae Communionis receptio, quacumque vesperis hora, primis feriis sextis et primis sabbatis, valde conferret ad fidelium pietatem.*

Ad fidelium pietatem fovendam ac eorum devotionem erga SS. Corda Iesu et Mariae magis ac magis augendam, postulo ut primis feriis sextis et primis sabbatis cuiusque mensis, permittatur, vespere, sive infra Missam, sive extra Missam, sacrae Communionis receptio.

6. *Proponitur sollemnis proclamatio privilegii Mariae SS. ut « Mediatricis gratiarum omnium » ad filialem erga Dei hominumque Matrem fovendam.*

Inter tot advocationes, quibus Dei Ecclesia ad Ss.mam Virginem Mariam colendam utitur, illa merito adscribitur « Omnium gratiarum Mediatricem » a Deo constitutam esse. Quae advocatio Missam ac Officium proprium iam obtinet pro aliquibus locis et Communitatibus.

Propono ut haec advocatio, quae totius christianitatis vota exprimit necnon filialem fiduciam erga Dei Matrem, a Domino nostro Iesu Christo iam morituro in Matrem quoque nostram constitutam, mirifice favet, sollemniter definiatur ut fidei dogma, ab omnibus profitendum ac colendum.

Faxit Deus ut vota quae antecedunt ad Ecclesiae Dei proventum et animarum bonum conferant.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae add.mus
✠ MARIUS CASARIEGO
Episcopus tit. Pudentianensis
Auxiliaris Guatimalensis

12

Exc.mi P. D. HUMBERTI LARA MEJIA

Episcopi tit. Trajanopolitani in Phrygia, Auxiliaris Verae Pacis

Cobán 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratissimo animo res et argumenta Commissioni Pontificiae Pro Concilio Oecumenico, mihi liceat proponere:[1]

1. Maxime unitatem propugnare oportet, haec autem unitas in ipsa Ecclesia latina excellens debet fulgur praebere, *ideoque proponitur ut in ritibus, caeremoniis et officio, kalendarium romanum, ritus romani et caeremoniae romanae observentur; etiam religiosi Ordines, haec omnia observent.*

2. Nulla mutatio in disciplina ecclesiastici caelibatus, sed hic titulus nobilitatis et gloriae et decoris Sacerdotum integerrime sustineatur; attamen requiritur practica solutio pro clericis concubinariis et prolem habentibus; et ut angustia Episcoporum et scandala minuantur, processus saecularizationis facilius et celerius absolvantur.

3. Ut taedium admoveatur et decus fulgeat, praesertim in magno fidelium concursu, caeremoniae in Baptismi administratione etiamque Extremae Unctionis, minuantur.

4. Quoad Nuntios, ut eorum missio utilissima sit et difficultates cum Ordinariis dimoveantur, maxime urget clara et specifica legislatio, nam haec quaestio modo resumpto et vago in Codice persolvitur.

5. Sed si unitas in kalendario et ritibus et caeremoniis desideratur in Ecclesia latina, instantissime in Missae celebratione exoptatur.

✠ Humbertus Lara Mejia
Episcopus tit. Traianopolitanus
Auxiliaris Verae Pacis in Phrigia

[1] Cf. pp. 521-523.

HAITI

1

Exc.mi P. D. ALBERTI F. COUSINEAU
Episcopi Capitis Haitiani (Cap. Haïtien)

E Capite Haitiano, die 25 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Animo libenti prolixoque Tuae epistulae quam 18 iunii 1959 dederas respondere festino (cf. prot. N. 1 C-59-306), Eminentiae Tuae Reverendissimae maximam gratiam habens pro honore episcopo Capitis Haitiani sic praestato.

I. *Dioecesis conditiones*

Paucis verbis, ita sunt dioecesis nostrae conditiones:

— Rustica, ignorans et pauperrima est plebs Nostra, cuius octogesima pars Baptismum in Ecclesia Catholica recepit.

— Quattuor principalia impedimenta adsunt quae catholicorum missionariorum laboribus obstant:

1. *Superstitio,* sic dicta « Le Vaudouisme », valde sparsa est. Haec est religiosus et « folkloricus » syncretismus ex Africa proveniens. Haitiani plures unum Deum, bonum et omnipotentem, honorant et insimul spiritibus inferioribus cultus adhibent, in quibus cultus depravati sanctorum plurium, imprimis Beatae Mariae Virginis, miscentur.

2. Occulta associatio, sic dicta *La Franc-Maçonnerie,* bene organisata est, particulariter in civitatibus. Tamen huius convictus membra aequaliter Ecclesiae membra se aestimant et parum religioni catholicae hostiles sunt.

3. *Morum corruptela* magna est. Paucissimi sacramentum matrimonii receperunt. Ob nimiam paupertatem nuptiale convivium parare non potuerunt quod fallaciter necessarium credunt. Consequenter pueri pro octogesima parte spurii sunt.

4. *Protestantismus* per totas nostras regiones pervadit. Sectae diversae ecclesias, scholas, nosocomia aliaque gratuita rerum diribitoria multiplicant ubi pauperes admittuntur et adiuvantur.

II. *Vota Nostra*

A) *Quoad Ecclesiam in Haitianis dioecesibus*:

Ut dioeceses nostrae, quamvis ex solemni Conventione inter Sanctam Sedem et Haitianam Rempublicam constitutae sint, *in praxi* tamen, ob conditiones materiales miserrimas, ut missionaria territoria habeantur quae in dicione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sint, cum omnibus privilegiis inhaerentibus.

B) *Quoad universalem Ecclesiam*:

Sequentibus votis iam a multis sacerdotibus fidelibusque optatis pleno obsequio faveo tamquam Ecclesiae animarumque bono profuturis:

1. Ut in prima parte Missae lectiones (Epistula et Evangelium) exclusive in lingua vernacula pronuntientur.

2. Simili modo, valde utilis esset inductio cantus popularis, lingua vulgari, in sacris etiam sollemnibus.

3. Ut concedatur sacramentalis et sacrificalis concelebratio Missae de qua agit can. 803, quotiescumque plures sacerdotes in unum locum congregantur (presertim in religiosorum conventibus), quando bonum vel copia fidelium non exigit missarum multiplicationem, unoquoque sacerdote con-celebrante suum stipendium Missae recipiente.

4. Ut in diversis nationibus Ritualia bilinguia, immo trilinguia, multiplicentur. Fideles enim uberiores fructus e sacramentorum gratia haurient quo magis eorum liturgica prece illuminabitur.

5. Ut clerici Breviarium romanum lingua vernacula privatim recitare possint.

6. Ut Breviarii romani reformatio persequatur ad mentem Eminentiae Suae Cardinalis Iacobi Lercaro, Archiepiscopi Bononiensis, iuxta relationem factam in primo Congressu Internationali Liturgiae Pastoralis Assisii-Romae, diebus 18-22 septembris 1956 (cf. *Ephemerides Liturgicae* 70 - 1956, 445-446; *La Maison-Dieu* nn. 47-48 - 1956, 299-319).

7. Ut clerici et religiosi vestem talarem tantummodo intra ecclesias, domos clericales vel religiosas deferant et, extra illa domicilia decentem habitum cum collo romano induant.

8. Ut sit melior distributio sacerdotum inter diversas dioeceses tam in regionibus christianis quam in territoriis missionariis.

9. Ut clerici tam regulares quam dioecesani sub auctoritate Episcopi ad bonum fidelium dioecesis uno animo cooperentur.

10. Ut ordines minores et diaconatus tamquam officia ecclesiastica independentia instituantur laicis vel clericis probatae vitae tribuenda.

11. Ut stabile calendarium, sic dictum « Hebdomadarum calendarium » (cf. Questions Liturgiques et Paroissiales 36 - 1955, 250-253); favorabiliter consideretur.

12. Ut nomen Sancti Ioseph, Beatae Virginis Sponsi et Ecclesiae Universalis Patroni, intra Confiteor et canonem Missae introducatur.

Talia sunt vota quae Tecum communico in pleno obsequio erga actualem ecclesiasticam disciplinam.

Interim impensos aestimationis meae sensus Tibi obtestor, Manus Tuas humillime deosculans, meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimum in Domino
✠ ALBERTUS F. COUSINEAU, C. S. C.
Episcopus Capitis Haitiani

2

EXC.MI P. D. IOANNIS A. COLLIGNON
Episcopi Caiesensis (Les Cayes)

Le 21 octobre 1936

Eminence Révérendissime,

De retour aux Cayes après une absence de trois mois il me fait plaisir de vous transmettre les quelques suggestions en vue du prochain Concile Oecuménique.

Il va sans dire que le clergé, les communautés religieuses et les fidèles de ce diocèse ne manqueront pas de joindre leurs prières à celles de tous les catholiques du monde entier pour implorer du bon Dieu les Lumières sur ce grand évènement de l'Eglise Catholique.

Et d'une façon particulière, ils demanderont à Dieu de bénir les efforts de notre Très Saint Père le Pape, de votre Eminence Révérendissime et de tous vos collaborateurs pour le plus grand succès dans la préparation du Concile.

Veuillez agréer, Eminence Révérendissime, l'expression de mes sentiments religieux en N.-S. et M. I.

✠ JEAN L. COLLIGNON, O. M. C.
Evêque des Cayes

1. *De re theologica*

Doctrina de Mediatione universali B. M. V. nonne altius investigari et clarius exponi potest, quam hucusque factum est? Haec enim doctrina videtur satis complexa, et nondum matura ad definitionem dogmaticam. Ad festum liturgicum B. M. V. Mediatricis quod attinet, forsitan tempus iam opportunum adsit, quo ad Universalem Ecclesiam hoc festum extendatur.

2. *De re disciplinari*

a) *De Missa sollemni pontificali.*

In regionibus praesertim calidioribus, Episcopo valde incommodum est tot paramentis per horam et amplius indutum manere. Tunicella et dalmatica, exempli gratia, minus necessariae videntur. Quaeritur itaque nonne possint deinceps simpliciter omitti, aut saltem aliquod symbolum iisdem substitui possit.

b) *De relationibus scriptis ad Sanctam Sedem mittendis.*

Nonnullae sunt nationes (verbi gratia ditio Haitiana) quae a Sacra Congregatione de Propaganda Fide nullatenus dependent, reapse autem manent loci Missionum. Formulae vero quae a S. Congregatione Consistoriali ad episcopos mitti solent (praecipue quaestionum elenchi, quibus respondendum est) Ecclesiam supponunt iam perfecte plantatam et constitutam. Desideratur ergo alterum schema quaestionum et formularum, his nationibus accommodatum, etsi iuridice Missiones non sint, de facto tamen sunt.

c) *Ad eadem loca* (scilicet Missionum de facto, non de iure) extendi possent pleraque privilegia favoresque, Missionum locis proprie dictis concessa, ex. gr. ut quivis sacerdos ministerio paroeciali vel quasi paroeciali addictus, Sacramentum Confirmationis in suo territorio saltem moribundis conferre valeat. Sunt enim nonnullae paroeciae ingentes et quoad territorium et quoad numerum baptizatorum.

d) *Protestantes,* in America meridionali et centrali (non excepta ditione Haitiana) plurimos cotidie catholicos ad suam fidem convertere, vel potius pervertere, nemo est qui nesciat. Ad hoc impedimentum, plura media a C.E.L.A.M. proposita sunt, v. g. emissiones radiophonicae, nosocomia, etc. At pecuniae ad haec necessariae, ubinam invenientur? In ipsa dioecesi inveniri nequeunt, plerumque saltem. Quaeritur nonne sit aliquid a Sancta Sede sperandum?

e) *De Officio Divino.* In voto multorum sacerdotum est ut totum Breviarium (aut saltem lectiones) in privata recitatione legere liceat lingua vernacula. Quod votum Nobis rationabile videtur.

f) *De aetate qua Sacramentum Confirmationis conferendum sit,* maior desideratur uniformitas. Confirmatio quidem, posset conferri, aut paulo ante usum rationis (anno quinto vel sexto) aut paulo ante primam Communionem (anno septimo aut octavo in hac dioecesi) aut paulo post primam Communionem (anno nono vel decimo).

In primo casu, nulla esset praeparatio necessaria.

In secundo casu, valde difficilis erit praeparatio ex. gr. ad Confessionem sacramentalem Confirmationi praeviam, saltem in locis ubi deest copia sacerdotum. Neque omnes episcopi quotannis totam dioecesim perlustrare valent ad Confirmationem conferendam.

In tertio casu, nulla specialis apparet difficultas.

✠ IOANNES A. COLLIGNON
Episcopus Caiesensis

3

EXC.MI P. D. PAULI S. I. M. ROBERT
Episcopi Gonayvesensis (Les Gonaïves)

Gonaïves, le 8 avril 1960

Eminentissime Seigneur,

L'évêque des Gonaives (Haiti) s'excuse humblement de n'avoir pas répondu à la lettre du 18 juin 1959 par la quelle l'Eminentissime Président de la Commission Pontificale Antepréparatoire pour le Concile Œcuménique demandait des suggestions sur les sujets à traiter par l'Assemblée Conciliaire.

Certes, il s'est profondément réjoui de l'heureuse décision du Souverain Pontife de convoquer le Concile; il prie et fait prier pour que le Seigneur comble de bénédictions cet important évènement; il en espère un profond renouvellement pour l'Eglise et souhaite qu'il soit une étape sérieuse sur le chemin de l'Unité, s'il ne réussit pas à l'établir tout à fait.

Mais il n'a pas cru nécessaire de mêler sa pauvre voix à celle d'éminents hommes d'Eglise, docteurs et juristes, qui connaissent infiniment mieux que lui les problèmes que confronte l'Eglise.

Sur l'insistance qui lui est faite, tenant compte de son expérience missionnaire, il ose suggérer que soit étudié et mis au point le problème doctrinal et pastoral posé en Amérique Latine par le « syncrétisme » qui existe trop souvent dans les populations catholiques de descendance africaine, ... et sans doute aussi indienne.

Une fausse conception de la religion chrétienne en est résultée qui admet comme normal ce « syncrétisme », tout en déniant à l'Eglise le droit d'en connaître.

In en résulte que la foi est certainement en danger quant à sa pureté et son intégrité, quand il y a encore une part de foi chrétienne.

Mais peut-être que ce problème est trop local pour intéresser une Assemblée Conciliaire.

Ceci dit, l'évêque des Gonaives renouvelle ses souhaits de succès pour le prochain Concile, et se fait une joie de redire son union et sa soumission au Saint Siège.

✠ PAUL S. I. M. ROBERT
Evêque des Gonaives

4

EXC.MI P. D. FRANCISCI POIRIER

Archiepiscopi Portus-Principis (Port-au-Prince)

25 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Anno superiore, die duodevicesima iunii, ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico animadversiones, consilia et vota mea particularia « de rebus et argumentis » quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent », quam primum mittere me rogabas.

Hactenus non iudicavi utile Tibi respondere, cum nihil novi aut ponderis communicare possem, et addere decet tempus et vires me defecisse pro tali labore quia menses tres in nosocomiis permansi. Rogo ergo Eminentiam Tuam habere me excusatum.

Cum attamen, Summi Pontificis voti interpres, insistere dignatus es, per secretarium tuum ut mittam responsionem meam ad Commissionem cui praees, illam quamvis levem et imperfectam in paginis annexis Tibi exhibeo.

Dignare, eminentissime Domine, peculiarem meam observantiam erga Te accipere simul ac obsequium fervidarum precum quas fundo apud Dominum ut valetudinem Tibi reddat.

Eminentiae Tuae humillimum servum me profiteor

✠ FRANCISCUS POIRIER
Archiepiscopus Portus-Principis

PARS DOGMATICA

I. *De hominis relatione ad Deum*

Magis ac magis crescit difficultas non solum firmiter credendi sed saepe etiam considerandi et retinendi utpote seria attentione dignum problema fidei christianae. Apud multos enim — et hoc est grave periculum pro nostra sancta religione — opinio praevalet quod omnes religiones sunt aequaliter falsae, inutiles ac nocivae. Si quaedam beneficia praebent hoc accidit vel olim factum est occasionaliter et transitorie. Quapropter quaestio iam non est principaliter de electione religionis alicuius prae alia, sed de fundamentali fide in Deo personali qui potens est regere cursum mundi et influere in mentem et cor hominis. Nonne valde opportunum esset disserere de relatione hominis ad Deum, ad Absolutum, cum multi philosophi aut scriptores recentes eam negant et perniciosas theorias de caractere absurdo omnium apparentium construant.

II. *De credentis ad Christum relatione*

Christus cui multi catholici aut acatholici « credunt» non est Christus historicus — Christus resuscitatus, Salvator hominum — sed Christus quidam mythicus, sentimentalis, philosophicus, moralis. Ex quo fit religio vana, mythologiae proximior quam adhaesioni viventi Christo Viventi. Apud multos qui christiani nomine recensentur, religio christiana concipitur ad mensuram cuiusdam theoriae, modi vivendi (style de vie), disciplinae moralis, vel alicuius repraesentationis romanticae vitae et rerum vitae (légende et poésie). Talis error de obiecto fidei nostrae non inter fideles sapientes aut rudes solum serpit, sed etiam inter viros ecclesiasticos et religiosos.

III. *De relatione catholici ad Ecclesiam Christi*

Pauci sunt « fideles » qui recte intelligunt naturam Ecclesiae Christi, exigentias missionis eius; pauciores — saltem in ditione nostra — qui conantur mysterium Ecclesiae vivere. Perutile forsan esset catholicis et non catholicis vivam et praecisam sinthesim amplectentem doctrinam et vitam sanctae Ecclesiae exhibere, ut sic facilius renovari possint religiosi assensus catholicorum et fidelium apostolicus zelus foveri valeat ad servitium et expansionem Regni Dei.

Pars liturgica et ritualis

1. Quod attinet ad Ceremoniale Episcoporum, nonne esset possibile eius redactionem meliorem reddere?

2. Quoad ipsas ceremonias, quarum multae sunt longiores et opprimentes praesertim in regionibus tropicis, valde gauderem si possent renovari et simplificari per viros simul in doctrina, pietate et liturgia peritos.

3. Recursus ad linguam vernaculam multum proficit ad intelligentiam et dignam receptionem sacramentorum et quorumdam sacramentalium. Nonne bonum esset largiorem usum permittere et suadere?

4. Pro baptismo adultorum — haec baptismata non deficiunt in nostra ditione — simplificatio ritus valde congrueret.

5. Pro Professione fidei acatholicorum, recursus ad formam Sancti Officii (20 novembris 1946, pro Gallia) saepe utilis esset parochis et missionariis in regione nostra. Nonne favor episcopis Gallicis concessus non posset ad omnes episcopos extendi?

Pars disciplinaris

1. Leges ecclesiasticae multae sunt et magna earum pars in desuetudinem lapsae sunt. Attamen in Codice aut in aliis libris semper consignatae manent et sic vigorem aliarum regularum vere utilium et adhuc servatarum enervant.

2. Regimen indultorum et privilegiorum multis displicet et quondam malae menti (mauvais esprit) inter operarios apostolicos favet. Sic frequenter audis: « Les règlements c'est pour les pauvres types ».

3. Numerosiores sunt ecclesiastici, sive religiosi, sive saeculares, qui semper in itineribus videntur, sive pro placito suo, sive sub praetextu facilis informationis, sive pro aliqua pia ratione! Dulce forsan « magnum alterius spectare laborem », sed qui portat pondus diei et aestus rem aliter videt.

4. Quod attinet ad visitationem canonicam religiosarum domorum, valde facilius esset implere hoc officium, si superiores ipsae tenerentur eam sollicitare tempore opportuno.

De quibusdam aliis

1. Hic multi sunt catholici et cum quadam febrilitate religionem observant sed pauci ex fide christiana vivunt. Haec praxis formalis, superstitiosa et, aliquando, stupida et provocans, in periculum ponit progressum Ecclesiae catholicae haitianae praesertim cum ex alia parte

superstitiones quae sub nomine « Vaudou » designantur eam perdere contendunt et ad hunc eumdem finem intendunt a « communistis ». Nonne prudens et urgens esset imponere baptizatis meliores cautiones pro sinceritate et puritate fidei et formationem intensivam et profundam ad exercitationem virtutum veramque vitam christianam? Pro hoc labore unitas mentium et actionum requiritur. Haec unitas quae satis facile obtineretur, si approbationes iam a Roma concessae episcopis firmiores essent, desit. Hodie miserabiliter quaeritur numerus sine qualitate; cras nihil sanum, firmum et honorabile invenietur!

2. Vis expansiva humanismi atheorum et communismi iacet in concordia praxis cum theoria; fragilitas christianismi ex divortio inter fidem et vitam oritur. Remedium particulare forsan esset revalorisatio sacramentorum et exigentia verae vitae religiosae fidelibus imponenda ita ut plurimi « qui in Trinitate fuerunt baptizati omnia faciant quae praecepta sunt » et inspiratio fidei omnibus eorum vitae actibus praesit.

3. Administrationis ecclesiasticae opera vires et tempus et multos etiam viros edunt. Nonne possibile esset reducere ad minimum « la paperasserie »?

4. Apostolici viri desunt evangelisationis operibus; opportunum esset pro eis operibus libertate presbyteros qui non habent sufficientem laborem et meliorem distributionem presbyterorum promovere.

5. Forsitan opportunum esset vigilare ut paupertas religiosa theoritica non evadat sed testimonium spirituale maneat; ut non sit formalis tantum sed vera ut omnibus credentibus hierarchiam servitiorum et bonorum illustret.

✠ FRANCISCUS POIRIER
Archiepiscopus Portus-Principis

5

EXC.MI P. D. ALBERTI M. GUIOT
Episcopi Portus Pacis (Port de Paix)

Port de Paix, le 11 avril 1960

Eminentissime Seigneur,

Je viens de recevoir, par l'entremise de la Commission Pontificale une lettre, datée du 21 mars, qui me fait remarquer que vous n'avez reçu aucune réponse de ma part, à votre Lettre Circulaire du 18 juin concernant les problèmes à soumettre et à étudier au futur Concile.

Eminence, je m'excuse humblement de n'avoir pas répondu à votre premier Appel. A la suite d'une longue Tournée de Confirmation en Montagnes, j'ai fait une Broncho-Pneumonie en août dernier; et cette maladie avec la convalescence nécessaire m'ont obligé à un déplacement et ce n'est qu'à mon retour en septembre que j'ai trouvé votre Lettre. Comme il était spécifié dans cette Lettre Circulaire que les réponses devaient être envoées avant le 1er septembre, j'ai jugé qu'il n'était plus opportun de répondre et je me sentais du reste bien peu qualifié pour ce faire: que pourrait ajouter les suggestions d'un pauvre Evêque perdu dans la Brousse?

Mais puisque vous avez me renouveler cette Communication, après les Consultations requises je vous envoie ci-joint les quelques remarques et suggestions que nous avons iugées utiles en rapport avec les problèmes de notre Apostolat dans cette Région si arrièrée.

En vous renouvelant mes plus profondes excuses, Eminence, je vous prie d'agréer mes plus respectueux hommages et l'assurance de mon plus obéissant dévouement en notre Sainte Eglise.

✠ ALBERT M. GUIOT
Evêque de Port de Paix

Partie doctrinale

Nous nous en remettons volontiers et toute confiance aux Propositions des Excellentissimes Theologiens et des Spécialistes en cette Matière.

Partie pastorale

Nous souhaitons que soit étudiée et précisée la Pastorale en Pays de Missions, vis-à-vis d'un *syncretisme* de plus en plus prononcé entre la Religion Catholique et certains Cultes paiens.

Ici le Vaudou:

Après plus de 80 ans d'apostolat laborieux sur 4 ou 5 générations nous avons la douler de constater qu'en dépit de tous nos efforts et de toutes les Promesses et Engagements, la plupart de nos Fidèles prétendus « Convertis » n'ont rien abdiqué de leurs Croyances Africain et tout en se disant ou se comportant en fervents Catholiques, continuent secrèment et sournoisement à servir leurs divinités paiennes pour ne pas encourir leurs vengeances.

Ce Culte envers leurs « dieux protecteurs » est un « Héritage Sa-

cré » qui se transmet de génération en génération et malheur à celui même Catholique, qui voudrait s'y soustraire ...

Ceci nous pose des Problèmes angoissants particulièrement pour l'Administrations des Sacrements. Une vraie conversion suppose une rupture totale avec le Démon et une adhésion complète au *Christ* et à ses Enseignements; ce sont là les Rites du *Baptême.*

Nous n'avons pas le droit de baptiser des adultes qui ne rempliraient pas ces deux conditions ...

Avons-nous le droit (ou le devoir?) de baptiser des enfants dont les parents pratiquent un christianisme superficiel mais surtout le Vaudou, donc une double religion, pour s'assurer double protection? Le *Droit-canon* exige pour ce Baptême des enfants, des garanties sérieuses d'education chrétienne. Or dans notre Région encore si arriérée, 80/100 des enfants ne fréquentent aucune Ecole et la seule éducation religieuse qu'ils reçoivent en famille, c'est une Initiation au culte du Vaudou et aux obligations familiales envers leurs dioux protecteurs comme envers les divinités néfastes.

L'expérience de tout un passé nous l'a fait constaté doulourensement.

Devant cette pénible situation, nous avons voulu recourir à un sérieux contrôle, prendre des mesures contre les « lapsi » contre les parents, retarder ou refuser le baptême des enfants: et nous avons soumis à qui de droit, toutes les décisions synodales.

Mais le manque d'*unité* entre les diocèses n'a fait qu'augmenter les complications. Certains veulent ignorer ce fameux *Melange* ou Syncrétisme et continuer comme par le Passé ... D'ou confusion et véritable problème de conscience pour les Prêtres ... Peut-on admettre les enfants au Baptême sans les Garanties requises? Peut-on admettre à la Communion des Personnes qui avec duplicité participent également aux cérémonies et aux sacrifices Vaudouesques?

A notre point de vue, tant qu'on n'aura pas réussi à dissocier Catholicisme et Vaudou, il n'y a pas d'épanouissement possible pour une Chrétienté. Aussi nous gardons notre discipline ...

Mais vu les divergences d'opinions et de comportement dans l'Administration des Sacrements, nous voudrions que ces problèmes soient étudiés, a fin d'avoir des Directives précises et communes à toutes les Régions intéressées.

Confirmation

Un récent Décret de Rome permet aux Curés de donner le Sacrement de Confirmation aux malades graves. Mais cette limitation aux seuls Curés limite par trop le privilège dans nos Régions.

Nous avons des Paroisses très étendues ayant jusqu'à douze et quinze Succursales en Montagnes. Il est impossible au Curé d'atteindre tous les malades et pratiquement les deux-tiers de ces malades ne peuvent bénéficier des avantages de ce Privilège ...

Comme chaque Vicaire administre, par des Visites mensuelles, un secteur bien déterminé de la Paroisse, ne pourrait-il pas jouir de ce même Privilège dans son secteur? Déjà plusieurs demandes ont été faites à Rome dans ce sens, mais à chaque fois la réponse a été négative pour Haiti.

Liturgie

Nous avons hautement apprécié les nouvelles Décisions concernant le *Jeune Eucharistique* et les *Messes* du soir: elles facilitent grandement notre Ministère tant dans les *Centres* que dans les *Succursales* des Montagnes. Mais après expérience quelques modifications seraient souhaitables:

a) La Loi du Jeûne Eucharistique prévoit l'abstention de toute Boisson: *pour les Prêtres,* une heure avant la Messe; *pour les Fidèles* une heure avant la Communion: cete distinction est-elle absolument nécessaire?

Beaucoup de Prêtres désireraient cette limitation comme pour les Fidèles i. e. une heure avant la Communion, particulièrement pour les Messes de Binage ou de Trinage car souvent l'intervalle entre les deux Messes est trop court et ils ne peuvent prendre quoi que ce soit ...

b) Pour les Messes du soir, le Règlement ne permet pas de les commencer avant 16 h. Dans les *Centres* c'est très bien: mais vu l'étendue de nos Paroisses et l'éloignement de beaucoup de nos Fidèles (jusqu'à 3 heures de marche) serait-il possible de commencer ces Messes à partir de 15 h.? pour permettre à ces Fidèles et surtout aux enfants de retourner chez eux avant la nuit vu les risques des sentiers de Montagnes.

Breviaire

Vu notre petit nombre de Missionnaires, vu les Œvres multiples et les surcharges du Ministère tant dans les Centres que dans les Succursales de nos Montagnes, vu les multiples et longs déplacements à

cheval, nos Missionnaires désireraient que l'Office des *Matines* soit simplifié dans le genre des Matines de la *Semaine Paschale.*

Chaque Année nous devons lire en *Chaire,* les Décrets de Rome sur les *modes indecentes,* et nous le faisons bien scrupuleusement, mais il faut reconnaitre que dans la Pratique, ces Décrets sont déjà depassés et surrannés.

En *Europe* comme en *Amerique* les Femmes ont d'abord gagné la bataille des jambes nues, puis celle des bras nus, puis celle du décolletage et elles sont en cours de gagner la bataille des têtes nues à l'Eglise, comme celle du costume masculin.

Nos Négresses veulent suivre et imiter les Blanches sur toutes ces libertés déplacées, et avec d'aurant plus dempressement qu'elles vivent sous un Climat Tropical.

N'y aurait-il pas lieu de revenir sur cette question de la décence en vue d'un redressement général?

✠ ALBERT MARIE GUIOT
Evêque de Port de Paix

6

EXC.MI P. D. DOMINICI ENRICI
Archiepiscopi tit. Ancusensis, Nuntii Ap. in Haiti

Port-au-Prince, 15 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di accusare ricevimento del venerato Dispaccio di Vostra Eminenza Reverendissima N. 1 C/59-1669, in data del 13 luglio 1959, riguardante la Lettera Circolare diretta agli Ecc.mi Vescovi e Prelati che saranno i Padri del futuro Concilio Ecumenico, al fine di ottenere i loro desideri, voti e opinioni in preparazione dello storico avvenimento annunziato dal Santo Padre Giovanni XXIII.

Nel ringraziare vivamente Vostra Eminenza del testo della medesima Lettera, e in ossequio alle venerate Istruzioni ricevute, mi pregio sottoporre umilmente all'Eminenza Vostra il mio pensiero e i miei suggerimenti circa gli argomenti ivi indicati.

A) *Dottrina*

1. Enunziare più esplicitamente i punti di dottrina che sono a base dei diritti e dei doveri della persona umana, della famiglia, della società, con conseguente condanna dei principali errori moderni: il materialismo ateo, l'indifferentismo, l'edonismo.

A questo riguardo parrebbe particolarmente utile enunziare in formule brevi e chiare i principi della dottrina sociale della Chiesa.

2. Trovare il modo e i mezzi per combattere l'ignoranza religiosa così vasta e profonda con le sue inevitabili e nefaste conseguenze.

B) *Disciplina del Clero e del Popolo*

1. Facilitare al Vescovo il governo della diocesi. A questo fine potrebbero essere vantaggiosi: la revisione e l'aggiornamento delle diocesi; l'aumento del numero dei Vescovi Ausiliari; la facilitazione dell'amozione dei parroci; un permesso più largo concesso ai sacerdoti di conferire il Sacramento della Cresima; una più moderna organizzazione della Curia Vescovile; la revisione dell'istituto dell'esenzione dei Religiosi agli effetti della vita pastorale.

2. Rafforzare l'unità e l'importanza della Parrocchia. A questo scopo sembrerebbe utile ottenere una più larga ed effetiva collaborazione dei Religiosi alla vita parrocchiale.

3. Al fine di venire in aiuto ai parroci sovraccarichi di lavoro, di non perdere energie preziose e di supplire, per quanto possibile, alla crescente mancanza di clero, sembrerebbe opportuna l'ordinazione di diaconi specialmente per il culto divino, per il catechismo e l'istruzione religiosa, per varie opere di apostolato sociali e culturali. I diaconi, come i catechisti, potrebbero essere di particolare utilità nei territori di missione. Si potrebbe concedere ai diaconi la facoltà di sposarsi.

4. Non rendere obbligatoria la tonsura, ma esigere un abito ecclesiastico che distingua il clero dai laici.

5. Procedere prontamente alla riforma del Breviario e alla revisione del Rituale e del Pontificale. Non favorire troppo l'uso della lingua volgare nelle funzioni liturgiche.

6. Concedere speciali facoltà, per quanto riguarda la distribuzione della Ss.ma Eucaristia, soprattutto nei territori di missione.

7. Aumentare il più possibile il personale religioso specializzato e curare che non siano lasciate inattive preziose energie del personale disponibile religioso.

8. Incoraggiare la fondazione e l'espansione degli Istituti religiosi laicali, ma assicurare una adeguata formazione dei loro membri.

Non concedere l'indulto della conferma dei Superiori religiosi (specialmente delle Superiori Generali) oltre il termine fissato dal Diritto Canonico, salvo rari casi di evidente necessità.

9. Incoraggiare nei laici una partecipazione più attiva alla Liturgia, all'apostolato e alla vita della Chiesa in genere.

C) *Sul piano nazionale e internazionale*

Lavoro meglio coordinato per influenzare e controllare l'opinione pubblica e le varie organizzazioni nazionali e internazionali.

Maggiori sforzi soprattutto nel campo della stampa, del cinematografo e della televisione.

Con i sensi della venerazione più profonda, chino al bacio della Sacra Porpora, ho l'alto onore di confermarmi,

di Vostra Eminenza Reverendissima
um.mo dev.mo obbl.mo servo

✠ Domenico Enrici
Arcivescovo tit. di Ancusa
Nunzio Ap. in Haiti

7

Exc.mi P. D. REMIGII AUGUSTIN

Episcopi tit. Turuzitani, Auxiliaris Portus Principis

A) *Codex Iuris Canonici*

1. Motu Proprio « Cum iuris canonici codicem »: *a*)adaptatio in corpore codicis novorum decretorum et instructionum editarum post promulgationem codicis; *b*) editiones periodicae et simplificatae, ut *in uno libro* omnia necessaria prae manibus habeantur.

2. Can. 133: desideratur lex stictior.

3. Cann. 745-752: *a*) quid de baptismo puerorum parentum deditorum superstitionibus paganis? *b*) dicere si parentes sunt haeretici.

4. Cann. 766, 786, 854: taxative indicare mysteria fidei necessarie scienda pro receptione sacramentorum.

5. Can. 1409 et sq.: *a*) optandum esset ut taxae non amplius percipiantur occasione sacramentorum, ob obiectiones dissidentium, quae multum perturbant animum catholicorum tepidorum; *b*) optandum esset etiam ut fiat repartitio magis aequa redituum beneficiorum eccle-

siasticorum: etenim aliqui in civitatibus, praesertim ex clero saeculari, superfluo abundare videntur, dum alii in pagis necessario aliquando carent.

6. Can. 1248: opera servilia pressius determinanda.

7. Can. 1251: in regionibus nostris, maior pars fidelium unam tantum comestionem faciunt in die: adaptatio desideratur legis ieiunii.

8. Can. 2314: optandum esset ut absolutio ab excommunicatione de qua in § 1, in foro conscientiae impertienda, non sit reservata *Sedi Apostolicae*.

B) *S. C. de Concilio*

Instructio 12 ian. 1930: videntur necessariae aliquae subtilitates de « veste feminea indecora » ad fovendam quamdam unitatem in praxi legis (quod attinet ad receptionem Eucharistiae, munus patrini et auditionem Missae, etc. ...).

C) *Liturgia*

1. *Instructio* de *Musica Sacra* (cf. 1. n. 14): non solum tolerari debent cantus populares religiosi, ob consuetudinem, vel ob exceptiones particulares, sed, salvo usu obligatorio linguae latinae in omnibus partibus ad quas pertinet, officialiter permittendi sunt in Offertorio, in communione fidelium, in adoratione Sanctae Crucis die Passionis Domini, etc. ...

2. *Caeremoniale episcoporum*: *a*)in locis tepidioribus *tollere* tunicellam et dalmaticam in Missa Pontificali, *tollere* pluviale in administratione confirmationis rationes numeri magni confirmandorum; *b*) in iisdem locis, dare Episcopis facultatem utendi, sine *indulto apostolico,* « Ritu et Formula Breviore Consecrationis Altarium Portatilium ».

D) *Facultates quinquennales*

Extendere facultates quinquennales et facere Episcopis ius delegandi eas, ubi non est. ...

✠ REMIGIUS AUGUSTIN
Episcopus tit. Turuzitanus
Auxiliaris Portus Principis

HONDURAS

1

EXC.MI P. D. HECTORIS H. SANTOS

Episcopi S. Rosae de Copán (Santa Rosa de Copán)

Sanctae Rosae de Copán, 31 augusti 1959

Subscriptus, Episcopus Sanctae Rosae de Copán, haec quae sequuntur opportunum iudicat Isti Pontificiae Commissioni proponere consideranda quaeque iam subscripsit in Conferentia Episcopali Americae Centralis ac Panamae, ad Concilium Oecumenicum: [1]

1. Positis et Sacerdotum penuria apud gentes nostras et maximo laboris pondere pastoralis ab ipsis ferendo, proponitur Institutio Diaconorum « quoad attributiones » ex viris religiosis ac laicis selectis.

Qui Diaconi sint insigniti: *a*) maturitate; *b*) perspicuo animo christiano; *c*) sufficienti scientia dogmatica, morali, scripturistica et liturgica.

Eorum officia sint: *a*) catechesi incumbere; *b*) Parocho in servanda Eucharistia et in eius ornatu iuvamen afferre; *c*) fidelibus Sacram Communionem prudenti Parocho iudicio distribuere; *d*) Christifidelibus in extremo vitae agone iuvamen ac solatium afferre.

2. Cum rumor augeatur inter aliquos sacerdotes ut ecclesiasticus celibatus relaxetur, ipse integerrime in sua disciplina teneatur. Attamen ut lues scandali minuatur et ut in singulis casibus ab Ordinariis propositis celerius procedatur, Sacra Romana Dicasteria expeditius processus persolvant.

3. Ut annuae Confessionis et Communionis Praeceptum adimpleri possit in quolibet tempore totius anni.

4. Ceremoniae breviores reddantur in Baptismatis administratione (v. g. orationes plurali dicantur — si opus fuerit — inhalatio ac salivae impositio omittatur, etc.) et in Extremae Unctionis administratione, ex rationabili causa, unica detur unctio in fronte.

Idem desideratur in Consecratione Ecclesiarum et Altarium.

5. Solennis desideratur a Concilio Oecumenico venturo damnatio communismi doctrinae, sectae masonicae, laicismi ac liberalismi.

6. Episcopi (Ordinarii) auctoritas in rebus, quae ad curam animarum spectant Religiosis commissam, maior desideratur.

✠ HECTORUS H. SANTOS
Episcopus S. Rosae de Copan

---

[1] Cf. prp. 521-523.

2

Exc.mi P. D. IOSEPHI DE LA CRUZ TURCIOS Y BARAHONA
Archiepiscopi Tegucigalpensis (Tegucigalpa)

Die 30 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Annuentes Litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, conlatis consiliis cum prudentibus viris ecclesiasticis, sequentia vota et animadversiones pro futuro Concilio pandenda duximus:

Ut facultas assistendi matrimonio et potestas eamdem facultatem delegandi, de quibus in can. *C.I.C.* 1094 et 1095, competat non tantum parocho territorii sed etiam parocho contrahentium extra territorium, ita ut ambo delegare vel assistere valeant (et haec ut matrimonia nulla vitentur).

Ut instauretur ordo sacer Diaconatus, sine onere coelibatus et sine necessitate ascendendi ad sacerdotium; et hi diaconi possint verbum Dei praedicare, Baptismum et Eucharistiam ministrare (quod erit adiutorium pro locis missionum et pro his regionibus in quibus numerus sacerdotum exiguus est).

Ut habitus clericalis sit unus et simplex pro universo orbe.

Ut omnino abrogentur « classes » in administratione sacramentorum et funerum.

Ut lingua vernacula adhibeatur in administratione omnium sacramentorum.

Ut ritus Baptismi simplicior sit.

Ut benedictiones reservatae abrogentur.

Ut clerici possint privatim recitare Breviarium lingua vernacula.

Ut officium diebus festorum ne longius sit quam caeteris diebus.

Ut prima pars Missae — ab introito ad offertorium — lingua vernacula dici possit.

Ut reservationes censurarum et poenarum minuantur.

Omni qua par est reverentia me profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae

add.mum

✠ Ioseph de la Cruz Turcios y Barahona
Archiepiscopus Tegucigalpensis

3

EXC.MI P. D. BERNARDINI MAZZARELLA

Episcopi tit. Hadrianopolitani in Pisidia
Praelati nullius Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Olancho
(Immaculada Conception de la B. M. V. en Olancho)

Dec. 12, 1959

Venerable Commission,

I wish you would excuse this answer to your letter of the 18 of june, 1959. When your letter arrived, I was in Europe for the « Ad Limina » visit: when I got back, it was too late to answer the same, because you had said that our letters should be sent before september first. Then I saw in the Catholic papers that the Commission is still waiting to hear from the rest of the bishops of the world. Hence I am sending my answer to your letter at this late hour, with the hope that you would excuse my tardiness.

With every best wish and kindest regards
Sincerely yours in Christ

✠ BERNARDINIS MAZZARELLA, O. F. M.
Episcopus tit. Hadrianopolitanus in Pisidia
Praelatus in Olancho

Die 12 decembris 1959

Opportunum iudico haec quae sequuntur isti Pontificiae Commissioni proponere ad Concilium Oecumenicum:

1. Positis et Sacerdotum penuria apud gentes Praelaturae et maximo laboris pondere pastoralis ab ipsis ferendo, propono institutionem « Diaconorum quoad attributiones » ex viris religiosis ac laicis selectis:

1) qui diaconi, sint insigniti, *a*) matura aetate, *b*) perspicuo animo christiano, *c*) sufficienti scientia et dogmatica et morali, scripturistica ac liturgica,

2) eorumque officia sint: *a*) catechesi incumbere, *b*) parocho in servanda Eucharistia ac in eius ornatu iuvamen afferre, *c*) Fidelibus

Sacram Communionem, prudenti parochi iudicio, distribuere, *d*) Christifidelibus in extremo vitae agone iuvamen ac solatium afferre.

2. Integerrime disciplina ecclesiastici celibatus teneatur. Attamen ut lues scandali minuatur et ut in singulis casibus ab Ordinario propositis celerius procedatur, Sacra Romana Dicasteria expeditius processus persolvant.

3. Annuae confessionis ac communionis praeceptum ad totum anni curriculum protrahatur.

4. Ceremoniae breviores reddantur in Baptismi administratione: v. g. orationes pluraliter dicantur, inhalatio ac salivae impositio omittatur etc.; et in Extremae Unctionis administratione, ex rationabili causa, unica detur unctio in fronte.

Idem desideratur quoad Ecclesiarum ac Altarium consecrationem.

5. Sollemnis desideratur a tanto Patrum Conventu damnatio et Communismi doctrinae, sectae massonicae, liberalismi ac laicismi.

6. Episcopi (Ordinarii) auctoritas in rebus quae ad curam animarum spectant religiosis commissam, maior desideratur.

✠ Bernardinus Mazzarella, O. F. M.
Episcopus tit. Hadrianopolitanus in Pisidia
Praelatus nullius
Immacolatae Conceptionis B. M. V. in Olancho

4

Exc.mi P. D. SANCTIS PORTALUPI
Nuntii Ap. in Honduras et Nicaragua

Tegucigalpa, 3 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Ho avuto l'onore di ricevere il venerato foglio (1 C/59-1670), del 13 luglio u. s., con il quale Vostra Eminenza Reverendissima mi ha rimesso copia della Lettera Circolare diretta ai Vescovi e ai Prelati dalla Pontificia Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico al fine di raccogliere consigli e voti.

Mentre esprimo tutta la mia gratitudine per il cortese invio, assicuro Vostra Eminenza che non ho mancato di esaminare con la massima cura detto documento, e, con la dovuta sommissione, mediante l'unito allegato mi permetto inviare un elenco di questioni che potrebbero meritare

di essere prese in considerazione dagli Ecc.mi Padri del futuro Concilio.

Chino al bacio della Sacra Porpora, con sensi di profondissima venerazione, ho l'onore di professarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umil.mo obb.mo servitore

SANTE PORTALUPI
Nunzio Ap. in Honduras e Nicaragua

Eminentissime Princeps,

Lubentissime litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae accepi, significantes mihi Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. in Festo Pentecostes instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico.

Cum animadversiones, consilia et vota mihi petantur circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, libenti animo, quantumvis humillime, breviter Eminentiae Tuae exponam quae mihi videntur aliquid prodesse si attentioni Patrum ponantur:

1. *Catechismi Catholici* redactio definitiva in tribus partibus conficiatur:

a) regula Fidei,
b) regula morum,
c) doctrina socialis Ecclesiae.

2. *Codicis liturgici* exaratio:

a) principia fundamentalia.
b) normae, leges et decreta,
c) de vestibus liturgicis, de Musica Sacra.

3. *De praeservatione fidei normae* practicae desiderantur nostris praesertim temporibus ad animos fidelium tuendos contra communismi et laicismi immane periculum.

Desideratur, idcirco, novi Sacri Dicasterii de Praeservatione Fidei institutio.

Interim submissos animi sensus profiteor Eminentiae Tuae cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
umill.mus ac add.mus servus

SANCTES PORTALUPI
Nuntius Ap. in Honduras et in Nicaragua

5

Exc.mi P. D. EVELII DOMÍNGUEZ RECINOS

Episcopi tit. Achollitani Auxiliaris Tegucigalpensis

Qui responsum dedit litteris Conventus Episcopalis Americae Centralis et Panamae (CEDAC).[1]

---

[1] Cf. pp. 521-523.

HONDURAS BRITANNICUS

1

Exc.mi P. D. ROBERTI HODAPP
Episcopi Belizensis (Belize)

E Civitate Belizensi, 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Libenter agnoscere velim Epistolam 1 C/59-214 numeratam qua certiorem me facit Eminentia Vestra Summum Pontificem Ioannem XXIII f. r. instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico, cui Commissioni idem Augustus Pontifex opiniones, consilia votaque reportanda enixe commendavit.

Re quidem vera, sive quae ad doctrinae capita, sive quae ad cleri populique christiani disciplinam respiciunt nihil novi mihi praesto sunt.

Tria tamen obviam veniunt in terris missionum problemata solvenda:

1. Maxima necessitas nostra repetenda est ex penuria sacerdotum qui opus ministerii strenuum sub conditionibus difficillimis perficiendum obire possint. Re vera, numerus sacerdotum in dioecesi viventium non crevit pari passu cum Ecclesiae in Honduras Britannico expansione. Quapropter, a quibusdam operibus quae antea fovebamus socialibus dolenter recedere sumus coacti.

2. Aliae necessitates magni momenti sunt: plures Sorores qui doceant in scholis primariis et secundariis, subsidium monetarium maius, nosocomium catholicum.

3. In votis habeo quod methodus nobis supplendi sacerdotes lingua anglica callentes ex regionibus in quibus superabundant inveniatur, et hoc quidem usque ad tempus cum vocationes indigenarum sufficere videantur.

Quod Deus benedicat Vestrae Eminentiae Vestroque in Commissione operi exarando a Domino adprecor.

Vestrae Eminentiae in Domino
addictissimus

✠ Robertus Hodapp, S. I.
Episcopus Belizensis

INSULA CURAÇAO

1

Exc.mi P. D. IOANNIS M. HOLTERMAN

Episcopi Gulielmopolitani (Willemstad)

Curaçao, N. A. die 21 septembris 1959

Eminentia Reverendissima,

Rite pervenerunt ad Nos litterae, die 18 iunii anni 1959 sub Prot. N. 1 C/59-1472 datae, quibus Eminentia Vestra petebat animadversiones, consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum noster suggererent circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Haec de causa Nobis liceat Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae communicare animadversiones, consilia et vota quae sequuntur:

Quoad disciplinam cleri

1. Ut clerici in seminario maiore magis instituantur in rebus socialibus et oeconomicis, quibus fideles nimium implicentur ita ut melius collaborare possint in difficultatibus huius generis solvendis et communismum avertere possint.

2. Ut clerici in seminario maiore etiam instituantur in cura animarum practice exercenda, specialiter per consuetudinem personalem cum fidelibus ita ut apostolatum non coarctent ad sacramenta administranda et devotiones speciales promovendas et moderandas.

3. Ut plures sacerdotes, cursu theologico absoluto, specialiter instituantur in rebus socialibus et oeconomicis, quo speciali tirocinio peracto efficacius apostolatum sacerdotalem exercere possint.

4. Ut neo-sacerdotes, ad missiones exteras destinati, cursu theologico absoluto, institutionem pastoralem accipiant in territorio missionis ipso, quo efficacius ad apostolatum magis accommodatum parentur.

5. Ut laici magis magisque adhibeantur et instituantur in rebus Ecclesiae administrandis, quo sacerdotes ab onere administrationis partim liberentur ad curam animarum et apostolatum magis et melius exercendum. Hoc labore magis apostolico sacerdotum numerus vocationum sacerdotalium crescet et periculum tolletur quo sacerdotes tantummodo magistratus Ecclesiae putentur.

Quoad disciplinam populi

1. Ut divini verbi praedicatione sana doctrina fidelibus praebeatur, qua persona Christi, vita sacramentalis et fides catholica revera proponantur. Reducatur nimia propagatio devotionum specialium, quae adeo differant a vera doctrina et vita christiana sed tamen in pluribus regionibus vitae christianae aequiparentur. Propter nimiam propagationem vitae devotionalis vera religio christiana detrimentum patitur et putatur res mulierum et infantium, quae viros non decet. In America Latina protestantismus, quod devotiones nescit et impugnat, magnum incrementum habet, etiam inter viros, quorum multi spiritu apostolatus imbuti sunt. Procul dubio protestantismus magis putatur res virorum quam fides catholica, quae nimia devotionali vita deformata est et in superstitionem degeneravit.

2. Ut studium promoveatur, quo clerici et laici, vero spiritu christiano imbuti, consuetudinem cum acatholicis frequentent, speciatim cum associationibus et institutis acatholicis, et ne ex hac consuetudine tantopere indifferentismus et scandalum timeantur.

Quoad Sacram Liturgiam

1. Ut lingua vernacula magis adhibeatur tam in sacro sacrificio Missae litando quam in sacramentis administrandis, ita ut fideles verba orationum et lectionum intelligant et hoc modo active Sacrae Liturgiae participare possint.

2. Ut ritus et caeremoniae nulla mora interposita ad pristinam formam restaurentur in quantum tempori hodierno sensum vere religiosum adhuc contineant, et ut ceteri, qui sensum amiserunt, deleantur, quo omnis formalismus in re tam sacra evitetur. Praeterea simplificentur, quo fideles etiam rudes magis ad devotionem excitentur.

3. Ut in Sacra Liturgia maior locus praebeatur adhibendi symbolos, ritus, cantica et usus vere religiosos uniuscuiusque populi, quo magis universalis fiat et eius character Europaeus tollatur.

4. Ut pro Sacramento Matrimonii administrando ritus amplior componatur quia variis in locis hoc sacramentum administretur et administrandum est absque sacro sacrificio Missae. Insuper componatur ritus specialis pro matrimoniis mixtis, quo pateat haec matrimonio vera matrimonia esse quae easdem obligationes habeant et eiusdem legibus subiecta sint ac matrimonia inter catholicos.

5. Ut breviarium sacerdotum, qui curam animarum exercent, eo-

rumdem statui magis accommodetur et differat a divino officio, quod recitetur ab iis, qui vitam contemplativam ducunt, e. gr. per divisionem in tres horas nempe horam matutinam, horam meridianam et horam vespertinam, ut lectiones meliores seligantur et adhibeantur, ut pro privata recitatione tollantur praecepta, versus et caeremonia, quae ad recitationem publicam in choro seu in communi pertinent etc.

Interim exoptans animadversiones et vota supradicta alicuius utilitatis esse pro Concilii Oecumenici futuri argumentis apparandis, quo par est obsequio Eminentiam Vestram prosequor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
add.mus

✠ IOANNES M. HOLTERMAN, O. P.
Episcopus Gulielmopolitanus

INSULAE BAHAMAS

1

EXC.MI P. D. PAULI L. HAGARTY

Episcopi tit. Arbensis, Vicarii Ap. Bahamasensis

(Bahama Island)

Die 27 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Ut quaesisti per litteras tuas datas e Civitate Vaticana die 18 iunii 1959, ecce tibi et Commissioni cui digne praees proponimus sub iis, quae sequuntur capitibus quasdam quaestiones considerandas.

I. *De lingua vernacula*

Quia « lex orandi est lex credendi », urgenter petimus ut latior fiat usus linguae vernaculae in celebratione Missae, administratione Sacramentorum necnon Divini Officii a sacerdote recitatione.

Quod ad Sacramenta attinet, proponimus ut lingua vernacula pro iisdem usurpetur, Sacramenti Ordinis facta possibiliter exceptione.

Item humiliter suademus ut Missae Catechumenorum lingua vernacula celebrata sit aut saltem fiat talis linguae usus ad Epistolam atque Evangelium dicendum (cf. can. 819).

Ceterum, ut opinamur, Divini Officii lingua vernacula privata recitatio multum sacerdotibus profutura sit iisque praesertim quibus animarum cura incumbit. Non enim est dubium, quin e tali cotidiana Divini Officii sua cuiusque lingua lectione fluant magna beneficia tam sacerdotibus quam christifidelibus, ut, exempli gratia, emendatiores ac magis aptae Verbi Dei Praedicationes et personalis ipsius concionatoris sanctificationis incrementum.

Quod ad Breviarii lingua vernacula in choro recitationem, haec etiam quaestio digna indagatione fortasse videbitur.

II. *De Sacramento Ordinis*

Suppliciter rogamus Reverendissimos Patres Commissionis ut velint respicere ad instaurationem « laici Diaconatus ». In territoriis enim Missionum, saepissime accidit ut unus tantum sacerdos pluris quam duarum ecclesiarum vel stationum curam habeat, et inde clare apparet in talibus

casibus diaconos laicos sacerdotibus praestantissimos adiutores esse posse. In dictis territoriis Missionum fieri potest ut diaconi laici, iidemque, ut par est, apte eruditi atque docti et in omnibus aliis idonei reperti, potestatem accipiant administrandi Baptismum et Sanctam Eucharistiam, praedicandi ut sacerdotis adiutores, atque agendi ut testes relate ad Matrimonium. Iis tamen locis, quae sint extra territoria Missionum, diaconorum ius utendi supradictis potestatibus circumscribi possit, pro sua prudentia, ab Ordinario aut parocho. Considerandum est, ut censemus, an Pastores Protestantes ad Ecclesiam Catholicam conversi Sacramento Ordinis admitti liceat, eorum statu matrimoniali retento. Hoc privilegium custodiri possit legibus ac desideratis a Sancta Sede et Ordinario loci positis. Quo privilegio deficiente, iis Pastoribus saltem conferatur Ordo Diaconatus.

III. *De Opere Servili*

Circa naturam operis servilis eiusque interpretationem et applicationem hisce nostris diebus, magna confusio orta esse videtur. Idcirco censemus maximi momenti, ut totius huius quaestionis plene fiat clarificatio.

IV. *De Ieunio et Abstinentia*

Humiliter proponimus ut maior per mundum aequalitas stabiliatur quantum ad ieiunium et abstinentiam.

V. *De alienandis rebus et contrahendis debitis*

Cum humilitate suggerimus ut can. 534 fiat recognitio, habita ratione conditionum nunc temporis mundo vigentium.

VI. *De Matrimonio*

(Vocabulum « sexus » infra adhibitum est ea significatione quae praevalet iis regionibus ubi viget lingua anglica, scilicet non ad exprimendum id tantum quo animal masculum a femina distinguitur, sed — latius enim patuit usus — praesertim id omne quod pertinet ad familiaritates, consuetudines, coniunctiones, colloquia inter personas eiusdem vel diversi sexus; omnia denique similia quae concupiscentiam sapiunt).

Cum hominum animi hisce nostris temporibus magna vi teneantur atque exagitentur quaestione, quam « sexum » vocamus, cumque iam pridem corrueret reverentia erga statum matrimonialem, audemus proponere ut fiant leges, quae praecipiant ut in catechismis ad scholas elementarias destinatis, sanctitas coniugii Christiani ut vocationis a Deo eiusque sacramentalitas accipiant maiorem emphasim atque ita doceantur

ab iis quibus incumbit institutio iuventutis. Talis emphasis in positivum aspectum « sexus » ut in Dei providentiam adiumentum esse possit ad puellas et pueros preparandos pro futuris matrimoniis et sanctioribus et felicioribus; et fieri potest ut iis praesidio sit ad vitam moralem tuendam.

VII. *De Communismo*

Humiliter poscimus ut facta sit lex, quae addat curriculo scholarum catholicarum studium Communismi eiusque philosophiae. Ignorantia enim huius philosophiae facit ut sit impossibile ei effective adversari.

VIII. *De Facultatibus Ordinariorum*

Ad accelerandum et conficiendum opus Curiarum Dioecesanarum, suggerimus ut facultates latiores, tam discretivae quam iudiciales, Ordinariis conferantur pro tractatione casuum difficilium ad Matrimonium pertinentium. Me omni humilitate profiteor, uti par est,

Servum devotissimum
✠ PAULUS L. HAGARTL, O. S. B.
Episcopus tit. Arbensis
Vicarius Apostolicus Bahamasensis

INSULAE GUADALUPIA ET MARTINICA

1

Exc.mi P. D. IOANNIS GAY

Episcopi Imae Telluris et Pointapitrensis (Basse-Terre et Pointe-à-Pitre)

Basse-Tesse, le 28 octobre 1959

Eminence Révérendissime,

Ayant été absent de son diocèse pendant quatre mois, en voyage en Europe l'Evêque de la Guadeloupe s'excuse du retard apporté à l'envoi de ses Vœux pour le Concile Œcuménique.

Dès son retour, il a pris soin de consulter autour de lui.

Il prie le Révérendissime Président de la Commission Préparatoire de trouver ci-joint le texte de ses Vœux.

✠ Jean Gay
Evêque de Guadeloupe

1. *De relationibus Catholicos inter et sectas protestantes.* In votis est ut pro tota Ecclesia, instructiones clarae sint edictae a Suprema Auctoritate, de modo quo Catholici se habeant erga hos Christianos, qui nunc communiter satis vulgo « Fratres separati » nominantur.

Ex una enim parte vigilandum est ne quid falsi circa doctrinam de Ecclesia subrepat, aut Catholici sensim sine sensu ad haeresim trahantur. Ex altera parte, optandum est ut, cum maiore caritate fraterna, tum Catholici tum Protestantes inter se communicent, ne quaedam amaritudo animi et consuetudinis, in aversionem cedat odiosam.

Sane difficilis obtentu hic modus agendi, praesertim erga Sectas quae acriter et iniuste nos oppugnant. Attamen vitandum est omnino ne haeretici, qui adhuc se praebent ut discipuli et cultores Christi, tanquam athei asseclae Communismi et Materialismi a Catholicis tractentur. Dolendum est ergo quod tam damnabilis consuetudo in diversis Americae Meridionalis regionibus adhuc conspiciatur.

Ubi concluduntur matrimonia, cum dispensatione impedimenti mixtae religionis, nimis discrepant applicationes regularum practicarum, inter hanc vel illam Dioecesim. Cur enim hae celebrationes, sic permittente Sancta Sede, in ipsa ecclesia paroeciali fiunt, dum e contra, in regione vicina, stricte exigitur applicatio Iuris, id est, celebratio extra ecclesiam perficitur? Unus sit, quaesumus, ritus celebrationis in quacumque Dioecesi.

2. *De devotione erga Beatissimam Virginem Mariam.* Sane devotio

haec est pars essentialis in universa religione catholica; huic devotioni tribuenda videtur fidei conservatio apud populos nostrae Regionis. Sed, in medio plebis, propter simplicitatem suam, quam multi rudes in periculo versantur colendi Beatam Mariam fere usque ad exclusionem honoris Filio suo debiti! Quam multi in aedes sacras introeuntes, statim ad statuas divinae Matris se prosternunt, neglecta Tabernaculi visitatione! Utique Ordinarii, ad amovendos huiusmodi abusus vigilant. At si ipsum Concilium Oecumenicum expresse commendabit meliorem cultus externi manifestationem, spes erit instaurandi digniorem pietatem fidelium, praesertim in regionibus, in quibus Protestantes quasi quotidie sunt testes cultus catholicorum publici.

3. De laicis, qui sine coelibatus obligatione, vices « *Diaconorum* » gererent, saltem quoad functiones quasi materiales intra saepta Ecclesiae, quid opinamur? Fatemur difficilem apparere hodiernam huius antiqui diaconatus instaurationem, nam Subdiaconatus sicut Ordo voti castitatis nunc consideratur.

Sed videtur minus inconveniens cleros, non obstante facultate matrimonium ineundi, ordines minores accipere, et in habitu talari, quaedam ministeria adimplere in ecclesia in auxilium sacerdotum. (Votum hoc iam proposuit Venerabilis Pater Libermann Sanctae Congregationi de Propaganda Fide). Providendum tamen erit, ne, illi qui ordinentur ad Minores ordines cum facultate matrimonii, sint occasiones perturbationis pro aliis cleris coelibatui obstrictis.

4. Optandum est ut sodales *Ordinum Exemptorum* sint manifestius in exemplum pro omnibus, quoad docilitatem erga Ecclesiam docentem aut mere regulas disciplinae edicentem. Nonne vera pericula, pro fidelibus, inveniuntur in diversis periodicis aut ephemeridibus in quibus, una cum veritatibus clare proclamatis, suspectae opiniones contra sensum stricte filialem erga Ecclesiam divulgantur?

5. His in temporibus, ubi saevit tanta sacerdotum penuria in ministeria animarum adlaborantium, non sine pavore Ordinarii praevident in futuro maiorem penuriam in paroeciis quae magis et magis in dies extendentur aut multiplicabuntur. Ideoque valde conveniret ut *familiae religiosae* regulariter aliquot ex suis sodalibus eligant qui servitium Dioecesi praestarent, assumendo *directionem paroeciae*. Multi enim pervagantur Religiosi in territorio Dioecesis, qui de ministerio pastorali indifferentes apparent.

6. *De Seminariis*. Videtur quod in multis Seminariis, Doctrina Theologica quadam debilitate interna laboret. Ex hac enim scientia, quasi ex fonte vivo, totius vitae sacerdotalis pietas exoritur et continuo nutritur. Ideo abundantius exponatur pars proprie theologica Scientiae divinae,

quam considerationes nimis extensae de historia errorum, adversariorum. Simul enim cum traditionali et sana veritatis revelatae expositione, optime de modernis, socialibus et apostolicis peculiaribus problematibus, cognitio tradi potest et acquiri in scholis Seminariorum.

Licet quaedam regulae et observantiae iuxta evolutionem morum moderatam et discretam modificationem subire debeant, necessarium est tamen in omnibus locis servare observantias et regulas a traditione probatas. Exempli sit gratia: ut omnes alumni Seminarii maioris, habitum talarem induant, iam inde a primo anno cursus theologici etiamsi, pro ratione valida, primam tonsuram nondum receperint. Ubi enim tarde habitus clericalis in usu venit, ibi maius periculum exsurgit contra perseverantiam in vocatione.

7. *De habitu Clericorum.* Cum in temporibus nostris, maior vigeat relatio et consuetudo inter omnes regiones terrae, maior etiam patet possibilitas atque utilitas cuiusdam vestimenti « uniformis », ut dicunt, in universo mundo, pro clericis. Utique non in omni loco aut regione habitus talaris (soutane) exigitur, sicut mos est apud regiones « latinas ». Sed aliud genus vestis, modestae, et propriae clericis in aliis regionibus (clergyman apud Anglo-Saxones) posset deferri, quod inter laicos et clericos signum primo aspectu esset. Etiam per vacationes aestivas, quaedam minor crux in pectore delata, signum esset sacerdotis itinerantis.

Quoad tonsuram seu clericalem coronam, urgentior obligatio eam deferendi nobis videtur opportuna.

Singularis consuetudinis saepe testes fuimus in quibusdam Americae dioecesibus. Extra caeremonias stricte liturgicas, sacerdotes sive in domo propria, sive in ipsa ecclesia, gerunt vestes absque ulla distinctione formae aut coloris proprie laicales, (chemisette au col échancré et pantalon).

In quibusdam regionibus, Sacerdotes operibus Iuventutis addicti, familiariter circumeunt inter iuvenes, mere laicali indumento vestiti, nimis exigui (shorts).

Vidimus Sacerdotes in operibus manualibus (v. g. in aedificatione templi) laborantes vestibus non decenter compositis indutos; sane melior tunc esset vestis (quam dicunt clergyman) quam vestis talaris lacerata aut maculosa.

8. Multi sacerdotes, cum nimio labore aliquibus diebus gravati sint, de facto ab *Officii* recitandi obligatione solutos se putant.

Quod si contraheretur, omnibus sacerdotibus facultas id dicendi daretur, etiam diebus quamvis laboriosis.

Ad unam partem quidem brevissimam omnes tenerentur, altera ad libitum iis reservetur, qui maiore otio fruantur ... et maiore devotione animentur. Ita, opus Dei non onus diei, ut interdum solet, esse videretur.

In locum quarumdam lectionum, lectiones sancti Evangelii, vel sancti Pauli Epistularum substituantur, cum non pauci sacerdotes, qui prae labore vix Officium recitare possunt, quotidianam sancti Evangelii lectionem negligant.

9. Perutile esset *vernacula lingua* magis ac magis uti in liturgicis caeremoniis, in his praecipue partibus quae, in Missis cantatis, in sacramentorum administratione, in ex sequiarum caeremoniis ad fidelium instructionem spectant.

Latina lingua omnino servanda est, quae est officialis lingua in Ecclesia, sed ex altera parte, caeremonias sacras a vulgo intelligi oportet v. g. Prophetiae Sabbati Sancti in lingua vernacula legi possint; item sanctum Evangelium Passionis Domini nostri Iesu Christi, dum a Celebrante, submissa voce legitur; item caeremoniae quaedam Cinerum, Purificationis, Palmarum benedictionis ... etc. ...

10. *Ius canonicum* expediendum atque explanandum esse. Tollenda singularia praesertim et privilegia, quibus Iuris unitas frangitur atque implicatur.

11. Impedimentum *consanguinitatis in tertio gradu* lineae collateralis abrogetur, ne propter hoc invalidi matrimonii periculum quandoque sit, in nostris saltem regionibus.

12. In administratione sacramenti *Poenitentiae,* cuilibet sacerdoti, ab Ordinario rite approbato, iurisdictio concedatur ad recipiendas confessiones quorumlibet aliorum sacerdotum, ubique terrarum.

13. Parochi potestatem habeant quemcumque alium sacerdotem delegandi ad infantes confirmandos, qui in periculo mortis versantur.

14. Viatores (hoc terminum prudenter definiri debet!) lege *abstinentiae feriis sextis* ne adstringantur.

15. Sacerdotibus, qui itineris causa impediti sunt ne Missam mane celebrent, liceat, lege ieiunii servata, *serotinam Missam,* etiam *privatim,* celebrare.

16. Fit ut laici vel optimi, necnon religiosi quidam, omnibus rebus praediti, indiscrete fremant « strepitus pecuniarios circum aras » fieri, cum in permultis dioecesibus plerique sacerdotes acriter egeant.

Docta ex aliae atque aliae regionis experientia, nonne Mater Ecclesia uniformem modum *ad copias necessarias acquirendas* instituere posset, scilicet ad cultus denarium percipiendum, vel ad exsequias aut matrimonia taxanda, etc. ...

Hoc opportuno decreto iniquae atque malevolae sententiae tollerentur.

✠ IOANNES GAY
Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis

2

Exc.mi P. D. HENRICI M. VARIN DE LA BRUNELIÈRE

Episcopi S. Petri et Arcis Gallicae
(Fort-de-France et Saint Pierre)

Execellentissime Domine,

Cum in aliqua regione notabiliter culta a schismaticis vel protestantibus numquam vixerim, me ab omni animadversione relate ad eos abstineo.

Per triginta vero tres annos, ministerio meo fungor inter populum, cuius maxima pars constituitur hominibus (ut dicunt vulgo « de couleur »), provenientibus nempe e stirpe africana vel e duplici stirpe africana et europeana. Praeterea, studium relationum inter gentes vulgariter dictas « albas » et « nigras » semper me allexit; quapropter puto, circa hanc materiam ad Eminentes Patres huius pontificalis Commissionis, aliquod votum a me proferendum esse.

Quaedam animadversio praemitti debet. Egomet stirpe mere europeana sum et consequenter, sub hoc aspectu nulla ratio praeiudicandi in favore fuscae gentis, in me suspecta haberi potest.

Votum quod in fine huius relationis concipiam, in sequentibus considerationibus nititur: exceptione facta pro actione missionum christianarum, proh dolor! commercium inter populos sic dictos « albos » et « nigros », pro his ultimis causa doloris et amaritudinis plerumque fuit. Est factum.

Recordari sufficit servorum mercatum! Isti miserrimi viri e terra patria rapti sunt, in servitutem redacti, a mercatoribus christianis translati ad regiones Americae septemtrionalis; ad alteros christianos venditi sunt tamquam servi consequentibus omnibus miseriis materialibus et spiritualibus. Tandem aliquando, post serotinam servitutis abolitionem, segregatio seu discriminatio generum (la ségrégation raciale, ut dicunt) saepe saepius secuta est nonnumquam approbata et acceptata a legibus, multiplices humiliationes et vexationes secumferens, non exclusis, ut patet, pessimis criminibus, generaliter inulta a lege, (memento, e. g., sic dictum « lynchage »).

Absque dubio, « colonisatio » Africae, in eius regiones, plurima attulit beneficia: hoc denegari non potest. Attamen, etiam nonnullos secumtulit abusus, v. g. violentias, labores coactos, fautum incrementum vitii ebrietatis scilicet alcoolismi etc. ... quae omnia in populis afris, amaras recordationes reliquerunt.

In Africa meridionali, decem millia millium incolarum fuscarum sunt intentionaliter, legaliter condonati commodis minimi numeri habitantium « albi coloris » quorum imperium gubernatores servare intendunt, mediantibus viis iniquissimis. Haec minima pars civilium vitam satiatam commoditatibus eximie ducit, opera laboris et privationum populi nigri qui proinde non habet, ut videtur, nisi obligationes. Nil iuris pro eo: denegantur ei iura fundamentalia personae humanae nempe ius proprietatis, ius mercedis sufficientis, ius ad consociationem operariam (syndicalismum), ad decoram habitationem; ius iter faciendi libere in propria regione, ius ad eruditionem et artes honestiores, ad ipsam vitam familiarem quae dissoluta invenitur, patribusfamiliae saepe exentibus ad laborem fodinarum in multis similem ei qui in Unione Sovietica invenitur. Huiusmodi omnino iniqua legislatio praebetur tamquam modus tuendi christianam civilsationem cuius revera non est nisi contradictio. Et hoc nihil minus est quam blasphemia!

Consequuntur innumerabiles materiales et morales miseriae et infallibiliter odium et desperatio. Etenim, omnis spes ad meliora proscripta videtur.

Haec omnia opponuntur saluti animarum.

Episcopatus Africae meridionalis, contra hos abusus admirabiliter fortiterque egit. Excellentissimus D. Hurley, archiepiscopus Durbanianus, recenter declarare potuit:

« Lorsqu'on en vient à des excès commis par des hommes qui croient en un Dieu, Père de tous, et en Jésus Christ, rédempteur de tous, on ne peut pas comprendre. Comment des Chrétiens, avec la loi de l'amour gravée dans leurs esprits et dans leurs cœurs, peuvent-ils froidement, rationnellement, méthodiquement accumuler année après année injustice sur injustice au nom de la loi, nom vénérable et par ce qu'il évoque de divin, et qui devient synonyme de misère et de désespoir pour les trois quarts de la population de l'Afrique du Sud? ... Les emplois que l'on va réserver aux blancs peuvent être exercés par des non-blancs. Les réserver, c'est réduire les possibilités de gagnepain pour des gens pliant déjà sous Dieu sait quelle pauvreté criante. Si l'injustice envers les pauvres crie vengeance au ciel, quel pardon pourra-t-il y avoir au jour du jugement » (cf. « Les emplois réservés aux blancs » in « La documentation catholique », 5 juillet 1959, N. 1307, p. 861).

Revera ipsi christiani, protestantes pro maxima parte, in his adiunctis criminari debent. Sed nonnulli catholici etiam, ut verificatur in Statibus Unitis Americae Septemtrionalis, ad has circumstantias sese accommodant et annuunt.

Quidam episcopi in partibus meridionalibus Statuum Unitorum Americae, Excellentissimus Archiepiscopus Novae Aureliae e. g., sua programmata relate ad « integrationem » in scholis imo in paroeciis applicare non potuerunt propter oppositionem et malam voluntatem insignis partis suorum dioecesanorum.

In multis regionibus Africae et Americae cives « nigri » admitti in eodem gradu aequalitatis ac alteri, nempe tamquam eorum fratres non se sentiunt. Sibi conscii sunt essendi tantum tolerati. Profecto conversiones « nigrorum » americanorum ad catholicismum frequentiores fuissent si revera catholici albi genere magis fraterne sese gessissent (inter 15 millia millium nigrorum in Statibus Unitis, minus quam 500 millia sunt catholici, unus pro triginta!).

In America, infimus remanet numerus sacerdotum nigrorum. Ex experientia attamen ab aliquibus diocesibus in partibus gallicis Insularum Indiarum occidentalium (vulgo Antilles françaises) oblata, clare patet, ex istis populis religiosissimis, optimum clerum, necnon religiosas venerabiles et idoneas educi posse et inter utraque quosdam undequaque eximios.

Scienter vel inscienter, permanet ergo discrimen generis (racisme) adversus populum nigrum, nonobstantibus Sanctae Sedis exhortationibus iteratis. Proximum Concilium Oecumenicum ad christianorum unitatem laborare debet. Precari audeo ut, reservata aliqua parte eius activitatis ad hoc, pugnet contra huiusmodi discrimen, illud condemnet denuo, convertat oculos cleri et fidelium ad istam gravissimam causam difficultatis et divisionis, ad istam obicem ad salutem animarum plerumque dignissimarum reverentia et quidquid est, ut omnium, redemptarum sanguine Domini Nostri Iesu Christi.

✠ HENRICUS M. VARIN DE LA BRUNELIÉRE
Episcopus S. Petri et Arcis Gallicae

3

EXC.MI P. D. AUGUSTI GRIMAULT
Episcopi tit. Maximianopolitani in Palaestina

Langonnet, die 2 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae diei 18 iunii cum tertia hebdomada augusti tantum receperim, quia me non invenit in Fort-de-France (Martinique), rogo ut excusatus habear ob adeo dilatam necnon laconicam re-

sponsionem. Nam de quaestionibus futuro Concilio proponendis insufficienter cogitare ante terminum indictum potui, ideoque nonnisi sequentia, etsi minoris momenti, suggerenda video:

1. In liturgia, optandum mihi videtur ut ad suum terminum ducatur reformatio Missalis et Breviarii, et pro Breviario, per revisionem lectionum, speciatim historicarum, et, in quibusdam festis, per novam partitionem psalmorum.

2. Item in liturgia, accomodare oportet quosdam ritus pontificales, v. g. consecrationis ecclesiarum et altarium, praesertim ad regiones tropicales quod attinet.

3. In theologia, ut patet, continuandum erit Concilii Vaticani schema, speciatim de episcopis, de missionibus, de actione catholica.

Haec paucissima dum profero, Eminentiam Tuam rogo ut dignatur suscipere humilem animi sensum quo me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum servum

✠ AUGUSTINUS GRIMAULT
Episcopus tit. Maximianopolitanus
in Palaestina

NICARAGUA

1

Exc.mi P. D. MARCI A. GARCÍA Y SUÁREZ
Episcopi Granadensis (Granada)

Qui responsum dedit una cum Conventu Episcopali Americae Centralis et Panamae (CEDAC).[1]

2

Exc.mi P. D. ISIDORI A. OVIEDO Y REYES
Episcopi Leonensis in Nicaragua (León in Nicaragua)

Leone, 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Cum litterae Tuae sub. N. 1 C/59-739 signatae a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico provenientes ad me pervenerint, magno cum gaudio ad eas me referre volo:

Revera postquam Litterarum sensum aperui, de necessitate maxima rerum et argumentorum in Concilio Oecumenico pertractandorum certus sum. Et quidem valde humili animo ac sinceritate plenus, capita convenientia, experientia undeviginti annorum in Episcopatu imbutus exposui, ea coram Domino indicans in bonum maximum respiciens, quod ut fructus abundans Concilii Oecumenici exspectatur.

Faxit Deus ut hic fructus pro mundo, auxilio operoso ac instanti egente colligantur, ne tantis vexetur adversis.

Hoc revera modo, Venerabilis Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, iuxta praedictum Officium, commissa exsequi atque peragere volui.

Una cum Dioecesis fidelibus Deum pro secundo Concilii Oecumenici eventu, petemus atque precabimur.

Gratias interea de Officiis Tuis plurimas rependo, meque profiteri gaudeo

Eminentiae Tuae addictissimum

✠ Isidorus A. Oviedo y Reyes
Episcopus Leonensis in Nicaragua

---

[1] Cf. pp. 521-523.

Caput I

Revisio textuum Sacrae Theologiae et Scripturae

Etsi copia doctrinae Sanctae Matris Ecclesiae perfecta atque praestans ostenditur, illa v. g. quae praecipue in Sancta continetur Theologia et Sacra Scriptura, ratione tamen proximi Concilii Oecumenici quod, Deo favente, Romae peracturum, et Theologiae textus qui traduntur in Seminariis ad conformationem alumnorum, et illi ad institutionem inservientes Religionis in Scholis, Institutis et Catholicae Actionis concionibus, recensendi putamus.

Humiliter quidem animo vero sincero patefacimus quod tales adsunt theologici textus qui, maximam quoad partem, fere ex uno tantum latere, nempe theorico, rem inspiciunt theologicam absque directione in praxim, quomodo in dies nova vitae problemata, scientiae progressu et artium vindicant sibi praecipue in re morali, sociali fideique praesidio.

Cum Revelationis thesaurum indubio soli Ecclesiae pertineat, ipsae ius est ministros instituendi, veram exprimentes doctrinam catholicam optimosque ipsius doctrinae propugnatores. Necessario igitur et S. Theologiae et Scripturae Sacrae textus sunt considerandi; quomodo contextentur et qua methodo doceantur.

Revera fatendum est nobis, auctores textuum diligenter operam dare in disciplinam omnino exhauriendam, quin doctrina praebita ad problema actualia practice solvenda dirigatur; medulla quidem doctrinae theologicae quae ut principium moderans esse deberet, extra vitae exigentias sistit.

Casus e praxi sumptus ille qui frequenter in America relate ad protestantes accidit. Pastores eorum, ab improviso edocti, levibus utuntur scriptis difficultatibus plenis quas ante sacerdos, nisi plus cognitionis quam illa in Seminario accepta acquisierit, non facile has dissolvit difficultates. Age vero, sacerdos religiosus hispanus cuidam sacerdoti dioecesano dicebat: Vos quidem forsan non theologicis studiis speculativis eadem vi ac nos in Hispania vacetis, quotidie tamen melius esse paratos apte ad hos errores dissolvendo pervincor.

Pernecessarium enim censeo hos topicos tanti momenti in Concilio Oecumenico considerandos nempe:

a) Revisio textuum ad institutionem in Seminariis Theologiae speciatim et Sacrae Scripturae.

b) Recensere methodum adhibitam in institutione; qua methodo alunni fructus sapidissimos vitae practicae et apostolatui colligi possint.

Caput II

Disciplina cleri

Magna cum certitudine exsistimo Pontificias directiones nec meliores nec praticiores esse posse. Positivi certe effectus non advertuntur ut est in spe, relate praesertim ad novissimas Litteras Encyclicas principiis enixas facilis exsecutionis.

Contrarium enim accideret si in clero numerus exsisteret sacerdotum in re praecipue sociali enutritorum. Non sine animi moerore, certior factus sum de accurata desidia hac in re ita ut populus christianus generatim Litterarum Encyclicarum *Rerum Novarum* et *Quadragesimo Anno* medullam sane ignoret. Quae Litterae, si iuvenes studia altiora aggredientes ab optimis exiti lyceis religiosis ignorant, quid de populo hoc in sensu dicendum?

Ad rem, memini S. S. Pium XII in mea visitatione « Ad Limina » loquentem de munere iuxta operarios. « Si tales prae oculis haberentur Litterae Encyclicae, dicebat, ubi mens continetur Ecclesiae veraque directio, longe aliter res accideret ».

Quam ob rem ad hoc iter Sanctam puto Sedem suas posse dirigere actiones cum praesertim de Actione Catholica agitur.

Quoddam iussum revera desidero strictam comprehendens obligationem huius apostolatus constitutionis et incrementi, quae obligatio etiam ad religiosos et moniales maxime hoc in apostolatu simul cum Hierarchia operantes, extendi debet. Non raro vita experientiam praebet michi Monialis moderatricis collegii institutionem impedientis Centri sic dicti Interni Actionis Catholcae, n Collegio sub eius cura.

Ut ergo cum fructu elaboremus, agere oportet de obligatione Actionis Catholicae et curare ut in fidelibus instilletur doctrinae Litterarum Summorum Pontificum accurata cognitionibus.

Caput III

Disciplina populi christiani

Plane conscius sum fidem populi nostri sicut et fides fere omnis Americae Latinae, sub Ecclesiae umbra protectam esse. Quae fides etsi in traditionis legato fundata, solido tamen caret fundamento, nam, ignorantia religiosa superstitione innititur, precibus formulisque memoriae traditae absque sensus cognitione.

Expedit enim:

a) Diligenter commendare Americae Latinae Episcopatui, institutionem Scholae Radiodiffusae eadem methodo ac Mr. Salcedo in Sutatenza utitur, et cuius effectus in catholica institutione tot millionum Colombianorum gentiumque finitimarum non ab oculis nostris fugiunt.

b) Iuxta novissimam relationem de institutione Cathechismi ad S. Congregationem Concilii missam, omnes existimo Dioeceses instituere debere iuxta praefinitum modum agendi, Officium Catecheticum, ipsius Ordinarii approbatione propriisque elementis repraesentativis in singulis Paroeciis.

c) Spiritus missionarius ad societatem instaurandam intra Ecclesiam et Neopaganismum Sacerdotes inter et laicos tollendum accendi debet, mysticam Pontificum subsequentes, Pii XII praesertim et Ioannis XXIII prospere regnantis, et ut illi extra illam laborantes, quodamque egentes Samaritano vel e clero exhaurito vel a laicis, Legione praecipue utens Mariae et Motu pro Mundo Meliore, optima Catholicae Actionis auxilia, secure allici possint.

Caput IV

Negotia maioris momenti quae eadem Ecclesia obire hodiernis debet temporibus

Revera ante omnium populorum politicam atque oeconomicam crisim:

a) Conventio Episcoporum uniuscuiusque nationis minimum programma et concretam ac iustam positionem assumere debet, cui programmati et positioni cuncta Hierarchia animo pareat obsequioso. Ad hoc multum iuvat si examen de adiunctis uniuscuiusque nationis et de experientia acquisita instituatur.

b) Si exigentiam perfectionis conscientiae catholicorum, secundum Ecclesiae doctrinam, ut ipsi recte fungere possint ubi Dei Providentia locaverit omnes patet, Ecclesiam tamen importune inmiscere rebus politicis subversionibusque versus auctoritates iure constitutas, longe ab animo eorum esse debet.

c) Si hoc, ut patet, de fidelibus, a fortiori de clero ut tali ne verbo aut scriptis tales motus periculis plenos excitet.

d) Sanctae Sedis legatos, ut patet, simul ac uniuscuiusque nationis Hierarchia, strenue ac diligentissime in cognitione proprietatum civilium auctoritatum versari debere et iustum atque probum iudicium confidenter Sanctae Sedi referre, ne improviso manifestationibus invadatur politicis, neque homines vitae aperte doctrinae iudicioque Ecclesiae oppositae, distinctionibus ornentur ecclesiasticis.

Protestantismi enim sectatores et communismi, ob hanc ut ita dicam irregularem rei conditionem proficiunt, quia abest inquisito circa mores et vitae rationem eorum rem dirigentium publicam.

e) Ut clerus et catholici vires strenue adunent ut e medio doctrinae dissolventes, communismi praesertim, tollantur, populum erudientes in doctrina Summorum Pontificum hac de re, accurata expositione poenarum catholicis has transgredientibus Ecclesiae dispositiones, nomine subscriptis vel vita activa in acie huius doctrinae.

Magno cum gaudio experior gubernantes et homines in re versati politica exoptari ut litterae adversus communismum in cognitione gentium tradantur cum speciatim haec a Sancta Sede nascuntur.

Ad modum igitur exempli: Nuper quidam peritus reipublicae ad Concilium Inter-Americanum Limae perfectum legatus, ut programmata Universitatum Hispano-Americae in unitatem revocarentur, « Oportet, dixit, ut catholica religio etiam in Universitatibus doceatur ». Cum eum obiecit legatus Chilenus, « Collega, memor esto vos ad faciem liberalem vestrae nationis adscribi », « etiam, respondit, fateor tamen, tantum mysticam Catholicae Ecclesiae ab impetu nos liberabit communismi ».

f) Militiam catecheticam aggredi debere censeo pueros inter praesertim Scholarum Publicarum eos informantes de imminentibus mundi periculis et de orationis praecipue utilitate. Ex hoc genere puerorum, ita edocti, optimas vocationes et catechistas perexcellere solent.

Caput V

Ceterae omnes res

Prae oculis ac mente multiplicitatem operis sacerdotii his in temporibus considerans, reformationem fateor et ieiunii et abstinentiae, Missaeque vespertinae opus permultum levare, utilitatis tamen foret reputo quamdam S. Breviarii modificationem. Matutinum v. g. uno Nocturno hoc modo posse constare: Prima Lectio e Sacra Scriptura excepta, secunda e vita Sancti commemorati; tertia vero, ut conclusio vel consideratio priorum, mediationis instar et propositi in diem.

Caput VI

Ignorantia religionis ratio primaria morum corruptionis in mundo

Praeter enim causas quas ipsi Summi Pontifices, Pius X praesertim Litteris Encyclicis *Acerbo Nimis;* Pius XI *Divini illius Magistri* et Pius XII illustratis ac praeclaris monumentis notant, fatendum est mihi rationem primariam huius corruptionis hanc esse:

a) Ab ullo sane dubio multae Congregationes Religiosae et hominum et mulierum pro pueris et puellis instituendis Ecclesiam pervadunt. In concionibus tamen Episcoporum et praecipue in sermone Episcoporum Americae Latinae in S. Sebastiano fluminis Ianuarii peracto, dolenter patuit duos errores in collegiis catholicis inveniri.

Primo: Remuneratio adeo immodica, ut tantum opulenti solvere eam possint populusque in sua manet ignorantia. Nam si evidens est populum ad publicas accedere scholas, ibi etiam patet eos doctrinas praecipue dissolventes recipere hostesque maxime Ecclesiae foveri.

Secundo: Praeter immodicum onus scholae, etiam gravantur alumni pretio vestis formae colorisque certae eius adsignatae. Hoc modo agendi, religiosa instructio iuvenum ab humilibus fugit tectis.

In Concilio igitur puto hanc tanti momenti quaestionem pro catholici populi progressu accurato studio ditari.

b) Cui addendum:

Evidens est instructionem religiosam in alumnis argumento ac convictione carere qua de causa cor eorum non iuxta leges doctrinae catholicae conformatur et ut sequela, ex Lyceis non eadem formatione ac Ecclesia pro rerum varietatem desiderat, hoc est: catholici convicti operantes, non egrediuntur.

Quam inoperantiam, ut ita dicam, inordinatam, hac praecipue in Sede Episcopali experior ubi Universitas Nationalis Nicaraguensis incolat. Alumnorum lemma, oh dolor! « Accedimus, aiunt, ex Collegio precibus ac Communionibus defatigati ».

Ac ne haec rei evidens aestimatio hyperbolice iudicetur, hoc monumentum observatione quam Prima Concio Regionalis Pacis Romanae in civitate Sancti Salvatoris habita anno 1954, Hierarchiae nationum adstantium in relata Concione illustro. Quaeso, igitur, ut capita his in litteris contenta, attento ac studioso animo considerentur.

c) Tandem, si in ordinem essentialem atque practicum Catholicam Actionem redigere volumus, expedit ut animus intendatur in hanc quaestionem et, ut dictum manet, quoddam iussum strictae obligationis omnibus mundi Dioecesibus tradatur.

d) Etiam pernecessarium foret censeo catholicos adhortari per Litteras speciales ne in societatibus sic dictis « Rotarii » et « Leones » etc. ingrediantur. Quae societates absque Christo militant et leo quidam ut symbolum vel rota dentata pro Christo supponitur, indifferentismum religiosum parentes sicut et contemptum subscriptorum has neutras associationibus in laborem actionis Ecclesiae, maxime in operibus Actionis Catholicae.

Inde concludo, nisi accurate ac serio adscriptio catholicorum in

his associationibus neutris prohibeatur, numquam Actio Catholica prospere aget. In praxi experior, consilium traditum iuxta Codicem Iuris Canonici non vi ac robore praesignato frui. Urget igitur prohibitio formalis a Sancta Sede.

Quid hucusque de collegiis signatum manet idem de copia animarum rure vitam degentium atque Christianam ignorantium doctrinam. Hae animae misere ad modum paganorum vivunt absque Ecclesiae auxiliis moriuntur.

His consideratis; censeo:

a) Plurimos domos residentiales Religiosorum ad haec loca ruralia tendere debere.

b) In civitatibus illi sacerdotes reponendi sunt cuius opus rure est meritissimum et vires operi flagitanti fortitudinem animi corporisque apostolatui impendere non possunt.

Caput VII

Preces pro unitate

Ad modum denique epilogi huius mei iudicii, ut Sancta Sedes Officialem Precationem emittat pro secunde Concilio perficiendo suggero, relate praesertim ad finem maximum i. e. unitatem fidei, fratrum nostrorum dissidentium adventu, ut omnes unum sint et ut fiat unum ovile et unus Pastor. Quae oratio post Missam recitari posset dummodo proximum Concilium Oecumenicum, Deo iuvante, prospere perficiatur.

✠ Isidorus A. Oviedo y Reyes
Episcopus Leonensis in Nicaragua

3

Exc.mi P. D. VINCENTII A. GONZÁLEZ Y ROBLETO

Archiepiscopi Managuensis (Managua)

Managua, 3 octobris 1950

Infrascriptus Archiepiscopus Managuensis haec quae sequuntur, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico, proponit:

1. Privilegium Paulinum extendatur ad protestantes quae convertuntur, can. 1120.

2. In locis catholicis, impedimenta mixtae religionis et disparitatis

cultus non dispensentur nisi urgeant iustae et *gravissimae* causae (can. 1061).

3. In administratione baptismi adultorum vel parvulorum, ritus liturgicus restringatur quantum possibile; etiamque omnes orationes in plurali numero dicere possent quando plures baptizentur (can. 755).

4. Post breves studiorum annos ordinari possint sacerdotes ad ruralium paroeciarum, populorumque incultorum ministerium, destinati (can. 1365).

5. Parochi et missionarii uti possint omnibus benedictionibus quae in probatis ritualibus continentur (can. 1147 § 2).

6. In Seminariis interdioecesanis erigi possit Facultas Iuris Canonici iuxta normas Pontificias, ad gradus academicos obtinendos, his in locis ubi Universitates Catholicae desint, ita ut Sacerdotes idonei ad tribunales et Dignitates facile habeantur (can. 1357 § 4 et Postulatum IX Patrum Conc. Plen. Amer. Lat. Vid. Acta Conc. p. CIX).

7. Omnis Sacerdos Missam celebrare possit in mare (can. 822 § 2-3).

8. Praeceptum applicandi Missam pro populo adimpleri possit ab Episcopo vel Parocho una cum applicatione Missarum quae occasione festorum solemnium a fidelibus suffragantur (can. 339 § 4, 466).

Salvo meliore iudicio.

✠ Vincentius A. González y Robleto
Archiepiscopus Managuensis

4

Exc.mi P. D. OCTAVII I. CALDERÓN Y PADILLA

Episcopi Matagalpensis (Matagalpa)

Matagalpa, 4 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Magno gaudio accepi litteras tuas quibus mihi nuntias Summum Pontificem Ioannem XXIII te praesidem nominasse Antepraeparatoriae Commissionis, ab Ipso creatae, proximi Concilii Oecumenici.

Et petis a me ut de doctrina aut disciplina aliquid exponam.

Unice de disciplina loquar, tam cleri quam populi christiani.

Et in primis de Religiosis. Considero esse occasionem Concilium ut Ecclesia studere possit privilegia religiosorum. Etenim multi Ordines Religiosi ortum habuerant necessitate temporum et hodie non sicut Fundatorum mentes existunt.

His Dioecesibus Americae, quotannis in sua populatione augentibus, Episcopi non possunt adimplere totam pastoralem suam missionem propter exemptionem religiosorum et etiam discriminationem saecularium religiosorumque sacerdotum.

Ubi Religiosi habent quasi pastoralem apostolatum inter fideles debent Ordinariis plene obedire, qui libere eos mittere possint uti praesentia parochorum urgeat. Frequenter paroeciae sine pastore sunt dum religiosi in Ecclesiis suis multos habent sacerdotes. Sic paroeciae (cellulae vitales) detrimentum sufferunt et ecclesiae religiosorum, generaliter sitae locis divitibus, splendorem adquirunt.

Ipsa Actio Catholica, quae providentialiter prospicit ad hierarchiam reducere fideles, non omnia desiderata producit.

Attamen, non est labor religiosorum spernendus, sed ordinate abundantiam dabunt quae hodie non colligitur in Ecclesia, praesertim in paroeciis.

Exemptio religiosorum alteram hierarchiam creat et sic unitatem frangit Ecclesiae, praesertim Dioecesis.

Spes melioris disciplinae surgit quando Summus Pontifex, sua prima Encyclica, de unitate specialiter tractat. Si populus christianus unitate fulgere debet, quanto magis clerus.

Ad fideles quod attinet significare mihi opportunum videtur quod societates neutrae (Rotary, leones etc.) his temporibus multiplicantur damno Ecclesiae quia non prohibitae sunt, et sic omnes credunt pertinere his societatibus non periculosum esse. Philanthropia etenim caritatem veram suplantat et etiam Ecclesia catholica detrimentum suffert.

Hanc occasionem nactus, me E. V. profiteor add.mum,

✠ OCTAVIUS I. CALDERÓN Y PADILLA
Episcopus Matagalpensis

5

EXC.MI P. D. MATTHAEI A. NIEDHAMMER
Episcopi tit. Caloeni, Vicarii Ap. Bluefieldensis (Bluefields)

Die 15 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Concilium Oecumenicum modernum iamdiu desideratum, recenter a Summo Pontifice Ioanne XXIII, glor. reg., vocatum et mox celebrandum certissime mundum Catholicum magno gaudio et spe replet quia multum

ab eo exoptat. Erit hoc Concilium maximum eventum huius saeculi vigesimi pro orbe Catholico, immo et pro tota humanitate. Oramus et supplicamus Dominum Spiritum Sanctum ut maximis gratiis suis, lumine, unctione spiritus ac fortitudine Summum Pontificem Ioannem XXIII et omnes Patres futuri Concilii repleat ac roboret.

Quod attinet vero ad sententias, consilia ac vota quae Eminentia Vestra Reverendissima nomine Suae Sanctitatis a me recenter postulavit circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, humiliter ac sincere quae sequentur Tibi communicare satago, modulo meo et pro posse.

1. Quod futurum Concilium nominetur Concilium Vaticanum Secundum, tum quia plura sunt quae uti desiderata relicta sunt ex Concilio Vaticano primo, et quae probabiliter valde bene et optime in hoc Concilio futuro tractari ac definiri poterunt (plures res per omnes istos annos in Schemate Concilii Vaticani Primi clare iacent et vel discussione vel definitione indigent) tum quia nam per quasi nonaginta annos Summi Pontifices in Vaticano resident.

2. Quod cum emphasi speciali tractentur quaestiones de Capitalismo et de Communismo; item de divitiis mundi, de paupertate et miseria multorum, de labore et de distributione bonorum in mundo.

3. Quod Communismus Atheisticus solemniter damnetur sicut iam damnatus est a Summis Pontificibus Pio XI et Pio XII.

4. Quod Totalitarismus, utpote servitus politica populorum, quasi sicut Communismus damnetur.

5. Quod bellum nucleare, i. e. cum bombis atomicis et hydrogenis, cum omnibus horroribus ex illis sequentibus damnetur; item dicendum de attritione civitatum apertarum cum bombis; item dicendum de servitute humana et omnimodi indignitate contra libertatem et nobilitatem humanae personae quae crimina iam per annos facta sunt vel a Nazistis, vel a Communistis et ab aliis, speciatim in sic dictis campis concentrationis (campi di concentramento). Concilium iterare posset condemnationes omnium istarum rerum iam a Summis Pontificibus Pio XI et Pio XII factas; item dicendum de racismo; et Concilium iterare etiam posset veram doctrinam de libertate et de dignitate uniuscuiusque hominis ac nationis.

6. Desiderandum est quod omnia puncta doctrinae quae a Summis Pontificibus qualicumque modo prolata essent vel promulgata sive per Constitutiones Apostolicas, sive per litteras Encyclicas vel in alia forma, a Concilio co-ordinentur, illuminentur, ac si fieri posset, definientur. Suggero hic aliqua capita de istis punctis doctrinae:

a) Summi Pontificis Leonis XIII; Encyclicae vel Constitutiones

Apostolicae de doctrina St. Thomae Aquinatis, de Capitali et Labore, de Mariologia, de SS. Rosario, de Familia Christiana.

b) Summi Pontificis S. Pii X; Encyclicae vel Constitutiones Apostolicae de Mariologia, de Modernismo, de Catechizandis Fidelibus, de Frequenti Communione, de Communione puerorum, de Musica Sacra et de Pace Servanda inter Nationes.

c) Summi Pontificis Benedicti XV: Encyclicae vel Constitutiones Apostolicae de belli horrore, de pace procuranda et servanda, de Sacra Scriptura, de Missionibus fovendis.

d) Summi Pontificis Pii XI: et Encyclicae vel Constitutiones Apostolicae de Pace et Bello de Missionibus, de Matrimonio, de Educatione, de Racismo, de Capitalismo, Labore, et Communismo Atheistico de Totalitarismo, et de dignitate humana.

e) Doctrina modernorum Summorum Pontificum Leonis XIII, S. Pii X, Benedicti XV, Pii XI, et Pii XII de Christo, de SS. Sacrificio Missae, de SS. Comunione et eius effectibus, de Redemptione omnium hominum, de Regalitate Christi, de SS. Corde Iesu, de Triplici Amore SS. Cordis Iesu; etiam eorum doctrina de Maria SS.ma, uti « Alma Socia Christi in Opere Redemptionis », de Maria Mediatrice Omnium Gratiarum, de Assumptione B. V. M. in Coelum.

f) Est in votis quod doctrina de Maria uti « Alma Socia Christi in opere Redemptionis » clare definiatur. Nobis videtur quod Maria est vera Co-Redemptrix, sicut moderni Summi Pontifices docent, et sicut habent e. g. S.ti Bonaventura, Albertus Magnus, Robertus Bellarminus, Laurentius Brundusinus, Ioannes Eudes et alii uti B. Raymundus Lullus, Franciscus Suarez, Salazar, Olier et multi theologi moderni.

Nobis videtur Mariam cooperasse immediate in obiectiva Redemptione nostra; et ita quidem, uti docuit S. Pius X (*Ad diem illum,* feb. 2, 1904) quia Maria meruit de congruo quod Christus pro nobis meruit de condigno. Benedictus XV affirmat quod « Maria una cum Christo humanum genus redemit » (*Inter Sodalicia* martii 22, 1918). Pius XI Mariam vocat « Co-Redemptricem » (Nuntius radiophonicus ad Lourdes, aprilis 28, 1935) et Pius XII dixit quod Maria « uti Nova ... Heva eum (Christum) in Golgotha obtulit » (*Ad Caeli Reginam,* 1954). Iterum Pius XII vocavit Mariam « Almam Sociam in opere Divini Redemptoris, tum in lucta cum inimico, tum in victoria eius super omnia » (*Ad Caeli Reginam,* 1954). (Cf. Iuniper B. Carol, O. F. M., *De Coredemptione Beatae Virginis Mariae,* Tipographia Vaticana,, 1950).

g) Est etiam in votis quod doctrina de Maria Mediatrice Omnium Gratiarum a Concilio clare definiatur, in eo sensu quod Maria cooperat in nostra Redemptione subiectiva, i. e. distribuendo gratias omnes

quas Christus meruit cum Maria in Calvario. Talia enim habet Leo XIII dicens quod ex illo magno thesauro gratiae quem nobis Christus attulit, nihil nobis datur nisi per Mariam, quia talis est Dei voluntas (*Octobri mense,* sept. 22, 1891). S. Pius X scripsit quod Maria est Dispensatrix omnium munerum quae Iesus nobis promeruit quia illa, patiens cum Christo in Calvario « meruit dignissime fieri Reparatrix mundi perditi » (*Ad diem illum,* 1904).

b) Etiamsi Regalitas B. V. Mariae non est nova doctrina, nihilominus bene esset aliquid etiam de hac re in Concilio statuere in sensu de quo Pius XII de illa Regalitate locutus est in Encyclica sua *Ad Caeli Reginam,* (11 octobris 1954).

7. Speciali modo insistendum esset in doctrina Pii XII in suis Encyclicis vel Constitutionibus Apostolicis de Mystico Corpore Christi (1943) de S. Liturgia (*Mediator Dei,* 1947) de Sacramento Ordinis (1947) et circa puncta maioris momenti Encyclicarum *Humani generis* (1950) et *Sempiternus Rex Christus* (1951). Omnia illa puncta doctrinae definiri poterunt solemniter et, sicut res supra nominatae, in Catechismis omnibus inseri deberent.

8. Bene etiam esset in regulis disciplinae ecclesiasticae a Concilio ferendis includere regulas novas de Ieunio Eucharistico a Pio XII datas, mutationes et abbreviationes in Breviario Romano (S. Congr. Rit. martii 25, 1955), et etiam reformationem totius Breviarii sicut in votis est iam a pluribus annis; et Decretum S. Cong. Rituum a Pio XII approbatum de Musica Sacra et de Sacra Liturgia, (sep. 3, 1958), ita ut populus Dei semper magis ac magis participationem habeat cum Sacra Liturgia.

9. Hac in re liturgica bene nobis videtur quod aliqui recenter proponunt (utique semper sub auctoritate S. Sedis et Rev.morum Ordinariorum) quod praesertim in Missionibus pro posse et necessitate aliqui laici instruentur satis bene (etiamsi iam in matrimonio vivant) et uti diaconi ordinentur ad adiutorium cleri et populi in sensu in quo Exc.mus ac Rev.mus Wilhelm van Bekkum, S. V. D., Vicarius Apostolicus de Ruteng, Flores, Indonesia, praeclare exposuit in Primo Congressu Internationali Liturgiae Pastoralis, Assisi-Roma, 18-22 sept., 1956. (*The Assisi Papers,* The Liturgical Press/St. John's Abbey, Collegeville, Minnesota, U. S. A., 1957, pp. 95-112). Valde utile esset haec institutio diaconorum praesertim ob paucitatem sacerdotum generatim hodie in mundo.

10. Ob valorem pastoralem in S. Liturgia quae est Didascalia Populi Dei (Pii XI) et quia orationes in Missa generatim breves sunt, forsitan bene esset post Evangelium, vel post « Oremus » ad Offertorium inserire « Orationem Fidelium » i. e. pro omnibus gradibus po-

puli, pro necessitatibus populi, et etiam patriae et ecclesiae propriae, sicut habent Liturgiae Orientales, et sicut diversa Missalia Francorum etiam antiquitus habuerunt in Occidente. Ex.mus ac Rev.mus Wilhelm van Bekkum, supra nominatus, etiam talem orationem fidelium desiderat sed eam in lingua vernacula melius putat. Utique melius est in lingua populi quia populus amat tales litanias et sic magis intime participat et orat in s. Sacrificio Missae.

11. Optandum est ut in Feria Quinta Maioris Hebdomadae, sacerdotes praesentes in aliquo loco concelebrare SS. Missam possint secundum leges a Concilio ferendas; vel saltem quod non-celebrantes sacerdotes ad altare accedere possint (cum stola) tempore Communionis et quod unusquisque sacerdos poterit sibimetipsi directe communicare primo in specie panis et postea bibendo ex calice (sicut saepe Orientales faciunt). Item quod neo-sacerdotes in die Ordinationis suae tali modo S. Synaxim sumere possint, sicut facit neo-consecratus episcopus.

12. Quum enim defendi non possint nec theologice nec canonice, et quum etiam historiae repugnet, Sacramentum Confirmationis post Primam Communionem conferre, desiderandum est quod regula, quae anteriori tempore viguit, iterum promulgetur, nempe quod Sacramentum Confirmationis, in quantum fieri potest, ante Primam Communionem conferetur, Summi Pontifices Pius XI et Ioannes XXIII nobis exemplum dant in hoc, quia S. Synaxim iuvenibus et pueris dederunt qui pridie Sacramentum Confirmationis receperunt.

Hoc est etiam desiderium Ecclesiae uti videri potest in Constitutione S. Congr. Rituum die 14 sept. 1946, *Spiritus Sancti munera,* ubi parochis facultatem tribuitur infantes in periculo mortis confirmandi. Videtur quod intentio Ecclesiae est nullum Sacramentum inter Baptismum et Confirmationem ponere; et quod nemo S. Communionem recipere debet ante Confirmationem. Ratio est quia Confirmatio est secunda pars ritus initiationis una cum Baptismate, et obiectum istius *totius* initiationis est receptio SS. Eucharistiae Sacramenti. Hic est etiam sensus can. 788 *C.I.C.,* confirmatus a Commissione pro Interpretatione *C.I.C.,* (30 iunii 1932), ubi dixit Confirmationem conferri debere ante primam Communionem normaliter « quia Confirmatio complet et perficit Baptismum ». Confirmamur in hac persuasione etiam a Leone XIII, qui ad Robertum Episcopum Massiliensem anno 1898 scribens approbavit usum conferendi Confirmationem ad pueros quia necessitatem habent Spiritus Sancti munerum ad superandam crisem iuvenilem.

Nobis videtur quod praesertim in mundo moderno corrupto pueri speciali necessitate muneribus, fortitudine et gratia Spiritus Sancti

in Confirmatione indigent. Insistendum est ergo ut in prima pueritia circa septimum annum Sacramentum Confirmationis recipiant (can. 788).

13. In votis est ut Codex Iuris Canonici emendetur in nova editione secundum omnia quae Concilium promulgare decreverit, inserendo etiam multa alia de decretis etc. modernorum Summorum Pontificum, ita ut Novus Codex sit vere castigatus, auctus et emendatus.

14. In Codice Iuris Canonici omnino inserere deceret leges a Pio XII latas de Institutis Saecularibus, praesertim Constitutio illa *Provida Mater Ecclesia* (2 febr. 1947).

15. Valde proficuum et bene esset si Consilium in eo intenderet ut omnia quae Actionem Catholicam respicerent in discussione clarificentur et inde definitiones et leges darentur. Officium, responsabilitas Ordinarii in hac re, et omnia quae ejus mandatum respicerent clare enunciari deberent. Haec omnia tunc promulgari deberent in Codice Iuris Canonici et in Catechismis totius Ecclesiae.

16. Etiam bene esset decretum dare de renovatione Catechismorum in tota Ecclesia ita ut omnia nova a modernis Summis Pontificibus lata ac declarata et definita clare in Catechismis appareant.

17. Nobis perplacet Summum Pontificem tantum amorem pro Oriente Christiano manifestare, et cum Eo oramus Dominum pro unitate Ecclesiae et pro reunione Orientalium Dissidentium. Utinam Concilium multa pro hac re facere poterit! Hinc Nobis maximi auxilii est Reverendissimus P. Cuthbert Bumbinger, O. F. M. Cap., S. T. D., qui est Consultor S. Congregationis pro Ecclesia Orientali (nominatus a Pio XII, 1950). Ille est Superior Regularis O. F. M. Cap., et est Noster Pro-Vicarius Apostolicus et Primus Consultor. Ille est qui Nobis adiuvat in conficiendo hoc documento, praesertim de rebus liturgicis, dogmaticis et orientalibus.

In votis est ut Concilium aliqua media proponeret quibus Catholici Ritus Romani melius res orientales (de liturgiis, legibus et consuetudinibus) cognoscerent, quia ita via latius aperietur qua Dissidentes Orientales ad Ecclesiam Catholicam reverti poterunt. Ita etiam caritas augeretur Catholicos Romanos inter et Catholicos Orientales; et hac caritate compulsi Dissidentes magis magisque Romam inclinarentur. Non debet facile esse pro Catholico Orientali Latinus fieri. Proh dolor! sunt aliqui ex nobis, qui putant melius Catholicus Latinus esse quam Catholicus Orientalis! Dissidentes valde bene invigilant in hac re, et quando vident quod nos tales ideas habemus, et quod facile Orientales Catholicos in ritum Latinum inducamus, protestant etiam Dissidentes, et tali modo clauditur omnis via ad inducendos eos ut catholici fierent. Moderni Summi Pontifices praesertim multa fecerunt

tum pro Catholicis Orientalibus diversorum rituum, tum ad invitandos Dissidentes Orientales ut Romam reverterentur. Sed si Episcopi Sacerdotes, religiosi et professores hoc non bene sciunt, fideles nostri nunquam has res scirent, et ita reunio Ecclesiarum semper a nobis valde distabit.

Dixi! Eminentissime Princeps, haec humiliter proponimus Eminentiae Vestrae Reverendissimae quae in animo habemus ut benigne a Te et a Pontificia Commissione Ante-praeparatoria pro Concilio Oecumenico reciperentur. Si quid minus bene scripsimus, vel si quid diximus quod melius silendum esset faveas nos excusatos habere, quia omnia fecimus bona intentione cum amore et zelo pro Ecclesia Dei et pro bono animarum, sed speciatim pro gloria Christi et B. V. Mariae Immaculatae.

Dum haec Tibi propono, faveas accipere profundos animi sensus pro Eminentia Vestra, et Tibi cuncta fausta ominans remaneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
add.mus in Domino
✠ MATTHAEUS A. NIEDHAMMER, O. F. M. Cap.
Episcopus tit. Caloenus
Vicarius Apostolicus Bluefieldensis

6

EXC.MI P. D. CAROLI DE LA TRINIDAD BORGE Y CASTRILLO
Episcopi tit. Lappensis, Auxiliaris Managuensis

Die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras tuas, ut Praeses Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico (Prot. N. 1 C/59-2624) ad inquirendas animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, nuper recepi, atque libenter coram Deo et in quantum mihi videtur, desideriis Summi Pontificis respondeo.

1. Ut Ordinarii Dioecesani, clericis suis, numquam licentiam concedant discedendi a sua Dioecesi, ad tempus indefinitum. Item, ut ex aliena nequeant in alteram transire sine licentia proprii Ordinarii.

2. Ut exercitia spiritualia, de quibus in Can. 126 C. I. C., quotannis habeantur.

3. Ut conferentiae, de quibus in Can. 131 C. I. C., saltem bimensiles sint.

4. Ut habitus ecclesiasticus, seu vestis talaris, sit tantum pro ministerio sacerdotali in templo et extra ipsum. Alia vestis pro vita familiari, in societate, in itineribus, etc., ita esse debet ut statim ab aliis viris in saeculo sacerdos sese distinguat.

5. Ut inter causas renuntiationis, de qua in Can. 188 C. I. C., includatur causa implicationis in negotiis saecularibus, vera, et non obstante animadversione Ordinarii.

6. Ut quis idoneus habeatur ad Episcopatum, de quo in Can. 331 C. I. C., n. 3 addatur: et cum laude sui Ordinarii in officiis paroecialibus vel in aliquo munere pastorali. Item ut Episcopi sese abstineant ab usu gemmarum magni pretii. Idem dicendum de vestibus.

7. Ut religiosi et religiosae obligationem habeant canonicam sese foederandi inter se; et maiorem auxilium praestent Ordinariis et Parochis in operibus pastoralibus.

8. Ut Sacerdos, cum plus quam quinque baptizet, omnes orationes liturgicas dicat in plurali, praeter ipsam formulam baptizandi: « Ego te baptizo ... ».

9. Ut Episcopus possit ordinare Sacerdotes saeculares, scientes et consentientes, titulo paupertatis seu divinae Providentiae, quia beneficia canonica non habemus et fere omnes ordinandi pauperes sunt.

10. Ut in regionibus ubi, lege civili, praelatio matrimonii civilis obligat, ad validitatem matrimonii ecclesiastici sufficiat praesentia duorum testium, si iam constat per tramitem canonicum, de libertate status et de aliis necessariis iuxta Canones C. I. C.

11. Ut obligatio Missae pro populo sit tantum diebus dominicis et festivis iuxta Canonem 1247, § 1, C. I. C.; lex vero sese abstinendi a laboribus servilibus obliget tantum diebus dominicis et in Festis Nativitatis Domini et Assumptionis Beatae Mariae Virginis.

12. Ut alumni et alumnae Scholarum Catholicarum non paroecialium, contactum foveant et practice habeant cum vita paroeciali.

Laetus de inspiratione et voluntate Sanctissimi Patris Nostri, Ioannis XXIII pro celebratione Concilii Oecumenici, ego minimus Episcoporum, adprecor Deum ut omnia ad felicem exitum perveniant; et qua par est, Eminentiae Tuae me profiteor in Domino

addictissimum

✠ Carolus de la Trinidad Borge Y Castrillo
Episcopus tit. Lappensis, et Auxiliaris Managuensis

PANAMA

1

Exc.mi P. D. THOMAS A. CLAVEL MÉNDEZ

Episcopi Davidensis (David)

David, die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad epistolam Tuam rescribo (Prot. N. 1 C/59-436) relate ad manifestandas opiniones pro futuro Concilio Oecumenico.

Inter sapientissima argumenta quae sine dubio Episcopi atque Praelati exponere poterunt, ego humillime unum tantum problema ad studium propono: de clericis apostatis.

Utrum conveniens sit reductio omnium clericorum apostatarum ad statum laicalem, sine ullis caelibatus ac horarum canonicarum obligationibus?

Eminentiae Tuae Reverendissimae

✠ Thomas A. Clavel Méndez
Episcopus Davidensis

2

Exc.mi P. D. FRANCISCI BECKMANN

Archiepiscopi Panamensis (Panamà)

Die 22 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est responsiones dare sine mora litteris tuis N. 1 C/59-989), ad patefacienda vota mea, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

1. Reductio clericorum (in sacris) apostatarum a statu ecclesiastico ad statum laicalem, sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.

2. Lingua vernacula uti in Missa Catechumenorum, ut maiori gradu assistentes participes fiant sacrae litationis.

3. Reductio trium nocturnorum Breviarii Romani ad unum nocturnum, cum suis tribus psalmis et tribus lectionibus, quarum prima erit

Scripturae Sacrae, secunda sancti aut mysterii, tertia homiliae. Breves sint omnes lectiones et vita Sanctorum historica. Psalmi qui ultra circiter quindecim versiculos protrahuntur, dividantur in duo vel tres, etiam in festis primae classis. Praeferatur officium liturgicum et praecidantur officia quae discrepant a festis Domini, dominicarum et feriarum adventus, quadragesimae et festarum paschalium.

4. Brevior formula consecrationis ecclesiarum, altarium et petrae sacrae.

5. Suppressio partium Ritualis quae non est hodie cur observentur, v.gr., reditus peregrinorum, receptio regum ...

6. Sacra ordinatio diaconorum saecularium sine obligatione caelibatus, ad emendandam penuriam sacerdotum in administratione communionis et baptismi, in praedicatione Verbi Dei et officio catechesis, etc.

7. Maior auctoritas episcoporum in religiosos, praesertim ad paroeciale officium, propter penuriam sacerdotum saecularium.

8. Reductio impedimentorum dirimentium matrimonii ad illa tantum quae ex iure naturali aut divino procedunt.

9. Reductio censurarum, praesertim excommunicationum.

10. Codificatio regularum vel normarum Liturgiae Sacrae.

11. Suspensio Charismatum, privilegiorum, dignitatum, potestatum Beatae Mariae Virginis extra Immaculatam Conceptionem, Gloriosam Assumptionem et Maternitatem Divinam eius.

12. Doceantur Religiosae tam novitiae quam professae in disciplina vel doctrina Theologica dogmatica et morali necnon in iure canonico ecclesiastico.

13. Reductio ponderis et formae habitus monialium ne sit irrisui profanis et etiam religiosis viris. Urget ista reductio maxime in regionibus tropicalibus.

14. Permittatur habitus ecclesiasticus albis coloris in calidis regionibus et etiam in aliis tempore aestivo.

15. Abolitio omnium festorum de praecepto praeter dies dominicos et festa Nativitatis et Circumcisionis Domini.

16. Reductio paramentorum pontificalium in Missis et functionibus pontificalibus maxime in regionibus tropicalibus.

Eminentiae Tuae devotus servus in Domino

✠ FRANCISCUS BECKMANN
Archiepiscopus Panamensis

3

Exc.mi P. D. ALOYSII PUNZOLO

Archiepiscopi tit. Sebasteni in Armenia, Nuntii Ap. in Panama

Panama, die 24 augusti a. 1959

Eminentissime Princeps,

Humanissimis litteris, die 13 mensis iulii huius anni, sub N. 1 C/59-1680, datis, Eminentia Tua Reverendissima mihi exemplar mittebat epistolarum quibus, uti Praeses Commissionis Antepraeparatoriae a S. S. D. N. Ioanne, Papa XXIII fel. regn., nuper constitutae futuros Patres proximi Oecumenici Concilii rogabat ut, omni cum libertate ac pastorali sinceritate, animadversiones, vota atque consilia manifestare vellent, quae maximae utilitatis extabunt pro ipsius Concilii argumentis praeparandis.

Pariter a me petebat mentem rationemque quas supra idem argumentum patefacere maluissem.

Quibus desideriis libentissime obsecundans, heic mihi fas sit quaedam breviter adnotare, quae in supra dicto universali Consessu pertractari poterint, quamvis certus omnino sim longe meliora et opportuniora ab aliis, qui etiam interpellati sunt iam exposita fuisse.

Ad ecclesiasticam disciplinam quod attinet et eius praesertim temporum necessitatibus adaptationem, haud inutilis videtur ponderata inquisitio de quibusdam modificationibus introducendis ut Divini Officii preces opportune condensentur, breviores lectiones de sanctorum vita veracitati historicae magis accomodentur, simpliciores clericis vestes permittantur, eorumque senectuti, invaliditati atque infirmatatibus, socialibus mediis, aliquomodo provideatur.

Discussio similiter provocari poterit ad decernendum utrum quaedam, in canonica legislatione, corrigere, explanare vel determinare iuvaverit, praesertim circa matrimoniales causas, rectam aliquorum sacramentorum administrationem, necnon usum vernaculi idiomatis in aliqua parte cuiusvis liturgici ritus.

In materia vero Ordinum et Congregationum Religiosorum, naturam et activitatem forsitan codificare profuerit adsociationum, quae « Instituta laicalia » nuncupantur; claram atque strictam interpretationem proferre de innumeris fere privilegiis ac exemptionibus, etiam contra Codicem, husque nunc uti vigentibus exercitis; et tandem maiorem collaborationem cleri regularis cum locorum Ordinariis inculcare, in quacumque sua externa activitate.

Circa adsociationes laicorum, autem, aliquid de Actione Catholica seu de laicorum apostolatus natura, forma, organizatione ac vita in ipso Codice Iuris Canonici introduci poterit.

Cum vero unus ex finibus proximi Concilii Oecumenici videatur consistere in eligendis et apparandis aptioribus mediis ad unitatem Sacrosanctae Christi Ecclesiae consequendam, forsitan ante omnia opportunam operam navare magis valebit erga communitates illas schismaticorum, quae in territoriis nationum catholicorum inveniuntur et quasi avulsae materialiter et moraliter sunt a suo patriarchatu, ideoque ad paternam domum, minoribus cum difficultatibus, redire possent. Attentis enim istarum communitatum acatholicorum dispersione, rituum diversitate ac parvo earum asseclarum numero, facilius sub unico Pastore recolligi poterunt si cum cautela, charitate et prudentia peculiaria earum problemata examinentur, auxilia opportuna adparentur atque earum materialibus necessitatibus etiam provideatur. Maxime vero ad talem laborem exsequendum grex catholicus, sacerdotes et pastores regionis in qua schismatici inveniuntur vocari efficaciter poterit, quasi ad internam missionem unicuique assignatam.

Si autem proponetur nova definitio dogmatis de Gloriosae Deiparae Virginis Mariae titulis, haud supervacaneum erit praevie considerare utrum ista eventualis proclamatio viam sternat necne ad desideratam christianorum coetuum unitatem.

Sacram Purpuram maxima veneratione deosculatus, honori mihi duco heic me profiteri

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humill.mum dev.mum et addict.mum

✠ Aloysius Punzolo
Nuntius Apostolicus in Panama
Archiepiscopus tit. Sebastenus in Armenia

4

Exc.mi P. D. IESU SERRANO PASTOR
Episcopi tit. Hypselitani, Vicarii Ap. Darienensis (Darién)

Dabam Barcinone, die 24 mensis augusti anni D. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Peracta, de iure, Visitatione ad Limina, Barcinonem me contuli, navim conscensurus versus Colón, Vicarii Apostolici Darienensis sedem; hic, tuae ad me Litteras denique pervenerunt. Eas Romae dederas, die

18 iunii huius anni (Prot. N. 1 C/99-1755), eisque mihi notum facis Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico institutam esse, ac praeterea in animo esse Beatissimo Patri Nostro Ioanni XXIII, Episcopatus Catholici sententiae ac opiniones cognoscere et consilia votaque recipere.

I. Perspicua imprimis videtur morum transmutatio atque corruptio, ita ut praecipua agendi et videndi norma in materialismo et hedonismo posita sit, et mores non iam christiani, sed pagani videantur. Huius rei causa ex eo pendet, ni fallor, quod ipsa formitis peccati originalis existentia practice ignoretur, immo et negatur. Sic facile quidam tum publici tum privati permittuntur mores, uti balnea mixta, oscula et amplexus inter futuros sponsos, chorea et sic dicta « ballets », et alia huiusmodi, quae, quamvis per se non absolute peccata constituant, certe tamen ad ea et disponunt et provocant. Idemque dicendum de quibusdam in cinematographo et TV proiectionibus, necnon de quodam indumentorum genere in feminis.

Urgendum ergo a Concilio censeo ut omnes christifideles magis atque magis scandala vitent, et proximas in grave peccatum occasiones pro viribus effugiant; insuper ut conscie agnoscatur fomitis peccati originalis existentia et natura.

II. Notorium est Rationalismum invassisse Universitates, libros, folia periodica; immo, in quibusdam Seminariis et Ecclesiasticis Institutis ipsam christianam fidem graviter periclitari. Oportet ergo ut Concilium quas Rationalismi damnationes hucusque Summi Pontifices, praesertim a Pio IX usque ad Pium XII protulerunt, sua auctoritate confirmet.

III. Si Concilii Patribus in animo est validum christianae Unitatis exemplum omnibus gentibus, infidelibus, schismaticis, protestantibus, praebere, necesse erit, meo quidem iudicio:

a) ut disceptationes inter Patres Conciliares necessario habendae, breves sint atque prudentissimae;

b) ut Episcopi, Sacerdotes saeculares, atque Regulares enixe et mente et opere coadunentur, maxime in Sacra Ministeria peragenda; ne coram fidelibus contendere magis atque inter se certare videantur, quam pro Christo adlaborare; quod quidem hodie manifeste deplorandum est.

IV. Index Librorum Prohibitorum, ut iuxta hodiernam populorum necessitates ac circumstantias reficiatur oportet; ita, v. gr. ut illi supprimantur Libri qui iam minime fidelibus nocere possunt quique vel rarissime leguntur. Forsan brevior Index efficaciorem reddet prohibitionem libros perniciosos legendi.

V. Peccata reservata dioecesana supprimenda existimo; supprimenda etiam ieiunia (non tamen abstinentiae), cum in praesentibus adiunctis et laboribus difficulter et rare observentur.

VI. Utile denique videtur, necessarium forsitan, Canones simplificare qui « De Processibus Ecclesiasticis » agunt.

Quas quidem opiniones humiliter ac reverenter Commissionis Antepraeparatoriae Concilii examini atque iudicio propono. Eiusdemque Concilii omnia in bonum vertant.

Sacram tuam Purpuram, Eminentissime ac Reverendissime Domine, reverenter deosculor

✠ Iesus Serrano Pastor
Episcopus tit. Hypelitanus
Vicarius Ap. Darienensis

PORTORICUS

1

EXC.MI P. D. IACOBI E. McMANUS
Episcopi Poncensis (Ponce)

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Uti suggestum fuit ab Eminentia Vestra in litteris de rebus a Sacro Concilio Oecumenico tractandis, cum peritis theologis consultavi, ac ideas opinionesque clericorum illustriorum huius Dioecesis petivi. Nunc igitur, mihi placet materiam traditam, foliis separatis, considerationi Eminentiae Vestrae submittere.

Recogitans, vero, optimum modum contribuendi multitudini idearum quae sine dubio adventurae sunt manibus Eminentiae Vestrae, menti occurrit quod optima mea apportatio forsan fuisset alias particulares ideas non addere, ne Sacrum Concilium sine fine evadat.

Nihilominus, gratum mihi foret considerationi Consilii aliquas in genere ideas submittere, natura Ecclesiae ac proposita ratione Concilii innixas; scilicet:

1. Christus, Filius Dei, homo factus, in mundo venit: *a*) ut pro peccatis hominum satisfaceret; *b*) ut Deum hominibus explicitiori modo revelaret; *c*) ut homines Deo uniret.

2. Christus Ecclesiam suam instituit ut tamquam sui testem pro semper staret, i.e., ut opus suum iugiter in mundo continuaret. Oratio Christi haec est: ut omnes, fide mediante, unum sint in Eo et per Eum in Patre (*Io.* 17, 21).

3. Ergo, finis Ecclesiae est homines per fidem in Christo unire. Inspiratio *spontanea* Ss.mi Patris Ioannis XXIII Concilium Oecumenicum promovendi ad unitatem Christianorum firmandam tamquam signum sumi potest Domini Iesu Christi in Ecclesia operantis, imo etiam, praecellentem missionem Ecclesiae Supremo Pastori memorantis.

4. Admissum, siquidem, quod primordialis finis Ecclesiae est homines per fidem in Christo unire, praestare mihi videtur ut Concilium prae omnibus de sequentibus tractaret:

A) De optimo modo quo Ecclesia poterit Christum eiusque doctrinam mundo moderno praesentare;

B) De mediis efficacioribus utendis ad hominem modernum convincendum de necessitate fidei;

C) De prudentibus remediis inveniendis ad praesentes causas descedentiae eliminandas et futuras praecavendas, salva tamen doctrina revelata.

D) De proficientiori modo quo Ecclesia uti potest oratione, consilio, sacrificio, caritate et predicatione ut incredulitas hominum imminuatur et ut homines ad Christum ducantur.

Quae dum Tecum communico, impensos aestimationis meae sensus Tibi obtestor meque profiteor Eminentiae Vestrae

addictissimum
✠ IACOBUS E. MCMANUS
Episcopus Poncensis

* * *

1. Cum penuria sacerdotum in hac Insula Portoricensis fere insuperabilium difficultatum causa sit ad instructionem religiosam necessariam populo praebendam, ita ut plurimi ex infantibus et etiam adultis baptizatis opportunitate careant apud sacerdotem adeundi ad religiosam instructionem capiendam, necesse est ut laici, debita scientia religionis et pietate praediti, allocati sint hinc inde per dissitas regiones, aliqua dignitate simul cum auctoritate ecclesiastica fruentes (diaconatu, scilicet, vel aliquo alio titulo), et determinatis oneribus assignatis, ut possint pro salute animarum et pro incremento Ecclesiae, apud fideles laborare.

2. Cum normae directivae Sanctae Sedis pro Dioecesibus portoricensibus aliquando consideratae sint iuxta opiniones et mentem Nuntii Apostolici (in Republica Dominicana residentis) et cum has opiniones et ideas Nuntius frequenter concipiat consuetudines et normas culturales Americae Latinae prae se habens; quamvis autem consuetudines et vita publica in Insula portoricensi magis ac magis dirigantur iuxta normas et consuetudines Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, consultum videtur ut Insula portoricensi ad Nuntiaturam Vashingtonensem addatur, vel saltem, si sub Nunciatura Dominicana expediat continuare, permittatur ut Dioeceses portoricenses apud Sanctam Sedem etiam repraesententur per procuratorem qui claram intelligentiam habeat rationum vivendi incolarum huius insulae ac simul gaudeat fiducia Sanctae Sedis. Sic, medium adhibetur ad dilucidanda problemata surgentia. Saepe ac in multis, ut mihi videtur, Sancta Sedes deficienter informata est de rebus localibus portoricensibus.

3. Necessariae videntur speciales praescriptiones S. Sedis de Officio Divino recitando pro Insula portoricensi et pro aliis regionibus copia sacerdotum carentibus, magnum numerum fidelium habentibus et multis aliis difficultatibus obnoxiis, ita ut obligatio Divini Officii recitandi proportionem habeat cum extraordinariis oneribus pastoralibus. Carere videtur iustitia quod onus officii pro omnibus aequaliter imponatur et simul aliqui excessivis muneribus apostolicis onerati sint.

4. Sententiae anteriori addi potest ut recitatio Sancti Officii in lingua latina pro multis sacerdotibus sic valde oneratis, frequenter evadit repetitio verborum quae oratio tantum dici potest in quantum intentio adest orandi. Sanctificationi personali sacerdotum magis ad crescendum locum daretur et munus pastorale magnum obtinebit beneficium si Officium recitari possit quacumque lingua ad libitum sacerdotum vel etiam si onus Divini Officii pro lectura vel meditatione Sacrae Scripturae immutetur. Tempus in hac lectura vel meditatione vacandum poterit esse horae dimidiae et de ipsa Sacra Biblia vel ex aliquo commentario sumi poterit.

5. Frequenter accidit ut Episcopi, necessitatis causa propter penuriam sacerdotum, promovere tenetur ad opus pastorale sacerdotes experientia et aliis qualitatibus carentes. Quapropter, in talibus regionibus bonum fidelium suadere videtur ut Ordinarii parochos ex clero dioecesano per triennium vel quinquennium nominare possint ut mos est apud clerum religiosum. Haec temporalis allocatio parochorum locum dabit ut, meliori modo pro opportunitate, habilitates sacerdotum uti possint simul ac ut Parochi, propter inefficientiam vel senectutem removeri possint sine recursu ad causas canonicas.

6. Catholica religio certe praedominat in America Latina, sed omnes fere Status gubernantur sub influentia liberalismi et saecularismi. Hoc minime reputari potest tamquam fortuitum successum. Quamvis hoc non multo divulgatur, existit tamen conatus organizatus pro imponendis constitutionibus laicis in omnibus Statibus Americae Latinae. Cum hae constitutiones proponuntur populo in suffragio, proprietates laicae istae minime emphatizantur, imo et si emphatizentur, approbatae fuissent propter magnitudinem propagandae machinae politicae. Perniciosa influentia saecularismi praecipuum obstaculum est ad religionem propagandam cum ad res omnes publicas extendatur, scilicet, ad politicam, educationem media communicationis, scripta, cinematographa, radium, televisionem. Quid ergo faciendum ad christianos informandos et ad publice exponendum conatus saecularistarum qui rebus omnibus publicis potiri videntur?

Quae per Rev. Franciscum Connel, C. SS. R., professorem emeritum Univ. Cath. Americae, Washington, D.C., submissa sunt:

Respondens Vestris litteris de materia proximo Concilio Oecumenico apte submittenda, sequentes quaestiones propono. Revera, plura ex his problematibus iam discussa vel etiam soluta sunt, sive a Summis Pontificibus in litteris Encyclicis, sive a Sacris Congregationibus in suis decretis. Nihilominus, etiam haec, uti videtur, convenienter proponi possunt Concilio Oecumenico, ut lucidius et plenius ab universo magisterio Ecclesiae exponi possint. Aliae ex hisce quaestionibus sunt res fidei, aliae res morum. Has quaestiones propono cum plena submissione iudicio Sanctae Sedis:

Res Fidei

1. *De historicitate S. Scripturae, praesertim N. Testamenti.* Etenim temporibus recentioribus plures disputationes exortae sunt inter doctores et auctores Catholicos de interpretatione factorum historicorum quae in libris inspiratis narrantur; et quaedam theoriae de valore historico Scripturae Sacrae omnino novae propositae sunt. Optandum est ut Concilium determinet quasdam normas ad theologos dirigendos in hac materia.

2. *De constitutione et membris Mystici Corporis Christi.* De hac materia S. Pontifex Pius XII in Litteris *Mystici Corporis* clare scripsit. Nihilominus, quidam theologi adhuc theorias diversas defendunt hac de re. Concilium Oecumenicum de hoc problemate definitionem infallibilem apte proponere poterit.

3. *De significatione doctrinae « Extra Ecclesiam nulla est salus ».* Revera, haec doctrina est dogma fidei. (E.g. DB., *Enchiridion Symbolorum,* n. 430). Nihilominus, haec doctrina aliqua interpretatione indiget, qualis a Sacra Congregatione S. Officii data est Archiepiscopo Bostoniensi in casu tristi P. Feeney.

4. *De relatione Ecclesiam inter et statum civilem.* Recenter quidam theologi proposuerunt theoriam, iuxta quam rectores civiles, qua tales, non subordinantur legi divino-positivae Christi, sed tantum legi naturali, ex qua theoria sequitur statum civilem non teneri agnoscere Ecclesiam Catholicam neque eius immunitates.

5. *De significatione, extensione et auctoritate magisterii ordinarii S. Pontificis.* In litteris Encyclicis *Humani Generis* S. P. Pius XII loquitur de magisterio ordinario S. Pontificis (DB, n. 2313), asserens nonnullos non sufficienter talem potestatem agnoscere. Plenior explicatio huius magisterii ordinarii a Concilio apte dari posset.

6. *De infallibili magisterio S. Pontificis relate ad doctrinas non formaliter revelatas, sed cum veritatibus formaliter revelatis intime connexas.* Theologi communiter docent charisma infallibilitatis ad has etiam doctrinas se extendere, utpote medium necessarium ad protegendum et rite exercendum magisterium infallibile respectu veritatum revelatarum. Sed decisio Concilii Oecumenici hanc rem definitive solvere poterit.

7. *De assensu interno debito doctrinis a magisterio Ecclesiae docentis auctoritative sed non infallibiliter propositis.* Theologi communiter docent verum assensum internum talibus doctrinis debitum esse, quem *assensum religiosum* vocant. Declaratio Concilii hac de re auctoritative confirmaret, et iteraret praevias decisiones S. Sedis (E. g. DB, 1684, 2007, 2008).

8. *De mediatione universali B. V. Mariae.* B. V. Mariam esse aliquo modo mediatricem omnium gratiarum iam declaratum est a SS. Pontificibus (e. g., DB 1940 a, 1978 a). Forsan Concilium clariorem explicationem huius doctrinae dare vellet.

9. *De evolutione corporis humani a creatura viva irrationali.* Sperandum est ut Concilium theoriam *evolutionismi,* iam tractatam a Pio XII in litteris Encyclicis *Humani generis* (DB, n. 2327), iterum investigaturum sit, ut doctrinam ab omnibus Catholicis tenendam clare proponat.

10. *De polygenismo.* Pius XII asseruit nequaquam apparere quomodo theoria polygenismi componi queat cum doctrina Catholica de universalitate peccati originalis (DB, n. 2328). Discussio huius quaestionis ex aspectu theologico et scientifico valde utilis esset ad manifestandum nullam esse contradictionem fidem inter et rationem.

11. *De possibilitate creaturarum rationalium in aliis planetis.* Nonnulli putant doctrinam Catholicam, praesertim dogma de Incarnatione et Redemptione, opponi possibilitati creaturarum rationalium in aliis planetis. Declaratio Concilii de hac quaestione toti mundo afferret lucem de harmonia doctrinae Catholicae cum inventionibus scientiae modernae.

Res morum

1. *De essentiali aequalitate omnium hominum, non obstante diversitate nationali vel ethnica.* In pluribus regionibus Statuum Foederatorum existit spiritus lamentabilis discriminis et nonnumquam etiam odii contra cives originis Africanae. Si Concilium Oecumenicum declararet essentialem aequalitatem omnium hominum, propter unitatem in Adam et in Christo, multum prodesset ad honorem fidei et Ecclesiae.

2. *De conditionibus requisitis ad bellum iustificandum.* Ad corrigen-

dos errores propositos tum ab illi qui nimis facile bellum iustificant tum ab illis (Pacifistis) qui bellum tamquam aliquid intrinsece malum condemnant, explicatio et declaratio hac de re auxilium multum praeberet ad pacem mundi praeservandam.

3. *De iustis relationibus inter operarios et patronos.* Hodie plura dissidia existunt inter operarios et patronos; praesertim propter nimiam avaritiam et defectum caritatis ex utraque parte. Ad haec dissidia componenda multum adiuvaret plenior expositio doctrinarum expositarum tum a Papa Leone XIII in *Rerum Novarum* tum a Papa Pio XI in *Quadragesimo Anno.*

4. *De operistitio.* Quia operistitium est quodammodo bellum industriale, conditiones ad illud iustificandum sunt analogae ad conditiones requisitas ut bellum cruentum iustificetur. Expositio harum conditionum promulgata a Concilio Oecumenico esset valde utilis ad difficultates solvendas in negotiis industrialibus.

5. *De iusto salario.* Adhuc inter theologos disputatur utrum in iustitia commutativa an tantum ex iustitia sociali salarium familiale operario solvi debeat. Revera, sententia prior videtur communior; sed declaratio Concilii Oecumenici quaestionem solveret.

6. *De finibus matrimonii.* S. Congregatio Sancti Officii, die 1 aprilis 1944, decretum edidit asserens finem primarium matrimonii esse procreationem et educationem prolis (DB, n. 2295). Confirmatio huius decreti a Concilio Oecumenico magis in lucem proferret doctrinam Ecclesiae de sancto statu matrimonii.

7. *De licito usu continentiae periodicae in matrimonio.* Papa Pius XII, anno 1951, doctrinam generalem de usu continentiae periodicae pronuntiavit (*A.A.S.,* 43, p. 850). Adhuc remanent variae quaestiones de moralitate huius usus — e. g. Utrum haec praxis longe protracta sine iusta causa sit peccatum mortale, quaenam rationes sufficiant ad praxim iustificandam, etc. — quae definitive solvi possint per Concilium Oecumenicum.

8. *De potestate Ecclesiae solvendi matrimonium consummatum inter partem baptizatam et partem non baptizatam.* Iam per plures annos Ecclesia talem potestatem exercet; proinde, non potest dubitari quin Ecclesia hanc potestatem possideat. Attamen, optandum est ut declaratio auctoritativa de existentia huius potestatis a Concilio Oecumenico proferatur.

9. *De obligationibus parentum relate ad educationem Christianam prolis.* Dolendum est multos parentes Christianos hodie negligere suam obligationem filios et filias educandi modo Christiano — e. g., illos mittendo ad scholas acatholicas contra praescriptum can. 1374. Ad iuven-

tutem praeservandam ab effectibus tristibus huius negligentiae, Concilium posset strenue admonere parentes de sua gravi obligatione in hac re.

10. *De relationibus internationalibus.* Ad pacem praeservandam et caritatem fovendam inter nationes, valde utiles essent declarationes auctoritativae Ecclesiae de iuribus et obligationibus nationum inter se — e. g. de iure parvarum nationum existendi et libertate fruendi, de necessitate alicuius conventus internationalis cum auctoritate dissidia componendi, etc.

Consideratio et propositio auctoritativa harum quaestionum a Concilio Oecumenico valde desiderabilis esset, tum ad fidem et unitatem Catholicorum firmandam, tum ad manifestandum acatholicis harmoniam et immutabilitatem doctrinae Ecclesiae Catholicae.

Preces ferventes promitto ut Sua Sanctitas in vita et vigore praeservetur et ad felicem exitum proximum Concilium Oecumenicum perducat, etiamque et Eminentia Vestra in laboribus magnis pro Christo et Ecclesia lumen et auxilium divinum abundanter recipiat.

(Franciscus Connel)

* * *

Quae per Rev. Torebio Marijuán, C. M., Visitatorem Provincialem, submissa sunt.

Muy estimado Monseñor!

A continuación me permito presentar las sugerencias que se podrían tratar en el futuro Concilio Ecuménico.

1. Materia Doctrinal. — Declarar como dogma de fe la Mediación Universal de María.

2. Materia disciplinaria. — Dar normas para todo el mundo con el fin de que tanto Párrocos como Coadjutores vivan en una misma casa parroquial.

Necesidad de dar normas para un único hábito clerical fuera de las funciones religiosas, para todo el mundo, y que, en todas partes y simpre, prescindiendo de una sola clase de hábito clerical, et Sacerdote, religiosos o no, usara un distintivo bien visible.

Estudiar a fondo las causas de tantas deserciones de Sacerdotes, religiosos y diocesanos.

Rehablitar si no totalmente, al menos parcialmente, a los Sacerdotes que hubieran desertado.

Uniformidad en toda la Iglesia en materia de ayuno y abstinencia, lo mismo que en los días de precepto u obligación.

3. Materia administrativa. — Necesidad de poner un límite máximo de feligreses a una parroquia.

Que haya más justicia equitativa en la distribución de Sacerdotes; así no habría tanta escasez de clero en algunas regiones, países, naciones, etc.

Urgir el que las Iglesias de los Religiosos sean Parroquias, pudiendo de este modo disponer de más Sacerdotes los Srs. Obispos.

Para suplir la escasez de clero, conferir algunas Ordenes, incluso el Diaconado, a personas laicas.

Para este mismo fin, hacer que haya un equipo de Catequistas, bien instruído y hasta retribuído, para suplir al Sacerdote en muchas cosas, v. gr., Catecismo, preparar las. Comuniones, Matrimonios, dirigir devociones, etc. Esto se podría conseguir en P. R., tabién con los Hos. Cheos.

Urgir las Misiones Parroquiales de tiempo en tiempo, no muy a menudo para evitar se les reste importancia, y hasta Misiones Parroquiales generales por varios equipos de Misioneros.

Organizar las fueras católicas, dar un carácater más apostólico a todas las Asociaciones, no multiplicar las Asociaciones, organizar las obras caritativas, etc.

Vigilancia sobre las obras materiales, v. gr. construción de Iglesias, Escuelas, etc.

Que en toda organización, administración, etc. se dé siempre la impresión de que la Iglesia es, antes que nada, una sociedad religiosa, evitando, por lo mismo, todo aquello que se parezca a una sociedad comercial, etc.

Materia litúrgica. — Trabajar por todos los medios posibles para que el pueblo entienda y comprenda la Liturgia de la Misa, de los Sacramentos, etc., de suerte que el pueblo no se mero expecator, sino también actor, es decir, que actúe.

Que se use la lengua vernácula en la administración de algunos Sacramentos.

Y la simplificación o abreviar las oraciones en algunos Sacramentos.

En una palabra, cierta revisión del Ritual.

Esperando complacer a Su Excelencia, siguiendo sus deseos.

(R. P. Torebio Marijuán)

✠ Iacobus E. McManus
Episcopus Poncensis

2

EXC.MI P. D. IACOBI P. DAVIS

Episcopi S. Ioannis Portoricensis (San Juan de Puerto Rico)

San Juan, Puerto Rico, 28 de agosto de 1959

Eminencia Reverendísima,

Llegó durante mi ausencia de la Diócesis su apreciada carta solicitando materias para tratarse en el Concilio Ecumenico que más tarde se ha de celebrar en Roma por disposición de S. S. el Papa Juan XXIII.

1. Indudablemente se dará alguna atención a otras reformas del Breviario Romano de las cuales se ha hablado hace algún tiempo. Me parece que con bastante razón se puede distinguir entre el clero que se dedica a los ministerios parroquiales y el que reza el Santo Officio en coro para proveer al primero una forma más breve y llevadera. La cantidad de trabajos ministeriales en países donde hay relativamente pocos sacerdotes hace el rezo del Breviario actual muy pesado especialmente en los Domingos y Sábados.

2. Aún cuando el número de sacerdotes ha de ser cada día mayor en América Latina gracias a la preocupación y gran interés de la Santa Sede Apostólica y el aumento de vocaciones en los últimos años, creo que con gran provecho se podria estudiar la posibilidad de aprovechar los oficios de cooperadores no solo laicos sinó también eclesiásticos por medio de diáconos debidamente preparados y ordenados sin la obligación del celibato y como término final sin llegar al sacerdocio. Se cuenta en muchos sitios en América Latina con material abundante muy apto para dicho estado de vida y resultaría muy beneficioso el poder contar con ellos.

3. El uso del idioma vernacular en la administración de los Sacramentos puede contribuir mucho al provecho de los fieles que no entienden el Latín y por ende pierden las bellísimas exhortaciones y oraciones del ritual. Consta que debe haber dentro de cada región bastante uniformidad en los textos oficiales para evitar confusión y una indebida independencia.

4. La Masonería internacional se ha movido más que nunca en los últimos años en forma bastante oculta a través de otras asociaciones para promover el secularismo en todas órdenes de la vida. Esto se ha visto en un modelo de constitución que ha aparecido en varios casos de reformas políticas en distintos países de América Latina especialmente, y en el caso de los nuevos estados de la Federación Norteamericana. Conviene otras

instrucciones formales positivas y negativas sobre la doctrina Católica acerca de la cooperación que ha de verificarse entre el Estado y la Iglesia y sobre las doctrinas y prácticas del enemigo secularista.

Son éstos unos temas que me parece se pueden tratar en el Concilio. A otros más competentes dejo la tarea de sugerir las cuestiones dogmáticas y teológicas a la vez que agradezco a V. Eminencia Reverendísima la oportunidad de aportar estas ideas.

De V. Eminencia Reverendísima con toda consideración y estima,

Su afectísimo en Cristo

✠ IACOBUS P. DAVIS

Episcopus S. Ioannis Portoricensis

RESPUBLICA DOMINICANA

1

Exc.mi P. D. FRANCISCI PANAL RAMIREZ
Episcopi Vegensis (La Vega)

20 aprilis 1960

Excellentissima Commissio,

Vix aliquod praesentandum studio praevio huiusmodi honorabilissimae Commissionis Pontificiae Concilii Oecumenici Antipreparatoriae Nobis offertur.

Plene et libenter suscipiemus quidquid Concilium docuerit, tamquam vocem a Divini Spiritus auctoritate et inspiratione provenientem, qui in his notatis et trascendentalibus adiunctis nos assistet.

Tamen, ipsae Altae Commissioni honorem obsequiumque humillimum facientes, quaestiones sequentes quae Nobis convenientes visae sunt, proponemus:

1. Forte impossibile non est et quidem multum beneficum, praecepta Sanctae Matris Ecclesiae (in quantum possibile sit) in universalem formam redigere, uti exempli gratia: dies audiendi Sacrum, tempus praeceptum pasqualem adimplendi, dies ieiunii et abstinentiae et ita porro.

2. Eodem modo, uniformis esse oporteret (in quantum possibile sit) administratio Sacramentorum quae talem diversitatem et discrepantiam offert.

3. Idem dicemus circa uniformitatem, in quantum possibile, Sacrae Liturgiae quae talem varietatem et distinctionem hic et illic, iam apud unum, iam apud alium praesentat, cum confusione et difficultatibus necnon zelotypia et discordiis.

4. Magnae utilitatis et valde conveniens christifidelibus Nobis etiam videtur, quod administratio Sacramentorum et pars notabilis Missae Sacrificii in lingua vernacula fiant ad eorumdem sacrorum rituum magis intelligentiam et animarum salutem.

5. Conveniens etiam erit accuratum studium de institutione sic dicti « Diaconorum Perpetuorum », ad ministerium Sacerdotalem in diversis activitatibus apostolatus adiuvandum, propter penuriam Sacerdotum et graves difficultates, in hodiernis temporibus, eorumdem formationis.

6. Textum Doctrinae Christianae unicum, universalem prospiciamus,

quod sit obligatorium pro omnibus Dioecesibus, ad omnes linguas translatum, ut plane est, quamvis decursu temporis novis emendationibus augeatur et magis consonans cum progressu in omnibus materiis pedetemptim efficiatur.

7. Pariter ad studium et solutionem submittere posset modus perveniendi ad uniformitatem universalem habitus ecclesiastici saecularis. Quare discrepantia etiam in locis in quibus eius usus non est interdictus?

Hucusque libenter responsum dedimus, pro viribus, ad honorificam invitationem huius dignissimae Commissionis Pontificiae, quam humiliter et fraterne in Domino salutamus.

✠ FRANCISCUS PANAL RAMIREZ, O. F. M. Cap.
Episcopus Vegensis

2

EXC.MI P. D. IOANNIS F. PEPÉN Y SOLIMAN

Episcopi Higueyensis
(Nuestra Señora de la Altagracia en Higüey)

25 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Ex mea experientia — valde brevi — in officio pastorali, quaedam pauca possum vestrae considerationi submittere cum probabili utilitate.

Mihi videtur valde conveniens ut:

Normae severissimae dictentur in ordine educationis « pro aristocratia » in collegiis et scholis catholicis. Severa prohibitio — cum poena — pro discrimine ratiali aut sociali urget.

Obligatorietas actionis socialis catholicae (Caritatis Catholicae archetypi) in omnibus dioecesibus orbis instituatur.

Magis curetur de spiritualitate religiosarum ad vitandam « routinam » et superficialitatem. Melior formatio theologica earum in novitiatu.

Quidam canones circa activitates cleri « in re politica » dictentur. Clariores normae in hac materia desunt.

Melior formatio in disciplinis hodiernae culturae in seminariis; melior formatio sociologica et paedagogica.

Quidam habitus clericalis magis acceptabilis iuxta hodiernum morem — speciatim in civitatibus — permittatur « ad modum experimenti ».

Ordo et Officium Diaconatus instituatur tamquam auxilium valde utile necessitatibus fidelium.

Omni quo par est obsequio Vobis prosequor meque profiteor addictissimum

in Domino

✠ Ioannes F. Pepén y Soliman
Episcopus Higueyensis

3

Exc.mi P. D. RICHARDI PITTINI
Archiepiscopi Sancti Dominici (Santo Domingo)

Die 8 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris die 18 iunii circa Concilium Oecumenicum a Vestra Eminentia datis responsionem mittere mihi pergratissimum est.

Quamprimum potui circa res praecipuas de quibus in Concilio agere oporteret consultationem institui. Atque, omnibus perpensis, responsionem scribere iussi quam huic epistolae adiunctam Vestrae Eminentiae remitto.

Simulque animum erga Sanctum Patrem devotissimum hac occasione exprimere volo.

Vestrae Eminentiae add.mus

✠ Richardus Pittini
Archiepiscopus Sancti Dominici

I. *Doctrinae capita, praecipue circa fidem custodiendam*

Fidei integritas, totius religionis fundamentum, prae oculis iuxta mentem Suae Sanctitatis in Encyclica *Ad Petri Cathedram* in Concilio principaliter haberi debet. Ad quod perutilia essent sequentia:

1. Investigare quinam sint errores actuales fidem quodammodo laedentes. Nova Theologia.

2. Tum de his erroribus tum de illis antiquis qui adhuc magis nocere possunt, opporteret ut syllabus quidam componeretur. Vel etiam pos-

sent canones ad modum Conciliorum Tridentini et Vaticani confici in quibus tales errores clare condemnarentur. Ad tales canones conficiendos optime inservire posset Encyclica *Humani generis* et alia documenta similia a Sancta Sedes his postremis annis exarata.

3. Possetne aliquod dogma definiri in Concilio? Mediatio B. M. Virginis?

4. Opporteret ut documenta his postremis annis a Sancta Sede elaborata circa fidem et Ecclesiae doctrinam in Summarium quoddam ad modum syllabi reducerentur, sive definirentur sive modo simpliciori proponerentur.

5. Cautelae etiam sumendae sunt contra eos qui errores callide spargunt ut sunt pertinentes ad sectas massonicas, qui fidem destruere insidiose minantur.

II. *Cleri disciplina et sanctitas atque religiosorum perfectio*

1. *Clerus.* Formatio cleri in Seminariis. Spiritus. Studia. Alia media formationem his temporibus aptam integrantia. Quid de spiritu libertatis in Seminariis. Oboedientia. Mentalitas apostolica et socialis. Habitus clericalis. Pericula sacerdotum in ministeriis. Vita interior concilianda cum laboribus aliquando excessivis. Mundanitas vitanda.

2. *Religiosi.* Nonne cum vita moderna spiritus religiosus aliquo modo enervatus est, vel saltem adest periculum proximum? Quid de Superioribus? Urgendum triennium pro Superioribus minoribus, nec protrahendum nisi causis gravioribus et consulta Sancta Sede.

3. *Pro utrisque.* Quid de spectaculis publicis, de usu televisionis, de itineribus recreativis sive aperte sive cum praetextu aliquo, de balneis? Quid de commoditatibus excessivis? Alia?

III. *Circa mores aedificationemque populi christiani*

1. Necessarium videtur investigare quinam errores tum circa res morales, cum etiam circa asceticam et mysticam praecipue nunc grassantur. Posset componi syllabus horum errorum? Item oporteret ut summarium conficeretur constans documentis recenter a Sancta Sede prolatis, v. g. circa moralem situationis, circa limitationem natalitatis et alios matrimonii abusus, etc.

Sed ante ipsum Concilium serio cogitandum est quomodo illa renovatio vitae spiritualis quam fervide Sanctus Pater desiderat, rapide et efficaciter obtineatur; ita ut dissidentes, nunc aspicientes Ecclesiam Catholicam, illam efflorescentiam virtutum, maxime caritatem, mirantes suaviter et fortiter in Matrem Ecclesiam trahantur.

Materialismum practicum in abusu commoditatis modernae consistens omni vi effugere debent christiani. Ad quod inter varia media Exercitia Spiritualia Sancti Ignatii praecipue commendanda.

IV. *Circa cultum divinum atque Sacramentorum administrationem*

Quae in hac re mutationes fortasse convenienter considerari possent:

1. Ut Communio locis dissitis ab Ecclesia vel sacello, v. g. collegio alumnorum vel populo in quo nullus sacerdos commoratur, ferri aliquando posset ut fertur infirmis. Certe sumptis cautelis ut silentium, reverentia, etc. serventur, graviter onerata ferentis conscientia et rectoris ecclesiae ex qua ducitur Sacramentum. Unicus enim sacerdos plures habet populos vel centros, cum vero ordinarie non nisi unica Missa celebrare possit, neque possit secure in aliquibus locis Sacramentum servari, non videtur cur etiam illi fideles priventur diu a sacra Communione. Nunc enim etiam abundant media, v. g. currus automobilis, quibus rapide, decenter et secure Eucharistia ferri posset.

2. Nunc plures, etiam admoniti, in Missa recipiunt Communionem et breviter Missa finita, exeunt per vias publicas Eucharistiam intra se ferentes. Quod posset facile vitari si Missa prolongaretur post Communionem. Tamen ad hoc ut Missa non protrahatur, possent transferri ad finem Missae fere omnia que nunc offertorium praecedunt, etiam ipsa praedicatio, si fit.

3. Ad hoc ut sacerdotum in aliquibus regionibus inopia suppleatur, fortasse possit de diaconibus perpetuis, etiam uxoratis, cogitari. Cautelae vero sumendae sunt, ut v. g. ne ante annum 40 ordinarentur tales diaconi, praevio etiam examine doctrinae, investigata serio vita anteriori, etc. Tales diaconi possent baptizare, docere religionem, immo aliquando praedicare cum licentia speciali et communionem distribuere frequenter ...

V. *Circa leges Ecclesiae*

Oporteret sine dubio quaedam adpatio, v. g. in censuris, peccatis reservatis, iurisdictione ad religiosarum confessiones. Non paucis sacerdotibus nimis complicata haec et alia videntur. Ita ut vel non bene applicentur vel pluribus locum anxietatibus praebeant.

Forte aliquid simile de quibusdam rebus liturgicis dicendum sit.

VI. *Maior Dei gloria propaganda. Infidedium missiones*

Quid agendum apud sinenses et alios populos communismo subiectos? Estne aliqua regio ubi adhuc Evangelium vere praedicatum non

sit? Quid faciendum ut Domini mandatum circa hoc perfectius impleatur?

Impense omnes laborare debent ut pueri ubique in doctrina christiana cito et perfecte instruantur. In nationibus catholicis curare debemus ut etiam in scholis publicis religio doceatur sive per magistros sive per alios.

Usus frequentior mediorum modernorum ad apostolatum, quae operariorum paucitatem suppleat. Missiones populares per plures missionarios coadunatos (hisp. en equipo) ut fit in America Latina. In magnis civitatibus multum fructum afferunt.

Actio Catholica: quomodo concipienda et evolvenda iuxta Ecclesiae divinam constitutionem et diversas locorum et personarum circumstantias ne lites inter ipsas vires catholicas oriantur. In America forma foederativa fortasse commendanda est. Vitandus parochismus qui aliquando spargitur.

VII. *Communis omnium pax et concordia. Relationes Ecclesiam inter et Statum*

1. Oporteret ut renovaretur modo solemniori condemnatio doctrinae in laicismum et atheismum ferentis, quae absolutam Ecclesiae et Status separationem sustinet. Mala plura ex hac doctrina lugenda sunt.

2. Media quibus concordia obtineri possit maxime inter populos et principes christianos. Ne catholici impugnent principes catholicos alius nationis vel formas politicas differentes. Multo minus episcopos alius nationis quia fortasse in circumstantiis valde diversis, in aliis nationibus ignotis, procedere debent.

3. Maxima omnium coadunatio contra Communismum deberet fieri et contra Communismum faventes. Nec impugnari debent gubernantes, qui quamvis non perfecti, tamen communismum strenue impugnant.

VIII. *Dissidentium fratrum ad Ecclesiam revocatio*

Labor intensus perferendus est ut ad unitatem Ecclesiae fratres dissidentes revocemus, ita ut schismatici orientales et protestantes in genere et aliae christianae sectae separatae ad rectum totius veritatis, iustitiae plenae, salutisque tramitem cito reducantur. Hac de causa optimo consiglio Sanctissimus Pater Ioannes XXIII de illis ad Oecumenicum Concilium invitandis cogitavit. Circa quod haec fortasse possent insinuari:

Hoc modo Concilium adire possent saltem praecipui ex ecclesiis schismaticis episcopi qui regunt sedem Hierosolymitanam, Antioche-

nam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, Graecam, Moscovitam, Georgianam, Serbitam, Rumenam, Bulgaricam, Cypreiensem, Albanensem, Polonam, Cecoslovacam.

Aliquo saltem titulo fere eodem modo invitatio mitti potest ad praecipuos duces anglicanismi dictos « episcopos », v. g. qui convocari solent apud Lambeth.

Aliquid simile fieri potest ducibus aliorum coetuum protestantium, v. g., illis qui astiterunt conferentiis apud Amsterdam (1948), Lund (1952), Evanston (1954), Gayalteto (1956), New Haven in Connecticut (1957), Aberlin in Ohio (1957), Nyborg (1958).

Hi omnes possent vocari ad sessiones generales et finales. Ita tamen ut votatio definitiva fiat separatim, scilicet, Ecclesia catholica sola colligit vota catholicorum. Alii coetus possunt facere vel non facere separatim apud se ipsos.

Absolute loquendo posset Romanus Pontifex concedere ut dissidentes etiam ferant vota saltem consultiva cum catholicis.

2. Fortasse antequam aliae res in quibus possit esse discussio non grata dissidentibus, deberent tractari negotia in quibus solvendis criteria habeant nobiscum identica vel saltem similia, ut sunt beneficentia, pax, quaestio socialis, problema discriminationis maxime circa nigros, etc. Ita tamen ut haec omnia iuxta christianismi principia solvantur.

Ita posset procedi his prioribus sessionibus ut dissidentes per caritatem, maxime a Romano Pontifice commendatam, ad unitatem catholicam traherentur. De quo absolute non est desperandum cum Dei gratia, si lites vitentur vel discussiones circa causam separationis vel circa quaestiones historicas illis non gratas. Impleatur illud in necessariis unitas, in dubiis libertas, *in omnibus caritas.*

IX. *Dissidentes in hac Archidioecesi*

Pauci omnino numerantur, ita ut omnes iuncti (protestantes et schismatici) neque quinque milia attingant. Tamen protestantes aliquo modo augentur his postremis annis, quia plures pastores ab extra veniunt atque collegia instituunt.

Nihil amplius alicuius momenti dicendum occurrit.

Servus in Domino

✠ RICHARDUS PITTINI
Archiepiscopus Sancti Dominici

4

EXC.MI P. D. HUGONIS E. POLANCO BRITO

Episcopi Sancti Iacobi Equituum (Santiago de los Caballeros)

Santiago, R. D. 8 de octubre de 1959

Eminentísimo Señor,

Respondiendo a la carta circular de V.tra Eminencia Reverendísima, de fecha 18 de junio (Prot. N. 1 C/59-1222), relativa a las cuestiones que convendría proponer al futuro Concilio, tengo a bien someter estas proposiciones, referentes a cuestiones litúrgicas y a laProfesión de Fe.

1. Profesión de Fe y Juramento Antimodernístico:

a) que baste hacer la Profesión de fé una vez al año, cuando haya necesidad de hacerla.

b) Que se suprima el juramento antimodernístico.

Proposición: Quese prepare una nueva fórmula dela Profesión de Fe, como se ha hecho con la plegaria de Consagración al Santísimo Corazón de Jesús.

2. Modernizar el Pontifical Romano:

a) suprimiendo todas aquellas ceremonias que ya no se usan en la Iglesia,

b) hacer nuevas formas litúrgicas para aquellos actos que en la vida moderna resultan muy largos: v. g. Consagración de Iglesias y altares.

3. Item, del Ceremonial de Obispos.

4. Suprimir, a lo menos según opción de cada obispo la cantidad de ornamentos para la Misa Pontifical, pues en los países calientes es bastante el número de piezas de vestir que debe llevar un obispo para celebrar « in pontificalibus »: 21 piezas.

5. Además de permitirse la adopción del Ritual Romano en lengua vulgar, habría que llegar a:

a) v. g. en el bautismo: permitir que se hagan en plural aquellas oraciones y preguntas, que ahora deben repetirse para cadabautizado, pudiendo hacerse en plural,

b) en la comunión; usar la fórmula « Corpus Domini », u otra parecida pues la actual es demasiado larga cuando un solo sacerdote debe dar más de 150 comuniones, caso muy frecuente en nuestras parroquias.

Postrado al beso de la Sagrada Púrpura, soy de V. Eminencia Reverendísima devoto en el Señor,

✠ HUGO EDUARDO POLANCO
Obispo de Santiago de los Caballeros

5

EXC.MI P. D. THOMAE F. REILLY

Episcopi tit. Themisonensis, Praelati nullius S. Ioannis Maguanensis
(San Juán de la Maguana)

Die 10 maii 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Honorem mihi tributum ab Eminentia Vestra, invitante proposita de rebus in Concilio Oecumenico tractandis, magni facio. Litterae Vestrae diei 18 iunii 1959 (1 C/59-1545) necnon diei 21 martii 1960 pergrate sunt receptae. Mihi tam tarde respondenti veniam Vestram benevolam humillime peto.

Litteras Vestras priores, ad residentiam meam missas, nonnisi post reditum ab itinere quaestuario in Statibus Foederatis, accepi. Tunc mihi visum est tempus respondendi opportunum iam elapsum fuisse, simulque mea proponenda minoris fore valoris. Etiam nunc puto me nihil utile addere posse ad perplura memoranda ab aliis iam submissa, qui res tractandas maturius ponderare potuerunt, quique de modo procedendi in Concilio Oecumenico sunt peritiores.

Praesumere proculdubio mihi licet, res quae mei alte et intime intersunt, ab aliis forte Dicasteriis Pontificiis, extra Concilii deliberationes, tractabuntur vel iam tractantur. Inter quas res enumerari possunt tanquam exempla:

a) Codicis Iuris Canonici revisio ac adaptatio ad conditiones hodiernas;

b) Res quae ad motum liturgicum sane promovendum pertinent;

c) Problemata quae e relationibus civilem inter et ecclesiasticam auctoritatem hodie in communitate internationali exurgunt.

Eminentiae Vestrae quidem innotescet, Episcopum in regione missionaria, cuius campus pastoralis sat est extensus, haud facile attendere posse rebus, etsi momentosis, quae praeter curam immediatam sui territorii exsistunt. Difficultates magnas pastorales nos nuper sumus experti. Defensio iurium humanorum, iurium imprimis captivorum politicorum, ab Episcopis huius Reipublicae suscepta, attulit in nos solum-

modo odium et vindictam, et vi a regimine dictatoriali seu tyrannico Generalis Raphaëlis Trujillo est repulsa. Ad finem mensis aprilis, ego, cum duodecim huius Praelaturae sacerdotibus, decretum expulsionis ab hac Republica recepi. Quod decretum, Deo favente, mox est abrogatum, et in favorem regiminis aliquomodo sumus restituti. Positio nostra praesens, tamen, haud est tranquilla.

Pro benignitate Vestrae Eminentiae pergratissimus, et pro responsione hac retardata et inadaequata venias petens, Vestrae Eminentiae vestrisque cooperatoribus praeclarissimis, favorem Dei exopto. Ut per Concilium Oecumenicum convocandum, Ecclesiae beneficia perplura Deus concedat, ferventissime precor.

Qua par est observantia, me profiteor servum

Eminentiae Vestrae devotissimum

✠ THOMAS F. REILLY
Episcopus tit. Themisonensis
Praelatus nullius S. Ioannis Maguanensis

6

EXC.MI P. D. LINI ZANINI

Archiepiscopi tit. Hadrianopolitani in Haemimonto,
Nuntii Ap. in Republica Dominicana

Ciudad Trujillo, 30 dicembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di riferirmi al venerato Foglio N. I C/59-1685, del 13 luglio 1959, con il quale Vostra Eminenza Reverendissima si compiaceva di inviarmi la Lettera Circolare, pari numero, del 18 giugno dello stesso anno, indirizzata agli Ecc.mi Vescovi e Prelati per invitarli ad esprimere i loro pareri, desideri e voti in preparazione del futuro Concilio Ecumenico.

In risposta alla richiesta di cotesta Pontificia Commissione Antipreparatoria, mi reco a doverosa premura di far conoscere a Vostra Eminenza il mio sottomesso parere e qualche umile suggerimento, ispiratomi soprattutto dall'esperienza e da varie circostanze di questi venticinque anni di vita all'estero.

Mi sia consentito di aggiungere, alle osservazioni esposte nel qui unito fascicolo, un vivo desiderio, che formulo animato unicamente da una vera ansia per il maggior bene delle anime.

A) *Cappellani Militari*

Gli Ordinari dovrebbero essere più oculati nelle informazioni richieste per la nomina di Cappellani Militari, mentre i Vicari Castrensi dovrebbero essere più rigidi nell'esigere condizioni, morali, spirituali ed intellettuali, che onorino il sacerdozio cattolico e facilitino l'apostolato così importante e delicato dell'assistenza spirituale e morale alle Forze Armate.

B) *Sacerdoti Missionari*

In mezzo al molto bene compiuto dai sacerdoti e religiosi missionari, si devono, purtroppo, continuamente lamentare gravissime deficienze, che fanno così spesso piangere la Chiesa e tanto danno causano alle anime.

I Superiori Maggiori dovrebbero essere maggiormente scrupolosi nella scelta del personale destinato alle Missioni, sia che si tratti di clero regolare, sia di clero secolare.

Nella fiducia che questo mio modesto contributo possa, sia pure in minima parte, tornare « ad aedificationem Ecclesiae » (*I Cor.*, 14, 22), chino al bacio della Sacra Porpora, profitto volentieri della circostanza per confermarmi, con i sensi del mio più devoto ossequio e della più profonda venerazione

di Vostra Eminenza Reverendissima
umil.mo obbl.mo e dev.mo
servitore
✠ LINO ZANINI
Arcivescovo tit. di Adrianopoli di Emimonto
Nunzio Ap. nella Repubblica Domenicana

NORMAE GENERALES

Ad maiorem Legibus Ecclesiasticis vigorem conferendum, nonnullis videtur perutile esse earundem numerum reducere, ita tamen ut dispensationes et rescripta non multiplicentur.

Plurimi Locorum Ordinarii existimant, quod principium hoc applicari debuerit non tantum Legibus Generalibus, sed adhuc etiam Legibus Liturgicis. Eodem modo ipsis videtur quod privilegia et gratiae in « *Indice Facultatum Decennalium* » concessa a Summo Pontifice Leone XIII, fel. rec. n. 1897 per Litteras Apostolicas *Trans Oceanum,* et a Summo Pontifice Ioanne XXIII, f. r., renovata per Decretum S. C. Consistorialis *Privilegia et Gratias,* a. 1959, in Legem generalem Ecclesiae transferantur.

De personis

De clericis in genere

Facilior esse debet sacerdotibus, solummodo ad bonum animarum provehendum, transitus ab una dioecesi, sufficienti clero praedita, in aliam indigentia cleri laborantem.

Problematis huius solutio et consequens clericorum aequa distributio commendari posset respectivis conventibus Episcoporum Provincialibus vel Regionalibus, qui appositam commissionem designarent ad cuiuscumque dioeceseos necessitates solvendas.

Circa habitum ecclesiasticum, non obstantibus consuetudinibus et decretis regionalibus, opportunum esse videtur quod ipsa Sancta Sedes normas satis accuratas definiat ac statuat.

De clericis in specie

De Curia Romana.

Tum locorum Ordinarii, tum Sacerdotes vere notabilem moram animadvertunt in quaestionibus pertractandis et solvendis ab aliquo ex Dicasteriis Romanis, praecipue in causis matrimonialibus in genere, et etiam in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato.

Mora haec non tantum est contra bonam famam erga Curiam Romanam, sed etiam saepe pro oratoribus ipsis grave animarum periculum constituit, maxime in causis matrimonialibus de dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

De Visitatoribus Apostolicis.

Ad vitandam admirationem et falsae suspicionis fundamentum occasione Visitationis Apostolicae in nonnullis dioecesibus, necnon ad regimen dioecesanum fovendum, opportunum videtur quod Sancta Sedes statuat peculiare officium apud aliquam Sacram Congregationem Curiae Romanae pro Visitatoribus Apostolicis, quorum munus erit visitare dioeceses congruis temporibus statuendis, tantum ad videndum et referendum.

De Legatis Romani Pontificis.

Ex iure Legati Romani Pontificis (Nuntii et Delegati Apostolici) praediti sint omnibus facultatibus quibus gaudent Locorum Ordinarii. Iidem vero supra dictis facultatibus utantur caute et urgente necessitate, sinentes potius earundem usum Ordinariis Locorum. Conveniens videtur facultatem ipsis concedere nominandi, in causis urgentioribus,

Administratorem Apostolicum « sede vacante », obligatione facta informandi Sanctam Sedem.

De Episcopis.

Ut quis ad Episcopatum idoneus habeatur, debet esse annos natus quadraginta, nam, experientia teste, iuvenes carent prudentia et adaequata praeparatione et maturitate, gravitate et auctoritate morali quae ad munus episcopale perfecte implendum, requiruntur. Ceterum fatigationis periculo exponuntur, cum gravi damno in posterum in administratione dioeceseos.

Ob bonum animarum ipsiusque Ecclesiae videtur esse causam sufficientem ad renuntiationem muneris episcopalis caecitatem, surditatem, paralisim vel alia similiter. Causae supra nominatae, ut efficaces sint, gaudere debent charactere legis positivae Ecclesiae.

Opportunum videtur occasione designationis alicuius Episcopi Coadiutoris, sive cum iure successionis, sive non, et Episcopi Auxiliaris, stricte determinare facultates, iura et privilegia, quae ipsis competunt. Iidem Coadiutores et Auxiliares semper praediti sint facultatibus Vicarii Generalis.

De Parochis.

Vigente consuetudine in plurimis dioecesibus Americae Latinae nominandi parochos ad « nutum Ordinarii », contigit ut frequentes transitus parochi ab una in aliam paroeciam fiant non sine grave incommodo institutionis et vitae eiusdem paroeciae et detrimento animarum. Igitur, ad supra dicta pericula vitanda et ad maius incrementum spirituale fidelium provehendum, valde utile esse quod lex generalis statuerit hanc institutionem parochorum ad triennium.

De clericorum vita communi.

Consuetudo vitae communis inter clericos, quam S. Pius X a primordiis Sui Pontificatus commendarat, propter uberrimos fructus consecutos — ubi viget —, omnibus viribus favenda est.

Opportunum videtur quod nunquam sacerdos, parochus vel non, sine ulla temporis intermissione, degat solus in minima paroecia rurali vel montana.

De Religiosis.

Non pauci Locorum Ordinarii et Sacerdotes animadvertunt quod nimis breve est tempus novitiatus. Itaque, ad finem assequendum pro-

prium vitae religiosae et ad postulantium probandam vocationem videtur quod terminus novitiatus ad integrum biennium protrahatur.

Maxime curetur tempore novitiatus institutio spiritualis, religiosa, liturgica immo et culturalis tum Religiosorum secundae classis, id est, laicorum, tum Sororum.

Superiores domus religiosae, nullis de causis, reelegi debuerint post sexennium impletum. Si sexennio durante non potuerunt successorem instituere, ratio est quae magis iustificat eorum exclusionem a nova electione facienda.

Ratio studiorum Religiosorum sacerdotio initiatorum, magis ac magis severa ac scientifica esse debet, et sacer presbyteratus conferatur saltem post trigesimum annum completum.

Videtur magis consonum, quod Religiosi secundae classis ne utantur habito religioso nisi in domo religiosa tantum. Saepe accidit, ut multi Religiosi eum deferant sine decore ac dignitate.

Religiosi Parochi, vel Rectores ecclesiarum, magis dependere debuerint a Locorum Ordinariorum iurisdictione, et quoad iura et obligationes quibus tenentur Parochi cleri saecularis habeantur, quibus in regimine paroeciae assimilari debent.

De rebus

De Sacramentis.

Ab omnibus advertitur necessitas quod ritus Sacramenti Baptismatis fiat lingua vernacula, praeter formam, quae semper adhiberi debet in lingua latina.

Idem dicere debemus de Confirmationis, Extremae Unctionis et Poenitentiae Sacramentis, ac de recitatione benedictionum in fine administrationis Sacramenti Matrimonii idemque statuendum credimus.

Magna convenientia postulare videtur vernaculae linguae usum in officio sepulturae ecclesiastica, ex quo, absque dubio, maxima spiritualis aedificatio fidelium sequeretur.

De Confirmationis Sacramento.

Facultas qua praediti sunt Ordinarii Locorum Americae Latinae administrandi habitualiter Confirmationem infantibus statim post administrationem Baptismatis, mutatis temporibus et circunstantiis, et facilibus redditis viis, non habet rationem essendi.

De sacra Communione.

In omnibus libris liturgicis curet norma stabilire an Episcopus vel Ordinarius Loci qui tantum assistit caeremoniis Hebdomadae Maioris debeat se communicare vel recipere sacram Eucharistiam a celebrante.

De sacra Ordinatione.

1. Diaconatus ne conferatur ante vigesimum quartum annum completum, et post quartum cursum theologiae expletum.

2. Diaconi adstringantur in perpetuum ad sacrum caelibatum.

3. Fas sit Loci Ordinario, in casu necessitatis, et pro bono animarum, ad sacrum diaconatum viros uxoratos admittere, ea tamen conditione, ut sint omni exceptione probi, et nonnisi post quadraginta annos aetatis completos, praevia congrua praeparatione.

4. Munera autem diaconorum, sive caelibum, sive uxoratorum, valide ordinatorum, ex sua ordinatione sunt:

a) Ut sacerdoti sacra solemni celebranti inserviant;

b) ut sint ministri *ordinarii* Baptismi solemnis;

c) ut Evangelium in Missis solemnibus cantent;

d) ut ipsi annuntient Verbum Dei publice;

e) ut administrent Sacram Communionem et sint ministri ordinarii expositionis et repositionis Sanctissimi Sacramenti, non vero Eucharisticae benedictionis;

f) ut absolutionem in funeribus ad tumulum impertiantur.

5. Diaconi ordinati in statu caelibi, qui postea dispensationem obtineant ab exercitio, nequeant in posterum sacrum ministerium exercere.

6. Diaconus, ordinatus in statu coelibi, non potest ad presbiteratum promoveri nisi per triennium sacrum ministerium in ordine diaconatus laudabiliter expleverit.

Perdurante triennio, Diaconi sacrum ministerium exerceant, diebus dominicis et festis, si licet in paroeciis civitatis episcopalis, et studiis sacris vacent in ipso Seminario, quae maxime ad regimen animarum spectant: sociologia, theologia ascetica, sacra eloquentia, catechesis, theologia pastoralis, Actio Catholica, etc.

Ad sacrum praesbiteratum ne promoveantur nisi post vigesimum septimum annum expletum.

De orationibus in Missa.

In Missis, collectae ab Ordinario Loci imperatae, omittantur quando facienda erit commemoratio alicuius Sancti; denique, quando orationes iuxta rubricas dicendae, tantum sint binae.

In quavis Missa, excepta defunctorum, post ultimum « Dominus vobiscum », statim legatur Initium Evangelii secundum Ioannem. Quo finito, sacerdos deosculatur altare, et post orationem « Placeat » et benedictionem, dicat « Ite Missa est ». Deinde, flexis genibus, cum populo recitet ultimas orationes lingua vernacula.

Norunt Ordinarii Locorum necessarium esse editionem codicis liturgici typis mandare, et novam editionem Caeremonialis Episcoporum ad nostri temporis circumstantias accurate adaptatam conficere.

De sepultura ecclesiastica.

Multi Locorum Ordinarii animadvertunt necessitatem quod detur a a Sancta Sede norma generalis pro fidelibus occasione mortis Praesidis acatholici.

Igitur, ut vitetur celebratione Missarum defunctorum in ecclesiis catholicis pro Praeside vel Imperatore, vel Rege vel Principe acatholico, ut aliquando accidit, et unice permittatur caerimonia expiatoria, ut cantus « Miserere », et celebratio Missae poenitentialis, ad divinam benedictionem invocandam supra populum Praeside orbatum.

De abstinentia et ieiunio.

Lex abstinentiae et ieiunii magis uniformis et universalis sit complectens et Hispaniam et Americam Latinam, gaudentes privilegiis, quae, mutatis temporibus et conditionibus, carent ratione et fundamento suae existentiae.

De seminariis.

Formatio cleri in seminariis indiget ex parte ipsorum Ordinariorum et Moderatorum maxima diligentia, tum quoad institutionem, tum quoad praeparationem scientificam et culturalem, tum etiam quoad urbanitatem.

Alumni ne admittentur in seminarium nisi post biennium expletum in instituto dioecesano, quod prae-seminarium vocant.

Curriculo theologico durante, alumni specialiter disciplinis ecclesiasticis vacent: Theologia dogmatica, theologia moralis, ius canonicum, Sacra Scriptura, historia ecclesiastica, musica sacra, admnistratio oeconomica et operae manuales.

Cursus peculiares et practici pro triennio diaconatus relinquantur.

Diebus nostris institutio eorum qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt, maxime, ut videtur, debet esse Romana et Apostolica hierarchia.

Igitur, Seminariorum alumni noscant, et quidem per ministerium ipsius Rectoris, activitatem Romani Pontificis, Sanctae Sedis et propriae Curiae, necnon Documenta Pontificia et Episcopalia.

Ut vitentur discrepantiae circa usum habitus ecclesiastici, opportunum videtur quod impositio habitus talaris differatur usque ad pervigilium primae Tonsurae. Alumni omnes, exceptione facta pro tonsuratis, habitu untantur tantummodo durantibus sacris caeremoniis.

De bonis ecclesiasticis.

Videtur normam generalem statuendam esse in favorem iustitiae distributivae, secundum quam Episcopus potestatem habeat reditus paroeciarum ditiorum impendi pro paroeciis indigentibus eiusdem dioeceseos.

De delictis et poenis

Centesimae septuagenae quinae (75%) sacerdotum et religiosorum carent notionibus satis apertis et extensis circa ius poenale ecclesiasticum.

Opportunum enim esset quod, non tantum alumni seminariorum eo magis imbuantur durante cursu theologico, sed etiam quod expositio doctrinae fiat modo accessibiliori omnibus intelligentiis.

Quae dicta sint, salvo meliori iudicio

✠ Linus Zanini
Archiepiscopus tit. Hadrianopolitanus in Haemimonto
Nuntius Ap. in Republica Dominicana

* * *

Roma, 21 giugno 1960

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di far seguito alla mia precedente comunicazione del 30 dicembre 1959 relativa ad alcuni rispettosi suggerimenti, concernenti i temi del prossimo Concilio Ecumenico, in risposta al venerato Foglio N. 1 C/59-1685 del 13 luglio 1959.

Mi permetto, ora, a complemento delle informazioni già inviate, di aggiungere una nuova segnalazione, che mi sembra possa essere oggetto di qualche positiva decisione da parte dei Consultori del Concilio medesimo.

Mi riferisco, cioè, alla necessità di alcune norme di carattere generale, che potrebbero guidare ogni Vescovo, nel suo officio di « pater familias », per dare ed assicurare ai suoi collaboratori nel ministero pastorale: sacerdoti, religiosi e religiose, quelle forme di previdenza ed assistenza sociale, delle quali la Diocesi di New York ha dato l'esempio più perfetto e completo nel suo genere.

Si tratta, quindi, di portare queste forme nel piano diocesano o interdiocesano, nel piano regionale o nazionale, sia alle dipendenze di qualche ente assicurativo sia con autonomia propria, come il su citato ente assicurativo dell'Archidiocesi di New York.

Sembra preferibile che l'ente assicurativo sia unico per tutta una nazione, e, se possibile, sia, in pari tempo, autonomo, riversandosi maggiori i vantaggi sopra le diocesi cointeressate.

Dovrebbero, però, essere scelte alcune tariffe o formule assicurative, già sperimentate dalle grandi società assicuratrici.

Mi permetto ricordare tre formule:

I

Formula che garantisca la corresponsione di un capitale nel caso in cui la morte dell'Assicurato si verifichi entro il termine stabilito, trascorso il quale l'assicurazione si estingue.

Tale assicurazione sembra particolarmente adatta a quei sacerdoti i quali abbiano a carico i genitori, o, comunque, persone anziane, e temano che l'eventuale propria prematura morte li lasci senza mezzi di sussistenza.

Come è noto, alla diocesi o alle diocesi contraenti tali polizze collettive, è abitualmente concesso una partecipazione agli utili, partecipazione che sarà proporzionata al numero dei partecipanti a detta polizza collettiva, e che sarà conteggiata in diminuzione del premio complessivo, in scadenza nell'anno successivo a quello dell'esercizio al quale gli utili si riferiscono.

II

Formula di assicurazione di vita intera in caso di morte, con pagamento temporaneo dei premi, che garantisce la corresponsione del capitale assicurato in qualunque momento si verifichi la morte dell'Assicurato.

Tale formula sembra adatta a coloro i quali abbiano a carico sorelle o altri congiunti in età non avanzata. Il pagamento dei premi cesserà all'età prestabilita, dopo di che l'assicurazione rimarrà in vigore, franca di qualsiasi spesa.

Potrebbero i capitali liquidabili, in caso di morte, essere convertiti in rendite vitalizie a beneficio dei familiari degli Assicurati.

III

Formula di assicurazione di rendita vitalizia differita con restituzione dei premi pagati in caso di premorienza, che permette all'Assicurato, in caso di vita, al raggiungimento di una determinata età, di godere una rendita vitalizia, oppure di incassare un determinato capitale.

Qualsiasi Società Assicuratrice, previ i necessari accordi, potrebbe

emettere polizze collettive, contenenti l'elenco degli assicurati, delle prestazioni e dei premi concernenti ciascuno di essi, nonchè una sola quietanza per tutti, alla comune scadenza dei premi, con conseguente risparmio di spese nei confronti con le normali assicurazioni di carattere individuale.

Credo che tale progetto non possa essere irrealizzabile, tanto più che esso sarebbe facilitato dalle note forme collettive assunte da una o più diocesi, incaricata e responsabile del pagamento dei premi. Qualsiasi Società di assicurazione, inoltre, potrebbe collaborare con le singole diocesi per il lavoro di raccolta delle adesioni degli Assicurati, adesioni che potrebbero essere riunite nelle rispettive Curie o presso un altro ufficio diocesano, per essere, poi, trasmesse all'ente ecclesiastico centrale e successivamente alla Società Assicuratrice.

In questa maniera si avrebbe un'unica assicurazione a condizioni eguali per tutta una diocesi, o una provincia ecclesiastica o una nazione.

Le predette formule non escludono le altre già note e realizzate in molte diocesi del mondo per l'assistenza ai sacerdoti religiosi ammalati ed invalidi, formule, peraltro, il più delle volte non ancora troppo efficienti.

La soluzione del problema esposto sembra rispondere ad una vera necessità.

Chino al bacio della Sacra Porpora, profitto della circostanza per confermarmi, con i sensi del più distinto ossequio e della più profonda venerazione

di Vostra Eminenza Reverendissima
umil.mo, dev.mo ed obbl.mo
servitore

✠ Lino Zanini
Arcivescovo tit. di Adrianopoli in Emimonto
Nunzio Ap. nella Repubblica Dominicana

S. SALVATOR

1

Exc.mi P. D. MICHAËLIS A. MACHADO Y EXOBAR

Episcopi S. Michaëlis (San Miguel)

Qui responsum dedit litteris Conventus Episcopalis Americae Centralis et Panamae.[1]

2

Exc.mi P. D. ALOYSII CHÁVEZ Y GONZÁLEZ

Archiepiscopi S. Salvatoris in America (S. Salvador)

Qui responsum dedit litteris Conventus Episcopalis Americae Centralis et Panamae.[2]

3

Exc.mi P. D. BENIAMINI BARRERA Y REYES

Episcopi S. Annae (Santa Ana)

Qui responsum dedit litteris Conventus Episcopalis Americae Centralis et Panamae.[3]

4

Exc.mi P. D. FRANCISCI I. CASTRO RAMIREZ

Episcopi S. Iacobi de Maria (Santiago de Maria)

Qui responsum dedit litteris Conventus Episcopalis Americae Centralis et Panamae.[4]

---

[1] Cf. pp. 521-523.
[2] Cf. l. c.
[3] Cf. l. c.
[4] Cf. l. c.

5

Exc.mi P. D. PETRI A. APARICIO Y QUINTANILLA

Episcopi S. Vincentii (San Vicente)

Qui responsum dedit litteris Conventus Episcopalis Americae Centralis et Panamae.[5]

6

Exc.mi P. D. RAPHAËLIS VALLADARES Y ARGUMEDO

Episcopi tit. Curubitani, Auxiliaris S. Salvatoris in America (S. Salvador)

Qui responsum dedit litteris Conventus Episcopalis Americae Centralis et Panamae.[6]

[5] Cf. pp. 521-523.
[6] Cf. l. c.

INDEX

AMERICA SEPTEMTRIONALIS

CANADA

MEXICUM

STATUS FOEDERATI AMERICAE SEPTEMTRIONALIS

PAGG.

AMERICA CENTRALIS

CONVENTUS EPISCOPALIS AMERICAE CENTRALIS ET PANAMAE

COSTARICA

CUBA

FOEDERATIO BRITANNICA CARAIBORUM

GUATIMALA

HAITI

HONDURAS

RESPUBLICA DOMINICANA

S. SALVATOR